IHS

B. IGNATIVS LOYOLA

B. FRANCISCVS XAVERIVS

GASPARIS
SANCTII
CENTVMPVTEOLANI
E SOCIETATE IESV.
THEOLOGI

Ex libris R. A. P. M. Jois de Lezana

IN COLLEGIO COMPLVTENSI

Sacrarum literarum Interpretis,

Carm. Procuratoris Gnlis 1659

IN CANTICVM
CANTICORVM
Commentarij.

Conventus Carm. S.ta M. Transpontina

Cum expositione Psalmi LXVII.

Quem in Canticis respexisse

videtur Salomon.

RECENS LVCE DONATI,

& tribus Indicibus illustrati.

Cum Priuilegio Regis.

B. ALOYSIVS GONZAGA

B. STANISLAVS KOSTKA

LVGDVNI

Apud Horatium

Cardon

M.D.C.XVI.

CLARISSIMO, AC EXCELLENTISSIMO DOMINO D. IOANNI GARCI

ALVAREZ DE TOLEDO, MONROY,
& Ayala, Oropesæ,& Deleytosæ
Comiti, ab ense Regio,&c.

GASPAR SANCTIVS E Societate Iesu S. P. D.

ANNVS iam agitur quadragesimus quintus, Princeps illustrissime, ex quo adolescens in Societatis Collegiũ ab obedientia missus sum, quod tunc primùm Oropesæ patrui tui D. Francisci de Toledo Principis illustrissimi, qui ea tempestate Peruana regna pro Rege moderabatur, eximia liberalitate fundatum est. Decesserat paulo antè vir immortalitate dignissimus Ferdinandus pater tuus, ex cuius desiderio stillabant adhuc piis, & recentibus lacrymis subditorum oculi. Audiebam à ciuibus, sed frequentiùs à viris è Societate nostra, quibus ille familiariùs interiores curas, & magis occulta consilia impertiebatur, quantum fuisset religiosi Principis pietatis studium, quàm longum, ac dulce orationis otium; vt denique inter publicas curas, résque domesticas, quæ in tam lauta, & copiosa familia non poterant esse non molestæ, ac variæ, nihil remisisset aut de-

pietatis ardore, aut de ea contẽtione, qua seipsum ad præclaras, dignásque Christiano Principe virtutes accinxerat. In quarum studio cùm eos fecisset progressus, quales in viro, quem religiosæ disciplinæ seuerior addixisset professio, miraremur, amaremúsque, curabat tamen vt in illo pietatis stadio velocior esset cursus, & alacrior, séque ipso fieret quotidie melior. Hæc ego tunc adolescens tacitus admirabar, méque ipsum tãti viri exemplo, vt in Religionis castris, quæ tunc adhuc nouus miles inieram, legitimè certarem, quasi adactis stimulis incitabam. De humanitate illius in omnes multus erat sermo, frequens, & grata prædicatio, vt Religionis, pauperúmq; causas suas esse duceret; vt aliorum leuare miserias proprium existimaret Principum munus; quemadmodum denique, quod laudaret, commendarétque in eis, qui cum imperio, ac potestate forent, ipse sic præstaret luculenter, vt à seipso integrè, Religioséq; viuẽdo formá effingeret, quá alij in publicis, domesticísque rebus, & toto vitæ genere sequerẽtur. Hęc ego admirabar tũc, suspiciebámq; maximè: sed vt Religiosi Principis memoriá amarẽ, quá antè obseruare, ac venerari cœperá, faciebat non tãtùm virtus, quę ipsa per se à Barbaris etiá, & hostibus amorẽ conciliat, & vbi cum magno, atque illustri nomine cõiungitur, pódus habet ad inclinãdos & capiẽdos animos potentissimũ; sed etiam amor ille, quẽ habuit in nostrá Societatem mirificũ, qui ad redamandũ ingenua pectora nõ solùm inuitat, sed etiá cogit. Audiebá quemadmodũ nascentẽ Societatem amplexus esset, quãto studio fouisset, quá sedulò, ac grauiter cõmendasset Principibus, quibus erat ignota; queádmodũ sua authoritate defendisset ab iis, quorum numerus erat nõ exiguus, qui aut opinionibus, quas falsus dissiparat rumor, abducti, aut quia suis rationibus non satis nostrorũ erant opportuna cõsilia, aut alias ob causas, quas hìc enumerare necesse nõ est, aut minùs

minùs erant in nomen,& institutum Societatis affecti, aut illam insimulabant callidè, aut insectabantur non obscurè,aut inducta pietatis specie,superbè,atque contumeliosè vexabanr. His tamen omnibus opposuit sese Ferdinandi patris eo tempore singularis authoritas, perfecítque vt ex nonnullorũ animis,non solùm opinionem illã excusserit, quam priùs imbiberant veritatis ignari; sed etiam vt amarent postea,amplecterentúrque, quos antea vt ignotos,aut tanquam nouarum rerum studiosos, & authores auersabantur.Hæc ego,Princeps excellentissime,commemoraui breuiter (neque enim est animus, neque patitur hic scribendi modus historiam texere,aut longã instituere narrationem de patris optimi vitæ sanctitate,aut præclaris in Societatem meritis)quia & tibi futura putabam non ingrata,& quia dum parentis merita renouare studeo,tuã quoque vitam paternæ quamsimillimam,& spiritus nullo modo degeneres spectandos propono.Vt enim amplissimæ,illustrissimæq; familiæ,sic etiam multo magis paternæ virtutis legitimus hæres,parentis,qui iam è suorum conuictu, atque oculis excessit,vt illorum desideriuṁ aliqua ex parte solarêre, præsens ipse,ac viuum exemplar extitisti. De vitæ genere,quod sub tanto parente, ac duce à primis annis instituisti,de colendæ, atque excitandæ in aliis pietatis ardore nihil dicam; quia neque omnia possum, vt maximè contendam,neque tua,sat scio, modestia mihi in eo genere vagari permitteret. Illud instar erit omnium his, qui aut Ferdinandum patrem agnouerunt,aut de illius instituto, ac moribus aliquid didicêre,si te, quod fama non obscurè prædicat,ita fateamur expressisse parentis ingenium,vt qui vtrumque nouit, videre se putet in filio paternos sensus, paterna consilia, & parentis mortui viuam, atque spirantem imaginem.Mitto alia,quæ prædicari de viuis, neque semper vtile,& à diuino Spiritu non

vbique concessum: illud dicam, quod saluo pudore præterire non possum, quod parentis animo, atque humanitati te debere reputasti, vt in ipsis Oropesani Collegij incunabulis desertam à parente defuncto Societatem, quam ipse tanto studio in Oropesanam sedem asciuerat, tanta auiditate susceperat, sic amanter, ac studiosè complexus sis, vt neque parentis beneuolentiam, te superstite, neque cuiusquã patrocinium requirat. Habet tui de se iudicij, atque beneuolentiæ Societas argumenta neque pauca, neque leuia, quæ & ipsa prædicat de te, & à bene amante, atque merente animo profecta cognoscit. Huc refero, quòd ad tuam quoque familiam pertinere arbitror: nam quemadmodum Ferdinandus pater in suis adhuc primordiis Societatem fouit, sic etiam ex clarissima Pimentellium familia, ex qua domi apud te primum habes, & amplissimũ decus, lectissima fœmina Societatem sub idem tempus, vbi primùm Salmanticæ consedit, inopem tunc, & obscuram, & à multis authoritate, doctrināque præstantibus, adde etiam, & Religionis nomine venerandis exagitatam: sic ornauit, commendauítque, vt ex eo tempore respirare cœperit, & contra continentes penè maleuolorum assultus vires assumere. Cuius beneficio, ac studiò singulari non ingrata Societas extare voluit tam pij, ac liberalis officij illustre, atque perpetuum monumentum. Libro enim 8. Historiæ, quam nunc recèns euulgari voluit, pagina 238. hæc prodit de pia tantæ fœminæ liberalitate, & de illius de nostra Societate iudicio. *Quod autem in tantis turbis diuinam erga nos beneuolentiam maximè commendauit, illud fuit, quòd in ipso tempestatis æstu, mediisque turbinibus nobilem Deus fœminam Comitem Montis Regij Mariam Pimentellam, quæ se intra Monasterium sanctæ Mariæ sub eadem D. Dominici disciplina collegerat, vt nostris necessaria victui, cultuique prospiceret, excitauit. Hæc cùm in externos Societatis in pietate discipulos piè, mode*

modesteque venerantes in æde sacra Deum contemplaretur ex odæo, quæsiuit quod genus illud adolescentium esset tam singulari pietatis specie præditum: cúmque responsum esset eos esse quorundam Clericorum, qui nuper illuc attigerant, in Domino filios: tunc illa, quæ vna ex parte meminerat, quæ vulgò iactabantur in nostros; ex altera tam modestos, adeóque pios contemplabatur eorum disciplinæ alumnos, statuit ex eis euocare nonnullos, à quibus de recentium Religiosorum vita, institutóque cognosceret; sensit ergo ex eorum moribus, ac sermonibus longè alios esse, atque maleuolorum obtrectatio, & inconstans vulgi fama descripserat: nec dubitauit, vt in sociorum animos semel intrauit, eósque penitus inspexit, totósque tentauit, vitæ sibi duces, ac magistros asciscere: eosdémque ad confessiones ad extremum vsque spiritum adhibere. Hæc Societatis Annales.

Hæc me, Princeps excellentissime, ratio primùm adduxit, vt quidquid operis est à me susceptum in explicandis Canticis, id est, Epithalamio sacro, ac nobili, à Salomone composito, tibi consecrarem: quod licèt exiguum sit, & à rudi elaboratum ingenio, eo tamen nomine, credo, non auersabere, quòd in eo laborat argumento, quod ad Dei amorem vehementer inflammat, rapítque ad illud, quod in amando summum est, maximéque mortalium animos cum maiore Dei gloria, & diuina voluntate coniungit; quò tuus iampridem animus, & conatus aspirant. Accedit quòd ita capit tuum Religiosum animum assidua diuinorum mysteriorum meditatio, ac lectio, vt eius rei gratiâ facilè illos, ac familiariter admittas, quibuscum sacrarum literarum arcana conferre, & earum cognitionem, atque mysteria, quoad eius fieri queat, comparare possis. Animo igitur sic ad pietatem affecto, cuíque sacra lectio studio, ac voluptati est, præsertim si ad Dei maiorem gloriam aspirare contingat, nihil, meo iudicio, afferri potest opportunius, quàm diuini Epithalamij, & sacrarum nuptiarum cõmenta

mentatio; si tamen illa accurata sit, & quæ tam illustre, ac sacrosanctum argumentum non dedeceat. Quã laudẽ ab hoc meo labore abesse quamlongissimè quis non videat? Verùm res ipsa sic est stomacho benecõstituto grata, vt ad suauitatem externo condimento; sic speciosa, vt alieno ad pulchritudinẽ lenocinio non egeat. Hîc honesti, castíque connubij exemplar habebit Ferdinandus nepos sanguine Imperatorio, ac Regio, suorúmque maiorum splendore non indignus; qui præclara sui ingenij, atque nobilitatis, & dedit iam antea in ætate prima, & maiora te magistro in posterum documenta promittit. Nam vt in medulla, ac spiritu nuptiales hi cantus sacrum ostendunt, ac mysticum animæ cum sponso cœlesti connubium; sic in cortice, literalíque sono honesti coniugij, & tori immaculati speciem proponunt. Habes ergo, Princeps illustrissime, hoc qualecunque est munus, seu obsequium tuis in Societatem meritis omnino debitum, & memoris animi, atque obseruantiæ testem; imò libellus iste potiùs ab authore ignoto, atque inope pauper, & ignobilis patronum habebit vbi in tuum sinum, atque tutelam venerit, sub cuius nomine minùs horreat doctorum oculos, & censorum iudicia, quæ his temporibus æquissima non sunt. Quem si tibi non improbari, aut aliqua ex parte placere cognouero, aliquod me operæ longæ, atque difficilis pretium cepisse existimabo. Vale, Princeps optime, quem nobis, reíque publicæ Deus, vt multorum preces, & vota contendunt, diu seruet incolumem.

PRÆ

PRÆFATIO AD LECTOREM.

A*NTEQVAM diuini huius Epithalamij expositionem ingredior, benigne Lector, reddenda mihi ratio est & consilij mei, & eorum, quæ à me successu forsan alio, atque optabam, sed magno labore, atque studio comparata sunt. Quorum aliqua cùm noua videantur, &, quod sciam, à nemine hactenus adducta, alia non nisi ab vno, aut altero proposita potiùs leuiter, & obscurè, quàm luculenter exposita, timere iure optimo poteram, ne audaciæ, si noua, aut stuporis, si inepta, à quoquam condemnarer. Et imprimis orandus mihi es, vt apud te etiam, atque etiam reputes, à me tentatam esse viam paucorum admodùm pedibus tritam, atque ideo quod in cæca semita viatori, idem etiam mihi in obscuro hoc opere consilium necessariò fuisse susceptum, vt signis, & coniecturis ducerer incertus, cùm nulla haberem impressa vestigia, quibus insisterem in euoluendo cortice, aut hieroglyphico sensu eorum, qui ante me viam hanc sunt ingressi. Scripsere sanè multi tam ex antiquis, quàm ex recentioribus in hæc Cantica luculenter, ac grauiter præclara Commentaria, quæ nos & probamus maximè, & libenter amplectimur; sed hi plerumque in spiritualem sensum intenti, quem videbant in hoc hieroglyphico Epithalamio Spiritui sancto esse propositum; de litera, id est, de Grammaticali sensu, aut nihil laborarunt, aut modicè: gustare enim voluerunt, vtpote diuinæ suauitatis auidi, suauem spiritus medullam; corticem verò durum, & minùs gratum, aut non curarunt omnino, aut aliis arrodendum reliquerunt. Ex recentioribus verò qui-*

dam,& diligentes,& docti suscepère hanc prouinciam ab antiquis non admodùm studiosè obitam: sed in parabola admodùm obscura, & longa omiserunt plurima, quæ curiosi requirunt, & alia leuiter attigère, quæ maiorem lucem desiderabant. Quibus tamen gratiæ habendæ sunt, quia ipsi in densam syluam, implexámque valdè primùm irruperunt; sed reliquerunt aliis non pauca, in quorum explicationem, ordinémque texendum suam operam, studiúmque conferrent. Qui quidem etiamsi noua attulerint, & ante suam ætatem inaudita, quod necesse erat, cùm id negotij essent aggressi, à quo omnium propè antiquorum Patrum studium abstinuisset, non tamen ideo improbati sunt, quia neminem ferme habuerunt ex prioribus, à quorum expositione in eo genere, sententiáque recederent. Idem mihi in his Canticis explicandis licebit per te, benigne Lector, si in Grammaticali sensu, ipsóque hieroglyphicæ Scripturæ sono à recentioribus his, magni alioqui nominis, & sapientiæ viris, aut in explicatione singularum partium, aut in contexendo Epithalamij filo aliquando discessero. Nam in spirituali, atque arcano sensu, quem maioris claritatis gratiâ seorsùm post historicum adhibui, id plerumque secutus sum, quod probari maximè videbam antiquis Patribus, nisi quando noua aliqua expositio historica nouam etiam expositionem allegoricam postulabat. In qua data opera mihi est, vt quid Patres eo loco sentirent, explicarem.

Nunc quid in exponendo consilij in hac allegoria longa, atque impedita secutus sim, paucis accipe. Primùm illud mihi persuasi, in his Canticis aliquid esse Salomoni propositum, quod aut contigisset aliquando, aut solitum esset fieri in Hebræorum Republica, sicut aliis parabolis plerumque contingit; aut certè, quod vir acri ingenio, & singulari eruditione vidit Ludouicus Legionensis, perpetuam hîc esse metaphoram, in qua singulæ partes inter se filo cohærerent non interrupto. Neque enim putabam piè quenquam existimare posse ab authore sacro id esse commissum, in quo prophani scriptores, si quando accidit, durè ab æquis etiam lectoribus accipiuntur. Quare faciendũ mihi putaui, vt inuestigarem quomodo in vna aliqua natura,

tura, siue argumēto, filo cōtinenti, non distorto, atque interrupto, quæ hic adducuntur omnia, aptè consentirent. Ac tandem vero maximè simile mihi visum est, spectare Salomonē in hoc sacro Epithalamio ritus illos, qui in nuptiarum sacris communiter seruabantur ab Hebræis, quia in eis optima proponebantur symbola casti connubij, sicut in his, qui nunc à Christianis religiosè seruantur. Nam vt ritus illi coniugum inter se coniunctionem, & amorem mirè præ se ferunt; sic etiam similis coniunctionis, & amoris Christi cum Ecclesia eximia documenta sunt. Neque temerè mihi videor in eam cogitationem venisse: nam eorum, quæ in hoc Epithalamio præcipua sunt, occurrunt in Scriptura plurima, neque ea obscura vestigia, vt pluribus statim Prolegomeno 3. *ostendemus. Quæ à Iudæis nunc etiam ex antiquo, vt verisimile est, patrum suorum instituto seruari colligitur ex Hebræorum Rituali, seu Cæremoniali, quod Latinum fecit Genebrardus. Quod ego etiam accepi ab Hebræo quodam Iudaicæ antiquitatis scientissimo, qui Hebræorum matrimoniis non interfuit solùm; sed etiam præfuit tanquam sacrorum antistes.*

Quod verò ad ordinem, & ἀκολουθίαν *spectat, laboraui diu in illis contexendis, quæ in his Canticis adducuntur plurima, & varia, ita vt non temerè, ac liberè, sed ad certam, & facilem, sibique perpetuò consentientem formam astricta viderentur; quod si quo modo, studio, atque labore consequerer, existimabam fore, vt studiosis accideret non ingratum. An verò compos fuerim & mei, & communis (vt audio) desiderij, iudicabūt alij: de me id vnum quàm verissimè affirmare audeo, nihil mihi in eam curam non esse tentatum; eam autem rationem commodissimam, & expeditissimam fore putaui, si quæ dicuntur cap. 5. ab illis verbis*; Ego dormio, & cor meum vigilat, *ad illa verba cap. 6.* vt lilia colligat, *quæ Dramaticè, & vt ita dicam, repræsentatiuè in quinta scena collocantur; ea historicè primo loco statuerem, quibus succederent, quæ Dramaticè in principio, id est, in prima scena locata sunt; nempe vt in quærendo sponso, quod cap. 5. Dramaticè cœperat, perseueret*

sponsa, donec tandem inueniat. Quod, credo, difficile non erit ei, qui ad hæc Cantica mediocrem attentionem adhibuerit, quod suis deinde locis pluribus ostendemus. Eam autem orationem, quam sponsus habuit, vt pigritantem sponsam è lecto ad hortos, vbi peragendæ nuptiæ, deduceret, repetitam esse statuo ab sponsa 2. cap. ab illis verbis. Ecce ipse stat post cancellos; *ad finem vsque capitis. Deinde in principio cap. 3 significat quid sponsa fecerit, vbi illam sponsi orationem longam, & inflammatam audiuit, & attingit breuiter, quæ pluribus deinde cap. 5. prosequitur de studio quærendi sponsum, de vigilum custodia. Hac commentatione, ac partitione rerum existimabam, quæ dissoluta videbantur in his Canticis, aptè componi posse. Quibus ea ratione dispositis ad caput vsque octauum expeditè, ac sine vlla offensione, ac salebris incumbunt reliqua. Vt autem quæ toto octauo capite dicuntur, quæ minùs alicui videri poterant dicta consequenter, in certam, ac continentem formam adducerem, alia mihi inita ratio est, noua, fateor, sed fortasse ab historiæ, textúsque consecutione non aliena. Quo consilio studiosis consecutionis, atque ordinis cognoscendi aliqua ex parte, vt spero, satisfactum est. Vide* Proleg. 9.

Nunc de singulis, quæ noua videri poterant, ratio mihi reddenda. Neque necesse est pio lectori multis probare in hoc sacri poëmatis typo, atque nudo cortice, in quo à Spiritu sancto afflatus Salomon spiritualem condidit medullam, nihil esse absurdi, nihil distorti, atque ridiculi, atque adeò nihil quod obscœni, atque indecori aliquid obiiciat. Quod cùm effugere aliquando non possimus, si in ipsa verborum proprietate hæreamus, coacti sumus ad figuratas locutiones confugere. Qualia mihi spectare videbar in ventre sponsi sapphiris distincto, & in ventre sponsæ, vmbilico, & femorum iuncturis. Neque mihi persuadere poteram à Spiritu sancto hominum cogitationi esse nudata, quæ tam prouidè verecunda natura celauit, ac texit. Neque, credo, prophanus hæc auderet in poëmate honesto, nisi frontem omnino perfricuisset. Quare aliqua ex his non tam de humani corporis membris, quàm de illorum integumentis, atque ornamentis

mentis accipienda existimaui, ea nimirum quæ honestè legentium cogitationi nudari posse non videbantur, qualia sunt venter, vmbilicus, femora; & si qua sunt eiusmodi, quæ cum aliis aut pugnare, aut non velle consentire videri poterant; vt de capite sponsi, cùm aurum optimum *vocatur, aut sponsæ, cùm* Carmelo *dicitur* esse simile*; in quibus vtriusque coronæ in capite intelliguntur, vt in Prolegom. pluribus.*

Cum verò non leuibus, vt mihi videbar, rationibus adductus existimarem in his Canticis voluisse Salomonem explicare latiùs, quæ paucis, & obscurè pater ipsius Psal. 67. cecinisset, vt Prolegomeno 7. latiùs demonstraui; ad extremum visum fuit fore ex tuo, atque horum Commentariorum vsu, si illius quoque Psalmi omnium obscurissimi explicationem adiungerem; qui vt his Canticis plurimùm affert lucis, sic vicissim ab eis accipit non parum.

Hæc præcipua sunt, quæ tibi, optime Lector, noua videri possunt; alia sunt leuiora, quæ ad singularum partium explicationem pertinent, quæ vbi cogitationis nostræ causam agnoueris, credo, non improbabis. Neque verò alicui mirum, aut alienum videri debet, si, dum in cortice versamur, id est, in symbolo, seu hieroglyphico signo, quod plerumque historiam aliquam, siue consuetudinem olet, quæ vbi rerum naturis est accommodata, multis nationibus communis esse solet, de humana eruditione aliquid interdum exponimus. Quod sanè eo facimus consilio, vt quæ hîc duriuscula videri poterant, antiquis in vsu fuisse; aut quæ dicuntur, non abhorrere ab aliarum gentium sermone, aut consuetudine disceres. Cum autem opus hoc Bucolicum sit, & poëticis numeris compositum, ex Poëtis necessariò aliqua adducere debuimus: neque enim alij huic generi compositionis operam dederunt. Quibus cùm in Epithalamiis pangendis aliqua viderentur cum hoc diuino Epithalamio communia, maximè Theocrito, qui in Epithalamium Helenæ, *& Arsinoës pompam multa ex hoc Epithalamio, & nuptiali pompa transcripsit, vt cuiuis facile est animaduertere; sanè si illa omitterem, in hoc nudo cortice euoluendo parum strenuè iudicarer expositoris munere perfunctus.*

Quare adduxi ex Poëtis suo loco nonnulla, non quò ab ipsis explicationis nostræ fundamenta petenda sint; nam ex Hebraica eruditione satis, credo, habemus firmamenti ad ista probanda: sed vt minùs dura, & noua aliqua videantur, quæ eiusmodi alicui in hoc Epithalamio existimari poterant, cùm etiam apud Gentes, quibus in nuptiarum sacris aliqua proponebatur honesti connubij forma, in vsu fuisse deprehendantur.

Illud fortasse in his Commentariis desiderabit pius, & B. Virginis amans, & studiosus lector, quòd in separata Commentatione non egerim de illius meritis, ac laudibus, quod fecerunt ante me alij, vt Dionysius Carthusianus, Michaël Ghislerius, & è nostra Societate Martinus del Rio; quorum ego pietatem in eodem argumento tractando imitari debuissem. Sed, quominùs separatam Commentationem instituam, fecit & quòd prolixos Commentarios non probem, & quòd ea de re alios tum in Canticis explicandis, tum in qualibet alia occasione seu quæsita, seu oblata satis luculenter scripsisse videam. Quare rem vsque adeò illustrem, illustratámque Doctorum excubiis mea indigere opera, aut apud bellum, & candidum lectorem accusatum iri me inertiæ, aut parum pij seu memoris animi non putabam. Non tamen ideo laborem hunc pium, tantæque Matri debitum omnino declinaui: nam cùm Canticorum ordo, incidensque materies occasionem offert (offert autem persæpe) illam ego non inuitus arripio. Cùm verò non pauca, quæ in hoc Epithalamio sacro illustrissima sunt, quæque siue allegorico, siue accōmodatitio sensu B. Virgini à scriptoribus siue à Concionatoribus ascribuntur, non bene caderent in vitam illam, moresque purissimos, si ex originalis culpæ seminario aliquid sordidum, atque odiosum sponso Deo traxisse existimetur; id me debere putaui communi Matri, ac Virgini immaculatæ, ac puræ, vt cùm se locus aperiret in Canticis, qui ab originaria culpa immunem esse Virginem ostenderet, nonnihil ea de re, idque vt Interpretis ratio postulat, breuiter attingerem.

Cùm verò sensus Grammaticalis, & hieroglyphicus, quem communiter corticem appellamus, quem spirituali, ac mystico sacer author

suppo-

suppofuit,obſcurus valdè ſit, &,vt dixi,à multis nulla ex parte, à paucis non niſi leuiter, ac parcè tentatus, commodum me facturum ratus ſum,ſi illum à myſtico ſeorſum aggrederer,& ſi quid in eo Hebraicæ,atque antiquæ eruditionis eſſet,quoad poſſem,eruerem. Quod quanti laboris,quamque impediti negotij ſit, nemo non videt. Dabis ergo mihi veniam,benigne Lector,ſi,quod in longa hac,atque obſcura allegoria accidet non rarò,aliquando à me peccatum ſit. Si quid autem minùs ineptè,ac ſegniter, ſi modò eius generis aliquid à me dictum fuerit,id à Deo,à quo omnis lux, & veritas hominibus affulget,profectum agnoſce. Cui,vt me iampridem, ſic operis quicquid eſt huius,etiam,atque etiam conſecro. Vale.

APPRO

APPROBATIO.

REgio iubente Senatu vidi, & accuratè, quantùm licuit, recognoui Commentaria hæc cum paraphrasi in Canticum Canticorum, & in Psalmum LXVII. à sapientissimo, religiosissimóque Patre Gasparo Sanctio concinnata: nihil verò in ipsis deprehendi quod Catholicam doctrinam, aut pietatem vel minimùm lædat, sed multa potiùs, & magna quæ astruant, & illustrēt. Imò in hoc genere Commentationis, in quo nil ferè ab antiquis, & recentioribus prætermissum, veteribus noua coniungens meritò sui desiderium prouocat, nec minùs accendit rara animi modestia in pronunciandis sententiis, earumdem mira cohærentia, summa Interpretis dexteritate cum trilingui peritia, atque eruditione mirabili. Consonāt deniq; hæc Commētaria aliis præclaris eiusdem authoris in Isaiam Prophetam nō ita pridē editis. Censeo igitur vt etiam publica luce donentur ad magnum Ecclesiæ bonum. Matriti in Carmelitano Cœnobio 12. Augusti 1615.

I. FRANCISCVS A IESV
DE XODAR.

Facultas

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV *in Prouincia Lugdunensi.*

EGO Antonius Suffrenus Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi Præpositus Prouincialis, Opus quod inscribitur, *Gasparis Sanctij Centumputeolani è Societate* IESV *Theologi, in Collegio Complutensi sacrarum literarum interpretis, in Canticum Canticorũ Commentarij cũ expositione Psalmi LXVII.* iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Februarij 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab hominibus nostræ Societatis compositos, absque Superiorum eius permissione imprimant, permitto HORATIO CARDON Lugdunensi Bibliopolæ, vt ad sex primos annos imprimere, ac liberè diuendere possit. Datum Lugduni die 10. Aprilis 1616.

ANT. SVFFRENVS.

APPROBATIO.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE in sacra Theologia Magister, & in S. Pauli Lugdunẽsis Canonicus, & in hac Lugdunensi Diœcesi, à Domino Dionysio Simone de Marquemont Illustrissimo, & Reuerendissimo Archiepiscopo librorum Censor designatus: fidem facimus, nos *Gasparis Sanctij Centumputeolani è Societate Iesu Theologi, in Collegio Complutensi sacrarum literarum interpretis, in Canticum Canticorum Commentarios cum expositione Psalmi LXVII.* perlegisse, omniáque in illis iuxta orthodoxam Catholicæ Apostolicæ ac Romanæ Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum sanam doctrinam summa cum eruditione exponi. Lugduni apud Sanctum Paulum Idib. Iulij 1616.

DEVILLE.

R.D.D.*Thomæ de Meschatin la Faye huius libri imprimendi facultas.*

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes, Canonicus, & Camerarius Ecclesiæ Lugdunensis, & Vicarius Generalis in Archiepiscopatu Lugdunensi: Opus inscriptum, *Gasparis Sanctij Centumputeolani è Societate* IESV *Theologi, in Collegio Complutensi sacrarum literarum interpretis, in Canticum Canticorum Commentarij, cum expositione Psalmi LXVII.* vt in lucem edatur, facultatem concedo. Lugduni 3. Augusti 1616.

MESCHATIN LA FAYE.

CONCESSIO.

LIBRVM hunc, qui inscribitur, *Gasparis Sanctij Centumputeolani è Societate* IESV *Theologi, in Collegio Complutensi sacrarum literarum interpretis, in Canticum Canticorum Commentarij, cum expositione Psalmi LXVII.* Ego Iacobus Daueyne Regis Procurator typis mandari, tum demum in lucem exponi consentio. Lugd. 4 Augusti 1616.

DAVEYNE.

LIBRVM hunc inscriptum, *Gasparis Sanctij Centumputeolani è Societate* IESV *Theologi, in Collegio Complutensi sacrarum literarum interpretis, in Canticum Canticorum Commentarij, cum expositione Psalmi LXVII.* ab HORATIO CARDON Bibliopola Lugdunensi in lucem dari permittimus: simul, ne quis citra factam ei ab ipso potestatem, denuò excudat, interdicimus. Datum Lugd. die 4. Augusti 1616.

SEVE.

Summa

Summa Priuilegij à Chriſtianiſſimo Galliarum Rege conceſſi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate ſancitum eſt, atque patentibus Literis cautum, ne quis in Regno ſuo, aliiſve locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra proximos annos decem, à die impreſsionis primæ inchoandos, ac numerandos excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo, & ratione conetur librũ, qui inſcribitur, *Gaſparis Sanctij Centumputeolani è Societate IESV Theologi, in Collegio Complutenſi ſacrarum literarum interpretis, in Canticum Canticorum Commentarij, cum expoſitione Pſalmi LXVII.* præter HORATIVM CARDON Bibliopolam Lugdunenſem, aut illos, quibus ipſemet conceſſerit. Prohibitum inſuper eâdem auctoritate Regiâ omnibus ſuis ſubdictis, eundem librum extra Regni ſui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agen-

dum impellere, ac instigare sine consensu dicti HORATII CARDON. Idque omne sub confiscatione librorum, aliisque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expressis. Datum Turonibus die 19. Aprilis 1616.

De mandato Regis.

Signatum

BERRVYER.

INDEX

INDEX LOCORVM
SACRÆ SCRIPTVRÆ
QVÆ IN COMMENTARIIS
Canticorum explicantur.

Prior numerus caput, posterior numerum indicat marginalem; Pr. Prolegomena; Ps. Psalmum.

EX PROVERBIIS.

EX ECCLESIASTE.

EX ECCLESIASTICO.

EX ISAIA.

EX IEREMIA.

EX EZECHIELE.

EX DANIELE.

EX OSEA.

EX MICHEA.

EX ZACHARIA.

EX

INDEX

INDEX REGVLARVM SCRIPTVRÆ SACRÆ QVÆ IN COMMENTARIIS CANTICORVM TRADVNTVR.

Prior numerus caput; posterior numerum marginalem indicat.

COMMEN

COMMENTARII IN CANTICVM CANTICORVM SALOMONIS.

PROLEGOMENON PRIMVM.

De forma, atque materia Canticorum.

1. QVANTA ſit huius libri dignitas, quanta maieſtas, oſtē-dit omnium pene ſcriptorum tam Græcorum, quàm Latinorum conſpirans ſententia; qui ideo cenſent Canticum Canticorum appellari, quòd nobiliſſimum ſit, atque iucundiſſimum canticorum omnium. Quod ſanè veriſſimum eſt, ſiue formam rationémque ſpectes, ſiue materię dignitatem. Nam, quod ad formam orationis pertinet, in hoc diuino Epithalamio Salomon, & affectuum varietatem mirificè, & numerorum leges accuratiſſimè perſecutus eſt: quamuis de numero, menſuráque, & tota ratione metrica nihil certũ ſit. Neque enim, vt maximè cō-tendas, ad certam rationem coërcere poteris, quæ vna eadémque lege perpetuò conſtet. Quòd ſi poiſeos formam, vt cēſet Ariſt. in ſua Poëtica cap. 1. fictio eſt, vnde poëtę quaſi facientes, vel fingentes dicti ſunt (quare neque apud Græcos Empedocles, teſte Ariſtotele ſuprà, neq; apud Latinos Lucretius, & Lucanus poëtæ exiſtimantur, licèt poëticis numeris vel hiſtoricam fidem, vel naturalium rerum proprietates, vel ſuas denique cogitationes incluſerint: quia nihil fingunt, aut variant, ſed nudam veritatem; vel hiſtoriam propriis plerumque verbis complectuntur) hîc ſi vſpiam, verbis tranſlatis, & alienis, incredibili varietate diuini amoris naturam ſcriptor hic ſacer proſecutus eſt.

Canticorum forma.

De materia verò, certum eſt Salomonem, vel Spiritum ſanctum, qui linguæ Salomonis inſederat, altum quiddam atque diuinum ſpectaſſe: neque enim audiendi ſunt, qui profanum aliquid atque laſciuum in his carminibus agnoſcunt. Quorum nonnulli ex hæreticis, authore Philaſtrio hæreſi 131. quos ille Anonymos appellat, dicunt hîc inter Salomonem, & Abiſag Sunamitidem, vel inter aliā 2.

In Canticis omnia ſunt caſta.

amicam amatorium, & profanum iniri colloquium. Quam hæresim postea excitauêre Anabaptistæ, impiè illi quidem, & suo more sanctissima atque purissima Spiritus sancti documenta turpiter fœdantes.

Nam licèt inter sanctum, impurúmque amorem maxima dissimilitudo sit, dissimiles progressus & finis, tamen his, qui profani sunt, & impuri, hæc Cantica aliquid olent lasciuum & obscœnum, qui ructāt facilè, & inuerecundè anhelitum fœdum ex eo, quod ipsi antè conceperant. Quem errorem refutat Theodoretus Præfatione in Cantica. Primùm, quia huius libri author Spiritus sanctus est, siquidē in Canonem Scripturæ sacræ relatus est. At quis credat Spiritum sanctū dictare, quę lasciuiā spirant? cuius fructus est continentia, & castitas, ad Gal. 5. Quis afflatu purissimi Spiritus illa fundi existimet, quæ afflatu Veneris, & Cupidinis inspirari, poëtæ fabulātur? Quòd si antiquorum Patrum testimonio liber hic nobilissimus est eorum, quos edidit Salomon, quid, quæso, nobilitatis, aut suauitatis spirat obscœnus sermo?
3. Quòd si sponsa, quæ tantopere his carminibus commendatur, filia sit Pharaonis (quod nonnulli putarūt) quàm multa ineptissimè à Rege sapientissimo dicerentur? Quis enim credat filiam Regis, eandémque Regis potentissimi sponsam, non captam apud alienos, sed in suo Regno florentem, quæ non pateretur captiua ab hoste, ea à coniuge sibi charissimo tulisse? nimirum iussam esse abire post vestigia gregum suorum, & quod minimè cadit in Regiam personā, præpositam esse custodiæ vinearū, infuscatam à Sole, & à murorum custodibus spoliatam esse pallio, ac tandem vulneratam.
4. Neque incommodat quòd in hoc Epithalamio non reperiatur nomen Dei Tetragrammaton, aut aliqua alia nomina, quibus tota, quasi syderibus, Scriptura resplendet: nam eam ob rem aiunt carmen esse amatorium, atque profanum; ídque obseruasse Salomonē, adductum religione, ne nomen illud ineffabile parum piè profanis admisceret, & aliquid sordidum traheret ab obscœno poëmate. Nā primùm, cùm totus hic sit allegoricus sermo, non necesse fuit propriis vti vocabulis; neque eadem ratio est huius libri, & aliorū. Nam cùm in aliis locis Deus tanquam cum ancilla loquatur, ea vsurpat nomina quæ metum, & religionem incutiant; quare appellatur *Fortis, Zelotes, Omnipotens, Dominus*, &c. At hôc loco agit cum sponsa; & ideo his vtitur nominibus, quæ amorem conciliant, & alliciunt animum; vnde dicitur *sponsus, dilectus, flos*, &c.

Sponsa, non filia Pharaonis.

Cur nomen Dei Tetragrãmaton nõ sit in hoc libro.

Communis omnium pene Doctorum, & Sanctorum sententia est, sermonem esse inter Christum & Ecclesiam ab eo vnicè dilectam, quam innumeris donis locupletauit, vt charissimam sponsam: vel inter quamlibet animam, eius obsequio deditam, & quæ se totam ad eius voluntatem fingit, quia pars est Ecclesiæ; siue inter B. Virginē, quæ Ecclesiæ pars est nobilissima. Videtur autem Salomon amplificare voluisse id, quod pater illius inchoarat Psalm. 44. cuius initium est; *Eructauit cor meum*. Nam, & ibi narratur sponsi species præ filiis hominum, & sponsæ pulchritudo, quę hîc etiā appellatur Regina, & adolescentulæ, quæ adstant sponsæ: myrrha, & gutta, & similia. Hác sententiam videtur aliquo modo Christus ipse Dominus insinuare, dum se sponsum dicit sæpius in Euangelio, vt Matth. 9. & 25. & Discipulos ami- 5.

Cõnubiũ hoc inter Christum & Ecclesi m, siue quãlibet animam.

amicos sponsi, Ioann. 3. vnde videtur ex hoc Canticorum vmbraculo in Euangelium, quasi in apertam lucem prodiisse. Illud verò Canticorum 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*; Ecclesiæ accommodat Paulus 5. ad Ephes. *Viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, & se ipsum tradidit pro ea; vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ; vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid huiusmodi; sed vt sit sancta, & immaculata.*

Ad Ephe. 5.

PROLEGOMENON II.

De parabola sponsi, & pastoris, & de stylo libri.

6. Quia in his Canticis scriptor sacer arctissimam coniunctionem Christi cum Ecclesia, aut cum anima sancta exprimere voluit, eas inducit personas, in quibus maximè elucet amoris vis; & quia qui in altiori sunt ordine, vel dum pudori student, & modestiæ, vel dum rationem habent dignitatis suæ, non ita facilè produnt molles hosce affectus, qui ab amore nascuntur, ideo inducit rusticanam sponsam, quæ syluam colit, & pascendis gregibus intenta est, quò simpliciter, & ingenuè, sodalibus, aut sponso suo, quid sentiat, & quid patiatur ab amore, significet. Item in hoc amatorio Cantico sponsos inducit, quia eorum amor, & tener est, & castus, atque ita debitus, vt homo iubeatur relinquere patrem, & matrem, vt adhæreat vxori suæ. Tum etiam, quia castum, atque legitimum maris, & fœminæ connubium iam inde ab orbe cōdito Christi cū Ecclesia coniunctionem figurauit, vt docuit Apostolus ad Ephes. 5. qui cùm de Euæ, & Adami coniunctione egisset, addidit; *Sacramentum hoc magnum est; ego verò dico in Christo, & in Ecclesia.* Appellatur autem sponsus Salomon, siue propter nominis dignitatem, quod non incongruè sponsi mores, & naturam adumbrat (sonat enim *pacificum, abundantem*, &c.) siue, quia Salomon Christi figura est, quod ipsi Salomoni notum fuisse, non est incredibile.

Fortasse hoc loco non inducitur persona Salomonis; nam, quòd postea spōsa Salomonē nominet, videtur sponsum cum Salomone cōferre: vel ob alias causas, de quibus postea suo loco: vel certè Salomon significat adolescentem Hierosolymitanum, vt docuit Hieronymus suprà cap. 3. Ioël. vbi dicit Salomonem à Ierusalem nomen accipere. Sponsa verò, quæ antea à multis Sunamitis dicebatur, Sulamitis dicitur, id est, Hierosolymitana, vt habetur in Gręcis, Hebraicisque codicibus, & in Bibliis à Sixto correctis. Ipsa verò sponsa Cant. 8. videtur prodere nomen suum; nam cùm sponsi nominis etymologiam exposuisset, appellans *pacificum*, statim sui nominis notionem videtur insinuare cùm addit, *ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens*; quod idem valet *Sulamitis*, id est, *pacifica*. Quòd Salomon non se ipsū inducat in his Canticis, probabile fit, quia non posset saluo pudore, atque modestia, sibi arrogare, quòd sit candidus, & rubicundus, electus ex millibus, &c.

Sponsus non videtur esse Salomon, sed Solymitanus adolescēs, & sponsa Solymitana virgo.

Deinde stylus accommodatè ad personarum genus, & Bucolicus est, cùm omnia pene verba petantur ex syluis, hortis, & pascuis, &c. & Dramaticus, in quo sermonis est non ingrata vicissitudo. Est 7.

Stylus Bucolicus, & Dramaticus.

autem Drama, teste Origene, multarum personarum cantilena; vt in scenis agi fabula solet: hîc verò sũt sponsus, sponsa, sodales sponsi, & sociæ sponsæ. Et quemadmodum sponsa inducitur, tanquam nympha, aut pastrix, sic etiam virgines sociæ, pastrices sunt & nymphæ; quod ex eo liquet, quia per capras hinnulósque ceruorum adiurantur: per illa scilicet, quæ amant, & curant maximè: sicuti adiurari solent, miles per belli fortunam, nauta per marinos deos, piscator per facilẽ, copiosámque piscium capturam, pastor per ouium numerosos fœtus. Quia verò hæ fœminæ, quæ syluas colũt, solent ad delicias habere ceruorum hinnulos, sicut de Sylula virgine l. 7. Æneid. legitur, vel illis exagitãdis, capiendísque oblectari, ideo per ceruos, & capras adiurantur hæ puellæ, tanquam syluarum, & venationis amantes.

PROLEGOMENON III.

Quæ sit sponsa, quis ritus in Hebræorum cõnubiis, quem hîc expressit Salomon; & vnde in Hebræorum populum hi nuptiales ritus fuerint inducti.

8. SPonsa hæc Sulamitis dicitur, quia postquam Solymitano nupsisset sponso, mutato domicilio, & genere, ipsa quoque vocabatur, & erat Solymitana. Fingitur ergo sponsa hæc non solùm extra Hierosolymam nata, atque nutrita: sed etiam alienigena; qualis Deut. 21. captiua mulier nubit Israëlitæ. Ita Sanctus Thom. in illud capitis 3. *In lectulo meo*; vbi appellat Gentilem. S. Hieronymus epistola ad Eustochium. Origin. Homil. 2. ex 4. in Cant. in principio. Theodoretus in illud c. 7. *Quàm decora, & suauis*. Augustinus Sermone 21. de Tempore. Tertullianus lib. 4. contra Marcionem, cap. 11. Athanasius in Synopsi. Et id denique indicant, qui in sponsa agnoscunt Ecclesiam ex Gentibus congregatam. Neque id negat sponsa, quæ primo capite fuscam se esse, & à Sole coloratam dicit: neque desunt in his Canticis graues coniecturæ; nam capite 4. sponsa vocatur de montibus Libani, Sanir, Amana; qui montes extra terram ab Israëliticis habitatam sunt, & ad Tyrum pertinent: certè Salomonis tempore à Tyriis possidebantur. Et cap. 8. excitata dicitur, cùm recens nata à matre relicta est sub arbore malo, quod inter Gẽtiles vsitatum. Et Ezechiel ostendit cap. 16. in ea sponsa, quę dicitur nata ex Cethæa matre, & patre Amorrhæo; in quo spectasse videtur hæc Salomonis Cantica. Quo verò magis ostendatur sponsæ huius humilis, & abiecta conditio, occurrere inducitur sponso suo nigra facie, spoliata pallio, acceptis plagis; denique tota specie miserabilis. Accedit quòd Psalm. 44. quem sibi dum hæc Cantica pangeret, proposuisse videtur Salomon, sponsa iubetur obliuisci populum suum; alienum vtique & Religione, & loco.

Neque verò improbabile est quæ hîc dicuntur omnia, formam quandam esse connubij, quam seruarunt antiqui, & nunc quoque magna ex parte seruant Hebræi; quia quæ hîc proponuntur singula, optimi coniugij excellens forma, & præclara documenta sunt. Nam quòd noctu ex agro cum plausu, & facibus in vrbem deducantur noui con- 9. *In his Cãticis forma exprimitur Iudæorum connubij.*

ui con

ui coniuges, satis constat ex Scriptura, & nos pluribus ostendemus postea. Quòd verò solemne fuerit sponsum multo manè in hortos cum amicis procedere, deinde spōsam cum puellis egredi ad quærendum spōsum, colligitur non obscurè ex Ecclesiastico, cap. 15. vbi ad eam consuetudinem allusum est. Est autem ibi de Iustitia sermo, quasi de sponsa præcipua, quæ Regina dicitur, & hæc materfamilias est, vt dicemus cap. 6. vbi de Reginis, & concubinis agemus. Quæ autem alibi Regina, hîc mater honorificata appellatur. De hac ergo

Eccl. 15. Ecclesi. 15. *Qui continens est iustitiæ, apprehendet illam, & obuiabit illi, quasi mater honorificata, & quasi mulier à virginitate suscipiet illum?* Quæ verba omnino sponsam virginem, & præcipuo titulo Reginam ostendunt. Quod etiam nunc ab Hebræis in nuptiis seruari accepi ab Hebræo quodam rerum Iudaicarum peritissimo, qui Iudęorum Synagogæ, atque adeò eorum matrimoniis, sæpe ac diu non solùm infuit, verùm etiam præfuit.

10. Sponsa cerua matutina. Quòd autem habitu miserabili, spoliata pallio, atque percussa, sponsi desiderio languens & lugens matutina prodeat, & sponsum quærat, ac eius nomen sæpius imploret, seque miseram, & vilem clamet, docent illa, quæ de sponsæ paupertate, ac sordibus pluribus ostendemus cap. 8. Sed meo iudicio

Psal. 21. satis apertè indicat Dauid Psal. 21. cuius titulus in vulgata est, *pro susceptione matutina:* Hebraicè verò, *pro cerua matutina*; vt vertit Hierony-

11. Christus cerua matutina. mus. In quo Christus (de quo Psalmus ille intelligitur) clamat ad Patrem, quasi absentem, & non audientem, iactatum se dicit, & afflictum, & sicut vermiculum despectum. Idem omnino canit cerua matutina, id est, sponsa quæ multo manè vocata à spōso capite 5. ipsum tandem inuenit cap. 1. Porrò sponsa *cerua* dicitur Prouer. cap. 5. & nunc etiam in Hebræorum matrimoniis ab sponso vocatur *cerua*, vt liquet ex eorũ Rituali, quod Latinum fecit Genebrardus. Dicitur etiam *matutina cerua*, quia sponsa matutino egressa est tempore spōsum quæsitura, quando flebilem illam cantilenam cecinit, ad cuius similitudinem Psalmus iste compositus est, qui *pro cerua matutina* inscribitur: quia non aliter Christus ad Patrem in eo Psalmo, quàm sponsa ante lucem mœrens ad spōsum clamat. Ex quo fit verisimile, ante Salomonis tempora sponsam solere sponsi desiderio ante lucẽ carmen modulari doloris plenum, & amoris.

Contractum nuptialem sub thalamo fieri, id est, sub vmbella, docuimus ad illud cap. 2. *Sub vmbra illius*; vbi exempla quædam in eam sententiam adduximus. Illud esse solemne docet Elias in Tisbi, & Dauid de Pomis, vterque in voce חפה *Chuphah*: & nunc etiam seruari didici ab Hebræo, de quo antea.

Cap. 5. sponsus dicitur multo manè aduolasse ad sponsæ fores, 12. Sponsa multo manè vocatur. verbisque amātibus sibi vt portam aperiat, postulasse. Quod fieri solitum in Hebræorum nuptiis, videtur colligi posse ex illis locis, vbi monemur, vt Sapientiam nobis tanquam sponsam adiungamus, de qua Sap. cap. 8. *Hanc amaui, & exquisiui eam à iuuentute mea: & quæsiui sponsam mihi eam assumere, & amator factus sum formæ illius.* Hæc ergo Sapientia, sub sponsæ metaphora ait Prouerb. cap. 8. n. 17. *Ego diligentes me diligo; & qui manè vigilauerint ad me, inuenient me.* Et eodem cap. num. 34. *Beatus homo, qui audit*

me, & qui vigilat ad fores meas quotidie; & obseruat ad postes ostij mei. Idem loquendi modus reperitur Sap. c. 6. & Eccli. cap. 4. & 14. Hi verò loquendi modi metaphorici sumuntur ex eo, quod communiter fit. Quòd sponsa in Hebræorum nuptiis dormire soleat in sponsi sinu, probatur multis infrà, cap. 2. num. 14. ad illud, *Laeua eius sub capite meo.* Quòd in agrum vocaretur sponsa, vt habes cap. 2. docet planè Oseas cap. 2. vbi cùm sermo esset omnino nuptialis, ageretque Deus de sponsa, quam ad fidem coniugalem reuocare vult, ait; *Ducam eum ad solitudinem, & loquar ad cor eius*, id est, ad agros, vbi sponsus amatorium in modum sponsæ blanditur.

13. Quo modo sponsus cum sponsa vehatur curru, stipante psallentium choro, vide, quæ dicuntur infrà ad illud Psal. 67. *Currus Dei decem millibus multiplex*; & ibidem quo modo è curru munera distribuantur, de quibus cap. 5.

14. Cap. 8. diximus, ex poculo vini conditi vtrumque coniugem bibere; idem nunc fit inter Hebræos, vt ex suprà dicto Rituali constat; in quo benedictio calicis proponitur, quæ sponsos initiet. Quod etiam confirmauit Hebræus ille, de quo priùs. Ad quam consuetudinem allusisse videtur Dauid Psalmo 15. vbi cùm dixisset Deum verum sibi ex omnibus vnum esse colendum, quem omnibus rebus abundare dixerat, suáque tenuitate non indigere, verba quædam adhibuit Hebræorum (vt puto) nuptiis familiaria, de quibus cap. 8. vt illud; *Hæreditas mea præclara est mihi*: pro quo in cap. 8. *Vinea mea coram me est*; & alia, quæ licèt in alio argumēto, aliquid tamen nuptiale sonant. Ibi ergo fidelis anima ad Deum Psal. 15. *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei.* Quod spectare videtur ad Deum, qui in Canticis *hæreditas*, seu *vinea* dicitur sponsæ; & ad communem calicem, ex quo noui coniuges de more bibunt. Psal. 15.

Eodem capite 8. dictum est, præcepta tradi connubialia in extrema scena, quorum summa est, vt sponsa patrem, & matrem obliuiscatur, virum amet, & illi seruiat. Id etiam ante Salomonis tempora fieri solitum ostendit Psal. 44. vbi sponsa iubetur obliuisci populum suum, & domum patris sui. Fieri verò hoc tempore apud Hebræos audiui ab Hebræo, qui Synagogæ aliquando præfuit. Nam recitato priùs prædicto Psalmo admonetur sponsa, vt parentum immemor, & animo in vnum sponsum omnino intento, illi seruiat, & ab eo honorem, & commoditatem expectet. 15.

Ex Psalmo 44. qui ex communi authorum sententia nuptialis est, habemus non pauca, quæ indicant has nuptias vsitatis, & legitimis ceremoniis iniri. Nam vt hîc sæpe liliorum auditur nomen, sic etiam ibi statim in ipso titulo. Vbi enim vulgatus legit, *pro his, qui commutabuntur*, Heb. est עַל-שֹׁשַׁנִּים *Al sosãnim*, quæ Symmachus vertit, *pro floribus*. Aquila, *pro liliis*. Hieron. *pro floribus liliorum*. Ex quo fit verisimile, in nuptialibus canticis frequenter occurrere liliorum nomen. Vocantur noui coniuges sæpe in hoc Epithalamio *Rex*, & *Regina*: item *dilectus*, & *dilecta*, eodem etiam modo in illo Psalmo; nam Psalmus dedicatur Regi, & sponsa vocatur Regina, & *pro dilectu* Psalmus inscribitur. *Regem* item sponsum, aut adulterum, seu amasium vocat Isaias capite 57. v. 9. cùm enim reprehenderet Ierusalem, quia ad idola defecisset, tanquam adulteram, idolum, quod illi pro sponso erat, 16. Rex, & Regina vocantur cōiuges. Isai. 57.

Regem

Regem vocat. *Ornasti*, inquit, *te Regi.* Vide quæ nos ibi diximus.

17. In eodem Psalmo sponsa, quæ ibi Regina dicitur, adstat à dextris Regis, id est, sponsi: item in his Cāticis; atque ideo quando in eius sinu requiescit, id est, quando innixa est super dilectum suum, solemnē iterat cantilenam, *Laua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Qui brachiorum ordo sanè non contingeret, nisi sponsa sederet à dextris. Ex eodem Psalmo habemus virginum comitatum, vestimentorum fragrantiam ex vnguēto myrrhino: admonitionem sponsæ, vt paternam domum obliuiscatur; quæ omnia etiam occurrunt in his Canticis.

18. Sunt alia minutiora, quæ quia nostram sententiam non parum iuuant, prætereunda non sunt. Nā ex agro cum symphonia in vrbem reducuntur, quo tempore præcipuè à psaltriis Epithalamium canitur; id fieri solitum docent infelices illæ nuptiæ filiorum Iambri, de quibus 1. Machab. cap. 9. num. 37. quæ, vt ex adiunctis facilè constat, in agro conuersæ sunt in cladem, & luctum. Ad hanc consuetudinem, credo, allusit Isaias cap. 30. n. 39. *Canticum erit vobis, sicut vox sanctificatæ solemnitatis, & lætitia cordis; sicut qui pergit cum tibia, vt intret in montem Domini.* Mons autem Domini Ierusalem est, vt diximus ad illud c. 4. *ad collem thuris, & montem myrrhæ.*

Isai. 30.

Cap. 5. sponsa noctu virum suum quærit. Id familiare fuisse nuptiis Hebræorum docet *cerua matutina*, in titulo Psal. 21. de qua paulo antè; & illud Ierem. cap. 31. v. 22. *Vsquequò deliciis dissolueris filia vaga? quia creauit Dominus nouum super terram, fœmina circundabit virum.* Scio hæc communiter à Patribus exponi de incarnato Verbo, sed sanè si totius capitis continens expendas filum, inuenies sermonem esse de Ierusalem ab exilio restituta, & in antiquam gratiam cum sponso suo Deo, & ad proditum antè thalamum renocata. Circumdedit autē virum suum, id est, Deum, tunc Ierusalem, quando illum mutata mēte, & redintegrato pacto, nempe connubiali, cuius in eo capite sæpe meminit, illum ad mysticas nuptias expetiuit, scilicet, vt populum illum Deus agnosceret suum, & populus Dominum suum agnosceret, & coleret Deum. In hunc sensum accipit Oleaster canone 4. locum Ieremiæ, & putat Prophetam ad hunc Canticorum locum respexisse, quo spōsa virum suum circundat, id est, per vicos, & plateas quærit, donec tandem inueniat. Vide quæ nos super Ieremiam dum hunc explicaremus locum. Huc præterea facit illud Eccli. 15. de quo nuper, vbi Iustitia, de qua sermo, tanquam sponsa dicitur amatoribus suis vltrò obuia futura. *Obuiabit illi, quasi mater honorificata, & quasi mulier a virginitate suscipiet illum.*

Ierem. 31.

Suprà in his Canticis sponsa dicitur *soror*, & *amica*, quæ nomina fuisse in nuptialibus sacris solemnia, atque legitima, suadet illud Prouerb. 7. v. 4. vbi cùm sub sponsæ metaphora sermo esset de Sapientia, ad eius amorem, & consuetudinem his verbis inuitamur, tanquam ad coniugale fœdus; *Dic Sapientiæ, soror mea es, & prudentiam voca amicam tuam.*

19. Exēpla connubij Hebræorū, & vnde.

Vnde verò nata sit hæc consuetudo, incertum; suspicor autem Hebræos hac familiari, & quotidiana ceremonia conseruare voluisse beneficia illa maxima, quæ ex Dei liberalitate quondam receperunt. Qui cùm inter Gentiles age

agerent in Ægypto Ægyptiis moribus, si non corrupti omnino, at saltem maximè fœdati, sordidi è luto, fusci ex fornacibus, proiecti in abiectionem animæ, quia illorum infantibus non permittebatur vsura vitæ diuturna; inde tamen excitauit illos Dominus, ornauítque non secus ac sponsus solet, quam amat, sponsam. Quare sæpe Dominus populum suum sponsam vocat; vt apud Ieremiam, Ezechielem, Oseam: & matrimonium dicitur initum ad montem Sinai. Qua de re nos plura in explicatione Psalmi 67. vbi Dauid optimè hæc omnia complexus est. Ad harum ergo nuptiarum exemplar, Hebræorum quotidiana, ac familiaria connubia instituta sunt; vt enim populus ille ex Ægypto per desertum in promissam terram, sic spõsa ex hortis egressa ascendere dicitur de deserto. Et sicut legem datam accepit populus in spirituali connubio, vt Deum amaret, & vnum coleret proposito præmio, si foret in amore constans; & metu, si ab amore, fidéque deficeret: sic lex eadem proponitur spõsæ cap. 8. quam ipsa amplectitur non grauatè. Et quemadmodum in illa longa traductione per desertum antecedebat columna ignis, quæ tenebras pelleret, & errantes dirigeret: & nubes, quæ ipsis esset pro thalamo, aut vmbraculo; sic etiã in nuptiis pro *columna* præcedebant faces, seu lampades, pro *nube* thalamus, de quo cap. 2. num. 6. Vide quæ diximus in Commentariis Isaiæ ad illud cap. 4. *Nubem per diem.*

Alia occurrunt in hoc Epithalamio, quæ facilè indicant speciales, ac mysticas nuptias his quotidianis adumbrari: spectauit enim sacer hic Psaltes spiritalem coniunctioné Christi cum Ecclesia, & cum qualibet anima religiosa, ac pia. Nam etiam illa populi libertas ex Ægyptia seruitute, & beneficentia eximia, quibus ad miraculũ ornatus est, quæ nuptiarum vocabulo significantur, mysticum animæ nostræ connubium cum Deo, & spiritualem coniunctionem adumbrant.

PROLEGOMENON IV.

De sensu literali, seu historico huius libri.

Licèt alij alia dicant, est tamen communior Doctorum sententia, literalem sensum, seu historicum eum esse, quem author Scripturæ sacræ significare voluit; siue ille sit verbis in significatione propria sumptis, siue aliis à propria significatione translatis. Licèt sensus literalis dicatur ille, quem primò indicãt verba in significatione propria; quia tamen translatæ res proponunt rursus aliquid aliud significandum, neque in illa priori significatione consistunt, alius etiam sensus literalis est; vt patet in illo, *Non alligabis os boui trituranti.* Verba significant non esse fiscella, vel fune obstruendum rictum bouis qui crebro, atque molesto circumactu messes terit in area: at singulæ res, quia sunt quasi hieroglyphicæ notæ laborantis, mercedémque laboris iustam recipientis, ex intentione Spiritus sancti literaliter, & historicè significant, *Dignum esse operarium mercede sua:* id quod ostendit Apostolus dum dicit; *Nunquid de bobus cura est Deo?* Vnde in hac longa parabola sponsi, & sponsæ duplex est sensus, & vterque literalis, alter rei, quæ adducitur in parabola, & hic est materialis, nempe res gesta inter 20. Sensus literalis. Sensus literalis est ille etiam quem res significãt.

spon

ſponſos; alter eſt, qui à rebus ipſis ſignificatur, ſcilicet amor Chriſti, &c. Et ſicut priorem illum ſenſum, qui ex propria ſignificatione naſcitur (quemque, aut Grammaticalem poſſis appellare, aut ſecundùm literæ ſonum, vt dicit Auguſtinus lib. de ſpiritu & litera cap. 4.) nemo aſſequetur, niſi vocum propriam ſignificationem teneat, quia rerum ſignificandarum ſigna ſunt; ſic neque ſecundum ſenſum, ſi res per tranſlata verba ſignificatas ignoret. Dixit hoc optimè Gregor. Homil. 4. in Euangel. *In verbis*, inquit, *Scripturæ ſacræ prius eſt ſeruanda hiſtoriæ veritas, & poſtmodùm requirenda ſpiritualis intelligentia allegoriæ. Tunc nàque allegoriæ fructus ſuauiter capitur, cùm prius poſt hiſtoriam in veritatis radice ſolidatur.* Item Hieronymus in cap. 13. Iſaiæ. *Spiritualis interpretatio*, inquit, *ſequi debet ordinem hiſtoriæ: quod plerique ignorantes lymphatico in Scripturis vagantur errore.* Atque adeò priùs nobis agendum eſt de priori ſenſu, & còrtice, quando aliter enim medulla non poteſt. Inſipidum ſanè eſt corticem rodere; verùm neceſſarium: alioquin abſtinendum à ſuauitate medullæ.

PROLEGOMENON V.

Quomodo profani ſcriptores plurima ex hoc Epithalamio expreſſerint.

21. ORigenes Homilia priore ex duabus exiſtimat profanos ſcriptores qui Epithalamia cecinerunt, ab hoc antiquiſſimo, & præſtantiſſimo formam accepiſſe; imò & Epithalamium ipſum, cùm antea non habuerint. Certè, ſi vllus, maximè Theocritus, à quo alij poëtæ, ſicut alia plurima, Epithalamij componendi leges didicerunt. Hic enim floruit tempore Ptolomæi Philadelphi, cui & gratus, & familiaris vixit. Hic autem fuit, qui Septuaginta duos Interpretes in ſuum Regnum euocauit, vt ex Hebræo in Græcum ſacrarum literarum Oracula cõuerterent. Quòd verò Theocritus Alexandriæ fuerit cum Ptolomæo, conſtat ex Idyll. 7. & 15. Eſt autem veriſimile, hominem doctũ, & rei amatoriæ Bucolicam operam nauantem accepiſſe à Ptolomæo Bucolicum hoc, & amatorium Canticum; imò & egiſſe de hac re cum LXXII. Interpretibus, & ab ipſis Epithalamij huius partes, & leges didiciſſe. Quod eo faciliùs adducor vt credam, quia ex his Canticis non pauca ad verbum expreſſa, tranſlatáque video in genialem pompam, qua Arſinoë Ptolomæi filia Venerem, & Adonidem in ferculo traduxit; quæ eſt Idyllium 15. & in Epithalamium Helenæ, & Menelai, Idyl. 18. in quo poſtquam virgines laudauerunt ſponſum, ad extremum promittunt venturas ſeſe appetente iam die, vt à ſomno excitent. Vbi Scholiaſtes duo conſtituit Epithalamiorum genera: alterum, quod cãtatur veſpere, & κατακοιμητικὸν dicitur, id eſt, *conſopitorium* vel *ſomnum faciens*; alterũ, ſub auroram, quod dicebatur ὄρθριον, id eſt, *matutinum*, & διεγερτικὸν, id eſt, *excitatoriũ*. Vtriuſque veſtigium eſt quoddam in lib. 3. Epigramm. Græcorum, titulo *de ſuraînas*, Epigrammate 5. vbi Brodæus huius meminit moris. Quod meo iudicio ſumptum eſt ex his Canticis, vbi canticum vtrũque reperitur. Modò enim ſponſa dormire fingitur, edicitúrque à ſponſo puellis pſaltriis, ne illam excitent, donec ipſa velit: & tunc proculdubio iubet ne Epithalamium

Ab hoc Epithalamio profani expreſſerũt ſua. præſertim Theocritus.

Duo Epithalamij genera.

cantent excitatorium; modò verò iam sub auroram excitatur, quando ab sponso è lecto in hortos accersitur. Quod canticum excitatorium partim repetitur ab sponsa c.5. & maiore ex parte cap.2. ab illis verbis; *Aperi mihi soror mea*: in hoc, ab eo; *Surge, propera amica mea.* Neque solùm ab hoc Epithalamio Theocritus hanc distributionem accepit, & ab eo alij; sed etiam ex eo in sua Idyllia non pauca transcripsit, quorum tibi pauca hîc subiiciam. Idyllio 5. vbi geniali pompa Arsinoë Ptolomęi filia Venerē, & Adonim traducit, descriptum videtur Salomonis ferculum, de quo cap. 3. Nam in medio ferculi plurima amoris signa notata dicuntur ab Arsinoë; id quod antè Salomon, vt multi putant, expresserat, cùm mediam, id est, interiorem ferculi partem charitate constrauit; deinde ascēnsum purpureum, id est, velum, siue integumentum instratum dicit fuisse ferculo. Ibidem conuiuiū præbet in media pompa, paratum priùs à fœminis iisdem rebus, quas sponsa cum adolescentulis in eundem vsum attulerat, quásque cap.2. contineri diximus in voce אשישות *Asisah*; quas pomorum, & florum nomine expressit vulgatus cap. 2. sed cap.5. myrrhæ, & aliorum aromatum; tum etiam vini, mellis, lactis, faui, melliti panis nomine fusiùs explicātur. Sic autem ibi Theo.

Nata auricoma Berenices
Arsinoë, quæ forma Helenam æquauerit ipsam,
Gratificans tibi (ô Venus) dilectum iam rebus Adonim
Omnibus eximiis colit, inuitásque colentes.
Quem iuxta arboribus, quæ munera cumque beatis
Nascuntur cumulata iacent: & germina florum,
Vernantes horti tenero candentibus ære
Argenti calathis seruati molliter adsunt.
Aurea præterea satiata alabastra liquore
Vnguinis Assyrij: sunt & pretiosa ciborum,
Qualia sæpe bona coxerunt fercula matres,
Cùm posita flores alba sartagine farri
Miscuerunt varios, quos in dulcissima mellis
Munera coniiciunt, olei liquamina mollis.

Nullus, meo iudicio, clariùs expressit sponsæ in suo amatorio ferculo delicias, quas hortum appellat, & sigillatim enumerat.

Idyllio 18. quod est Epithalamium Menelai, & Helenæ, puellas psaltrias cantantes inducit eodem numero, quo à Salomone cap.6. puellæ item cantatrices inducuntur, & eodem modo, atque ordine, & verbis non valdè diuersis. De numero, meo iudicio, res est non difficilis: inducit enim puellas numero sexaginta quater, id est, ducentas, & quadraginta. In hoc nostro Epithalamio primùm sexaginta Reginæ numerantur: deinde octoginta concubinæ viccenario numero plures. Porrò si eodem excessu adolescentulas numeres, erūt omnino centum, additis nimirum viginti ad octoginta, quo numero octoginta concubinæ sexaginta Reginas excedunt; atque ita puellarum numerus in vtroque Epithalamio idem.

De cantu idem videre mihi videor: nam quòd sponsus dicit cap. 6. tot Reginis, concubinis, atque adolescentulis esse præferendam Sulamitidem; idem apud Theocritum, totidem numero puellæ cantant.

tant. Dicunt enim forma Helenam longè sibi omnibus esse præferendam. Sic enim illæ:

Sexaginta quater numero sumus, omnibus idem
Virginitatis amor muliebris, & apta iuuentus.
Non tamen è nobis tam forma est vlla beata,
Quæ caruisse nota possit collata venustæ
Tyndaridi.———

Deinde, ne quis ambigeret ex Canticis Salomonis hunc esse locum expressum à Theocrito, illa, quæ puellæ Sionides post hæc subiiciunt, dum Sulamitidem cum aurora, Luna, & Sole componunt, illa eadem de Helena statim addunt psaltriæ apud Theocritum;

— Nam sicut, vbi nox abitura recessit,
Os croceum cœlo profert aurora renascens, &c.

Minuta sunt alia plurima apud eundem poëtam, vt cōparatio Helenæ cum equa Thessalica, quæ pulchrè trahit currum, & hoc eodem Idyllio Bucolica alia comparatio, qualis est cap. 2. *Sicut lilium inter spinas*; &, *Sicut malus inter ligna syluarum*; quæ aut expressit, aut imitatus est Theocritus, & ab hoc Virgilius Ecloga 1.

Quantùm lenta solent inter viburna cupressi.

Et Ecloga 5.

Lenta salix quantùm pallenti cedit oliuæ,
Puniceis humilis quantùm saliunca rosetis.

Et Idyl. 5. videtur expressisse illud Cant. cap. 2. *Capite nobis vulpes paruas, quæ demoliuntur vineas.* Ex his omnibus mihi verisimile est, Epithalamij legem, & ordinem ex his Canticis sumpsisse Theocritum, & ex hoc alios, vt putauit Origenes. Nunc quandoquidem alij Salomonem secuti sunt, videamus quem Salomon in hoc Cantico magistrum habuerit, quod exemplar spectarit.

PROLEGOMENON VI.

Quem sit imitatus Salomon in his Canticis.

EX profanis, atque externis scriptoribus, quem imitari potuerit Salomon, nullus fuit, quem, vt suprà vidimus ex Origene, ipsum imitati sunt, qui ad hoc amatorium, & Bucolicum scribendi genus stylum applicuerunt. Secutus est autem, meo iudicio, parentem suum Psaltem, & Prophetam planè Regium, tum Psal. 44. qui nuptialis est, tum maximè Psal. 67. in quo elucent omnes illæ partes, quibus hæc Cantica constare diximus. Quod patebit magis, vbi Psalmum totum fusiùs explicuerimus; qui vt ab hoc Epithalamio plurimùm lucis accipit, sic eidē vicissim præbet. Atque ideo mihi visum est, illa paucis ex eo Psal. non tam exponere, quàm proponere, quæ ipsi cum Canticis cōmunia sunt; totius verò Psalmi explicationem, absolutis iam, Deo dante, Canticis, adiungemus. 23. Salomon hæc Cantica expressit ex Psal. 67.

Et primùm, Psalmum vocari posse Epithalamium quoddam, mihi certum est; nam licèt, quia in eo victoriæ celebrantur, de Ægyptiis præsertim, Epinicium quoddam sit; quia tamen populum suum iam ab hostibus, miseráque fortuna liberatum sic accipit Deus, ornátque, sicut nobilis sponsus & ardenter amans suam sponsam, & amplectitur molliter, & omni cultu liberaliter instruit, Epithalamium dici non incommodè po-

ieſt; quia tam verba, quàm ornatus ex eo petita ſunt. Et ſanè, quæ hîc geſta dicuntur, aliis Scripturæ locis, nuptiarum nomine ſignificantur: nam pleraque contigiſſe ad montem Sinai, ipſius Pſalmi textus oſtendit. Ea verò deſponſationem
Ierem. 2. dici indicat Ierem. cap. 2. *Recordatus ſum tui, miſerans adoleſcentiam tuam, & charitatem deſponſationis tuæ.* Dicitur autem *adoleſcentia*, quia non multo poſtquã populus egreſſus eſt ab Ægypto, peruenit ad Si-
Ezech. 16. nai. Sed multo clariùs Ezech. c. 16. vbi cùm ſtatum ſatis ærumnoſum huius populi propoſuiſſet, addidit, *& ingreſſus ſum pactum tecum*; haud dubiè connubiale, quia ea in metaphora verſabatur. & explicat multo magis quod ſequitur, *& facta es mihi*, id eſt, vt exponit Hieronymus, & Theodoretus ſecundùm Scripturæ phraſim, *coniugio mihi copulata es.* Pactum verò fuit Exod.
Exod. 19. 19. vbi in monte Sinai hæc verba quaſi ſponſalitia per pronubum Moyſem locutus eſt Deus; *Si cuſtodieritis pactum meum, &c. eritis mihi in peculium de cunctis populis; mea eſt omnis terra. Et vos eritis mihi in Regnum Sacerdotale, & gens ſancta, &c. Reſponditque omnis populus ſimul: Cuncta quæ locutus eſt Dominus, faciemus.* Hæc deſponſatio fuit. Deinde in Ezechiele ſuprà ſequuntur plurima, atque illuſtria ornamenta pro mundo muliebri, qualia in hoc Epithalamio in ſponſæ cultum à ſponſo collata. Hinc, credo, ortum eſt, vt idololatria in Scriptura dicatur *fornicatio*; quia à connubiali hoc fœdere deficit idololatra. Quando ergo conſtat, in hoc Pſalmo aliquid ſonare nuptiale; age, videamus, quid ab eo in hæc Cantica fuerit à Salomone tranſlatum.

24. *Dominus dabit verbum euangelizantibus.*] Hebr. in fœmineo genere, *euangelizatricibus.* Hinc iam ſe prodit virginum chorus, quarum id erat proprium, vt Epithalamia canerẽt, & Epinicia. His ergo Deus, dum in ſuum populum non aliter, atque ſponſus liberalis, & indulgens eſt, *verbum dabit*, id eſt, argumentum ad laudem, in quod ipſæ *multa virtute*, id eſt, maximo conatu incumbant.

Rex virtutum dilecti dilecti.] De 25.
his pluribus in explicatione Pſalmi; nunc, quod ad noſtrum inſtitutum facit. Elegans quidam luſus eſt in ambiguitate vocabuli: *Rex* enim maieſtatem ſignificat, & potentiam; qua ratione hîc dicitur *Rex virtutum*: ſignificat præterea tenerum aliquid, & amatorium, quo ſibi ipſis ſponſi blandiuntur, dum ſe mutuò Reges, ac Reginas vocãt. Et ſanè Pſalmo 44. qui in titulo *dilectus* dicitur, ſtatim appellatur *Rex*, & ſponſa ibidem *Regina*. Heb. שגל *Seghel*, quæ alibi vertitur *uxor*. Eſt ergo huius loci ſententia: qui Rex fuit potens, & terribilis in debellandis hoſtibus, erit iam Rex amabilis, qualem in nuptiarum ſacris vocare ſponſa ſolet. Quòd ſi illud ידודן *Iidodun*, pro quo vulgatus *dilecti*, eſſet in recto *dilectus*, ſenſus eſſet ſatis expeditus; Ille qui Regem ſe præſtitit, & potentem in ſternendis hoſtibus, præſtabit ſe iam ſponſum largum in ornanda ſponſa. Sed eſt in genitiuo, vt ex Græco liquet. Nihilominùs ſenſus eſt, licèt paulo obſcurior, non tamen à ſuperiore diuerſus. *Rex erit dilecti dilecti*, id eſt, dilecti valdè; quem amat mirificè, vel quem dilectus, nempe populus, Regem appellat, dulci, atque amatorio blandimento.

Et ſpeciei domus diuidere ſpolia.] Hebr. pro *diuidere*, תחלק *Techallek*, Secundam perſonam eſſe credo

gene

generis maſculini, & ita accipio: *Qui Rex antè bellator fuerat, iam amator, & ſponſus ſpolia diuidet ſpeciei domus*, id eſt, domûs tuæ ſpecioſæ, & locupletis: vel ad ſpeciem domus ſponſæ, id eſt, ad eius inſtructum, & ornamentum. Quemadmodum verò illud, *diuidere*, aut nomen ſit, aut pro nomine ſumatur, dicemus pluribus ſuo loco.

26. *Si dormiatis inter medios cleros.*] Status hîc proponitur, & durus, & ſordidus, qualis eſt eorum, qui ruſticam vitam & ærumnoſam degunt. De agricolarum vita hîc agi puto, & indicant, meo iudicio,

Gen.49 apertè LXX. Gen. 49. vbi vulgatus habet de Iſſachar; *Accubans inter terminos*, ipſi legunt, *Dormiens inter medios cleros.* Vbi eadem vox שפתים *Sephataim*; & iidem vtrobique Interpretes. Quid illud ſit, ſtatim explicatur; *Et factus eſt vir agricola.* Et hoc ipſum indicat Moyſes Deut. 33. dum benedicens Iſſachar, de quo ſuperior ſermo, ait; *Lætare Iſſachar in tabernaculis tuis*; agricolam ſine dubio futurum prædicens. Illi ergo, quibus promittitur *auri pallor ad poſteriora dorſi*, & candor *argentea columbæ*, *inter cleros* priùs dormierunt; nam præceſſerunt illa miniſteria, atque ſeruitia dura, quæ in opere ruſtico ſubeunt agricolæ. Hoc ergo ſponſæ contigit, quæ inter medios cleros dormiuit; quando alienas vineas cuſtodiit, atque ibi nigrorem ab æſtu, & à temporum inclementia contraxit. Niſi mauis exiſtimare, tunc ſponſam inter medios cleros iacuiſſe, cùm in agris recèns nata, moritura relicta eſt; vnde excitata eſt, & ad ſponſæ dignitatem prouecta, vt de alia ſponſa dicitur Ezechielis 16. & de hac noſtra infrà cap. 8. vbi ſub arbore malo ſuſcitata eſt à ſponſo quo loco illam genit[illegible] [illegible]xa eſt.

Penna columbæ deargentatæ.] Quæ 27
inter medios cleros dormiunt, neceſſe eſt vri æſtu, ac gelu, atque ex colluuiem, atque ſuſcorem trahere. His ergo à Deo Pſaltes promittit candorem columbino ſimilem; nam ibi Hebræorum more intelligitur ſimilitudinis nota. Candida verò futura dicitur, quæ paulo antè fuſca iacuerat; quia ſponſa Hebræorum more, tunica ornabatur ſplendente, & candida; vt poſtea dicemus: vel certè, quia monilia, quæ data ſunt ſponſæ, inſtructa erant aureis columbis; & hoc oſtêdit ſponſus ipſe Cant. 1. Nam vbi vulgatus legit, *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento*; Heb. eſt תורים *Torim*, id eſt, *turtures*; ſicut paulo antè vulgatus ipſe reddidit. Et quidem turtures aurei cum argenteis vermiculis, indicant aliquid eſſe commune his Canticis cum Pſalmo, quem nunc verſamus; in quo argenteæ ſunt columbæ cum auri pallore.

Et poſteriora dorſi eius in pallore auri.] Pro quo noſter, *poſteriora dorſi*; Hebr. eſt אברה *Aberah*. Hæ ſcapulæ ſunt, quia nimirum dorſi pars extrema. Et ita vertit vulgatus, & Hieronymus Pſalm. 90. *Scapulis ſuis obumbrabit tibi.* Eſt autem optima deſcriptio ſponſæ ad nuptias cultæ, *quæ ſtola candida ornata eſt. & aureum monile geſtat ad collum.* Et certè ſponſa monilibus ad collum ſic ornata dicitur cap. 1. vt totum collum fuiſſe dicatur, *ſicut monilia.* Niſi mauis, quod mihi multo probatur magis, hîc promitti aureum reclinatorium, quale in ferculo Salomonis fuiſſe ſtatim traditur; vbi afflictæ priùs ſcapulæ *chamenuia*, & ſtrato duro, molliter, & [illegible] conceſſum rate requieſc[illegible] liquet ex capite 3. Cant.

Dum discernit cœlestis Reges super eam.] Dum Rex cœlestis à reliqua multitudine secernit, quos habiturus est sponsæ loco, quíque nuptiali blandimēto *Reges* appellātur. *Super eam*, siue columbam: nam columba coniugij symbolum est, & columba sæpe vocatur sponsa: seu potiùs *super eam*, id est, ad hoc, vulgato Scripturæ more; vbi genus fœmineum pro neutro ponitur: ac si dicat: Ad hoc, vt sponsæ gloriam, & decorē consecrat. Sed idem fermè est in vtraque expositione sensus.

28. *Niue dealbabuntur in Selmon.*] Selmon, mons est, vt indicat ipsa nominis ratio, vmbrosus, & obscurus; vnde, vt suspicor, pro obscuritate sumitur. Neque nouum est in Scriptura, vt nomina communia formam habeant propriorum, sicut cap. 2. Bether, *confractionem* valet, & *arduum*; & LXX. Pl..., *umbrosum*, & Amana, *principium*... vertunt: quæ tamen formam ... nominum propriorum. Secundùm hanc acceptionem, hæc est sententia: Si in Selmō, id est, in nigredine, fuerint, dealbabuntur sicut nix. Quod sponsæ accidit, cui cùm se nigram confessa esset, à sponso dictum est, *Quàm pulchræ sunt genæ tuæ*. Heb. *pulchruerunt*, & iuxta LXX. *pulchræ factæ sunt*. Et c. 8. vbi nos ... *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto?* LXX. *quæ ascēdit dealbata?* Quòd si Selmon montē obscurum, candidū esse dicas à niue, sensuerit: Albi erant sicut nix quæ est in Selmon: siue accidet, quod vsuuenit in Selmon; qui cùm obscurus sit, niue tamen aliunde veniente candicat. Porrò *dealbari niue*, est idem, quod sicut nix; ea forma, qua eodem Psalmo dicitur, *probati sunt argento*, id est, sicut argentum; & Cāt. ...

Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus, mons pinguis: vt quid suspicamini montes coagulatos] Steriles dicit, & ignobiles alios montes præ monte Dei pingui, & coagulato. Sic in Canticis hortatur spōsus dilectam, vt secum veniat in montem myrrhæ, & collem thuris, id est, in Ierusalē; & relinquat patrios montes, Libanum, Sanir, & Hermō, qui præ Ierusalē squallidi sunt, & infelices.

Currus Dei decem millibus multiplex, & millia lætantium.] Hîc iam apparet Salomonis ferculum, in quo stipati frequenti psallentium turba traducuntur sponsi.

Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem: accepisti dona in hominibus.] Ascendit Deus in currum, nempe genialem, & populum antè captiuum, secum in illum sustulit, parauitque dona, quæ in turbam comitantem effunderet; quod & spōsus fecit cap. 5. Nam quæ ad exhilarandas nuptias antè parauerat, in ipso cursu largè profundit cùm dicit; *Comedite amici, bibite, & inebriamini charissimi*. Porrò *altū* pro ferculo geniali sumi, docebimus suo loco, ex Optato Mileuitano lib. 6. post medium.

Præuenerūt Principes coniuncti psallentibus in medio iuuencularum tympanistriarum.] Ipsi Principes, id est, sponsi, qui in eo Dramate primas partes agunt, vel quia Principes, & Reges appellantur blandimento quodam amatorio, in cantu præcedent; sequentur verò puellæ tympanistriæ. Quod planè in nostro Epithalamio seruatum est: nam semper in cantu præeunt sponsus, & sponsa, & virgines sodales succedunt.

Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu.] Hîc iam ostētat se somnus sponsæ; nam pro *excessu mentis*, Hebraicè est רדם *Rodē*, id est, *soporatus*. Neque vacat mysterio; quòd ibi præcipuè exprimatur Beniamin; tū ne videa

ne videatur contemptus, aut prætermissus, quia omnium est minimus: tum maximè, quia magis hic accedit ad mores, & speciem sponsæ; quia & maximè dilectus à patre, quia more sponsæ polymita veste, id est, versicolore, ornatus; & quia in benedictionibus Moysis Deuteron. 33. sponsæ deliciæ, atque indulgentiæ illi promittuntur. *Beniamin*, inquit, *amantissimus Domini habitabit confidenter in eo: quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet.* LXX. vertunt, *obumbrabit ei*; quæ vox nuptiales delicias, & situs indicat. Ad quem locum videtur allusisse Dauid in hoc Psalmo. At in curru spōsi somnum sponsam capere eorum est, vt ex cap. 3. atque & liquet.

29. Propositum esse Salomoni hunc Psalmum, in quem intentus tanquam in quandam Epithalamij formam, & exemplar, diuinum hunc hymenæum caneret, ipse videtur insinuare, dum dicit, *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te.* nā licèt Psalmus iste in Epithalamij formam scriptus sit, quia amatoriè, & indulgēter Deus populum suum antè durè iactatum accipit & amplectitur, tamen quia illum ex seruitute Pharaonis eripuit, ipso malè multato, atque demerso, victoriam Christi continet, & triumphum. Porrò triumphi descriptio illo cōplexo continetur, *Equitatui in curribus.* Illud verò, *Pharaonis*, passiuè sumitur, perinde ac si dicas, de Pharaone triumphato. Ait ergo sponsus, *assimilaui te*, id est, statuam in te viuum exemplar eius sponsæ, quæ in triumpho de Pharaone describitur. vbi, *assimilaui*, pro futuro ponitur, quia assimilatio breui futura est: iuxta ea, quæ dicam ad illud capit. *Introduxit me.* Triumphus verò sumitur pro eis, quæ narrantur in eo triumpho, id est, pro adiunctis ipsius, scilicet, lætitia, cantu, & cultu.

PROLEGOMENON VII.

De argumento, filoque totius operis.

30. Filarque ordo huius Epithalamij.

LAborare hîc video plerosque Interpretum in inuestigādo texendóque ordine, ac filo huius Epithalamij; quod cùm passim rumpi existiment, neque facilè astringi posse, abiiciunt cum spe, ipsamquoque curam connectendi cum superioribus consequentia. Est sanè difficile negotium, neque, quod ego viderim, satis à quoquam expeditum; neque ego id mihi assumo, vt fieri à me posse sperem, quod alij, vt ipsi quoque fatentur ingenuè, consequuti non sunt. Aliquid tamē conandum in re ardua; in quo aliquid inuenisse, si modò id contingat, magnum est. Id igitur agamus.

In hoc Epithalamio, vt diximus Prolegomeno 3. forma proponitur quam & olim in nuptiis seruabant Hebræi, & nunc etiam magna ex parte seruant, vt ex illorum Rituali constat: nam & illa legitimi inter homines connubij honestum exemplar, & mystici inter Deum, & animam optimum symbolum proponit. Fert autem ipsa rerum natura, vt ante legitimum, atque solemnem apparatum, & plausum in vulgaribus nuptiis, & multo magis in spiritualibus, quarum hîc vmbrā intuemur, præcedat spōsæ vocatio, tum etiam inuitatio, & congregatio illorum, qui & honoris gratiā comitantur nuptias, & Epithalamium cantant. Ambiunt autem à viris fœminarum nuptias, potiùs quā à fœminis virorum, omnium penè Gen

Gentium consuetudo docet; & inter Hebræos exempla occurrunt in Scriptura nō pauca. Apud quos ita, aut lege, aut consuetudine receptum, vt prodigij instar sit, si fœmina vnquam viri coniugium ambiat. In hunc sensum explicant aliqui, neque, meo iudicio, malè, illud Ierem. 31. *Quia creauit Dominus nouum super terram; fœmina circundabit virum.* Hæc verò ambitio & euocatio spōsæ, artificiosè ab authore sacro per ἀνακεφαλαίωσιν collocatur. Euocatio quidem cap. 2. ambitio verò sponsæ, & eiusdem, atque sodalium inuitatio cap. 5. Vbi etiam narratur, quid euocata sponsa consilij, atque laboris susceperit.

Deinde sponsa dilectum suum, à quo euocata fuerat, vt eius narratione constat in cap. 5. anxiè atque studiosè quętit in cap. 1. neque enim in principio horum Canticorum inuenisse fingitur dilectum suum, quem in cap. 5. quærebat; sed adhuc cum puellis sociis quærit, ac tandem inuenit in hortis, ad quos dixerat descendisse sponsum. Continet verò hæc secunda scena primùm spōsæ dolorem, ac sollicitudinem de absentia sponsi, ab eo loco capitis 6. in quo iam hortis, atque sponso proxima dixerat, *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Vbi se totam in sponso esse fatetur, & præter illum nihil aut curare, aut velle; cui voci satis aptè coniungitur illud 1. capitis; *Osculetur me osculo oris sui*, & quæ sequuntur. vbi cùm c. 5. quod ordine historico primum esse debuit, sponsi dignitatem, ac merita multis esset prosecuta, suam hîc indignitatem ostēdit, dum se nigram, & rusticam fatetur. Fingitur verò hîc occurrere sponso ea specie, quā à custodibus ciuitatis attulit, sine pallio, & saucia; tota denique miserabilis, quam statim sponsus consolatur, atque erigit talia pollicitus, qualia à liberali, ac locuplete sponso, præstari solent: eáque eadem scena cumulatè confert.

Tertia scena, quæ secundo capite continetur, celebrantur nuptiæ sub geniali thalamo, id est, sub velo, aut cœlo quod suspenditur super nouorum coniugum caput, vbi contractus fit nuptialis, & annulus datur sponsæ. Vide quę dicuntur infrà ad illud cap. 2. *Sub vmbram illius.* Deindè ea parantur, quæ conuiuiū instruunt, & conuiuas exhilarant, nam id agit sponsa dum fulciri se malis, & floribus petit. Vbi occasione seueræ adiurationis, qua sponsus cauet, ne quis dormienti sponsæ somnum obturbet, commemorat sponsa dilecti, & suauissimum ingenium, & innumera officia; quæ continentur oratione longa, quam dicit se audiuisse à sponso; audiuit autem ea nocte, qua excitata est, & ad horros vocata. De quo cap. 5.

Quarta scena, quæ incipit cap. 3. sponsos in ferculo, id est, mobili, & geniali lecto componit, mouetque pompam, cursumque nuptialem in sponsi domum. Ad hanc scenam pertinent quæ deinde ad caput vsque octauum interiecta sunt; nam nihil toto illo tractu, quàm longus est, continetur præter nouorum cōiugum laudes, & hymenæum; quæ partim ab ipsis sponsis, partim à filiabus Sion, psaltriis nempe puellis, celebrantur.

Quinta scena, quæ est cap. 8. spōsam sistit ad sponsi fores; ibi audit connubialia præcepta, ibi coniugalis, id est, casti amoris natura describitur. Ac tandem sancto, atque legitimo complexu, publica, atque solemni ceremonia matrimonium contrahitur.

Ex quo constat, diuinum hunc 31. Psalmum in hoc sacro Epithalamio

ser

Non semper eodē ordine res narrata, quo gesta.

seruasse id, quod in compositione Dramatica maximè commendant qui de ea præcepta tradiderunt, vt Horatius in Arte, & Arist. Hi enim docent, ad speciosam & festiuam narrationem, quales sunt poëticæ, & in his multo magis Dramaticæ, conferre plurimùm, si non suo loco, quod plerunque faciunt historici, sed postea per nuncium, aut propter occasionem opportunè oblatam, alieno, non tam loco, quàm tempore referantur. Quare quæ priùs contigerunt, illa posteriùs non agi in Dramate, sed referri facta, vsitatum est. Exempla plurima apud Ouidium in Metamorphosi; & est optimum exemplum apud Homerum, qui, quæ multo antè contigerunt, multo pòst commemorat per Vlyssem, quem obita ante illud tempus infortunia narrantem inducit. Eodem artificio Virgilius narrantem facit Æneam 2. & 3. lib. Æneid. quæ multo antecesserunt ea, quæ in primo narrantur. Et in Dramatibus obuiū, vbi ab interposita persona, siue choro, narrantur in medio cursu, quæ rem præsētem ad illum vsque articulum deduxerunt. Quod tunc fit maximè, cùm aliquid fieri non potest, nisi difficilè, aut indecorè. Quale esset omnino, si sponsus teneram illam, & longam haberet orationem, eámque nocturno tempore, in quo hæc opportunè exhiberi non poterant. Quare id, quod noctu factum est, meliori tempore totum expressit sponsa, dum amici oblatis à sponso epulis fruuntur. Nam vbi sponsus dixit, *Comedite amici*, ipsa canit; *Ego dormio, & cor meum vigilat:* producítque narrationem ad illud cap. 6. *dilectus meus mihi*; quod indicare videntur prima Epithalamij verba, *Osculetur me osculo oris sui:* nam illud relatiuum *sui*, aliquid indicat præcessisse. Et quod per ἀνακεφαλαίωσιν postea narrat sponsa cap. 2. & 5. idem etiam facit sponsus in fine c. 6. qui etiam exponit, quid ipse fecerit, quando præcedenti nocte à sponsæ foribus se dubduxit; *Descendi in hortum meum*, &c.

PROLEGOMENON VIII.

Quòd interdum idem nomen commune sit rei vestitæ, aut ornatæ, & eiusdem ornamento, atque integumento.

VT ab his purissimis Canticis 32.
omnem suspicionem remouetemus eorum, quæ minùs decerent sanctum, ac spirituale connubium, suis locis ostendimus, aliqua non esse sumenda propriè de corporis membris, sed figuratè de illorum integumento, siue ornatu. Quod commentum licèt à nobis primùm non sit, tamen quia aliquid habere noui alicui videri poterát, minúsque ex sacræ Scripturæ consuetudine; faciendum mihi putaui, antequàm ad singula descendo, ne deinceps in hac salebra sæpius hærendum sit, vt hæc neque noua esse, neque à sacræ Scripturæ consuetudine aliena demonstrarem. Et primùm de indumentis, siue tegumentis, mox de ornamentis erit disputatio.

PROLEGOMENON IX.

Quòd indumenta significantur aliquando nomine illius partis quæ tegitur.

33. VSitatum eſt apud omnes ferme nationes, vt commune aliquod nomen ſit veſti, & parti corporis veſtitæ, apud Hiſpanos ſatis frequens, qui *cuerpo*, *cuello*, *puños*, *muſlos*, *mollera*, *pecho*, *eſpalda*, dicunt harum etiam partium operimenta. Apud Latinos minùs vſitatum, neque tamen illi omnino carent exemplo, nam *latus* in veſte dicitur, quod latus tegit. Virg. lib. 12. Æneid. —*Laterum iunctura fibula mordet.* *Buccula* eſt id, quod ſonat, & pars illa in galea, quæ bucculam munit. *Sinus* pars eſt corporis inter brachia, aut in ipſo brachiorum complexu, id eſt, vbera, præcordia, pectus. Pars item veſtimenti, quæ illa tegit, & ornat, de qua infrà cap. 4. ad illud, *Vbera tua.* Cicero Actione 5. in Verrem *collum* adhibuit, & *crines*, pro colli, criniúmque ornamentis, id eſt, torquibus, & mitris. Ait enim vſitatum eſſe regibus Syriæ, ac Perſidis, vt certas ciuitates in vxorum collum & crines attribuerent, id eſt, vt in eorum ornamenta pecuniam conferrent. vbi proculdubio *collum*, pro collari, & *crines*, pro crinalibus adhibentur. Apud Græcos non minùs exemplorum. Θώραξ *thorax*, pars illa corporis eſt, quæ à collo ad imum vſque ventrem pèrtinet, & eius munimentũ, & tegumẽ. Πέζα, teſte Heſichio, pedem ſignificat, & partem imam veſtis, ſeu fimbriam, quæ pedem operit, aut lambit. Et illud Thren. 1. *Sordes eius in pedibus eius*, quidam ſic accipiunt, vt in pedibus veſtimentorum intelligant fimbrias; & ita vertunt cum Chaldæo Pagninus, & Tigurina. Ζώνη item, ex eodem Heſichio, cingulum eſt, & pars illa media corporis, quæ cingitur. Κόλπος idem omnino valet, quod de *ſinu* nuper diximus, de quo poſtea ſuo loco pluribus. Apud Hebræos non minùs ſæpe גף *Gaph*, corpus ſignificat, & totius corporis indumentum. Exod. 21. Exod. 21.
num. 3. *Cum qua veſte intrauit, & cum tali exeat.* Pagninus, & Vatablus, *cum corpore.* כתפות *Cetphot*, humeros ſignificat, & id, quod humeros induit, id eſt, humerale. רגל *Reghel*, pedem ſignificat, & calceum, iuxta illorum ſententiam, qui, meo iudicio, bene explicant illud Deut. 8. num. 4. *Veſtimentum* Deut. 8.
tuum quo operiebaris, nequaquam vetuſtate defecit; & pes tuus non eſt ſubtritus, id eſt, calceus. Eodem modo Eſdræ lib. 2. cap. 9. num. 21. *Veſtimenta eorum non inueterauerunt, & pedes eorum non ſunt attriti.* Quod ita planè eſſe intelligendum perſuadet locus alius huic non tam ſimilis, aut affinis, quàm omnino idem; in quo pro *pede* expreſsè *calceamentum* ponitur, Deuter. cap. 29. Deut. 29.
num. 5. *Adduxi vos quadraginta annis per deſertum: non ſunt attrita veſtimenta veſtra, nec calceamẽta pedum veſtrorũ vetuſtate conſumpta ſunt.* In eandem ſententiam explicuimus illud Iſaiæ 41. n. 3. *Semita in pedibus eius non* Iſaiæ 41.
apparebit. vbi ſine dubio alluſum eſt ad loca modò citata; in quibus ſemitæ labor in pedibus, id eſt, in calceamentis ſemper recentibus non apparuit. חיק *Chec*, ſinum ſignificat, & id, quo ſinus operitur; de quo alio loco. סרבל *Sarbal*, id eſt, Sarabballa quid.
Saraballa, vt docet Hieronymus in 3. cap. Danielis, lingua Chaldæorum tibiæ ſunt, & id, quod tibias veſtit, id eſt, tibialia. De ventre mihi

mihi est valde verisimile, vt posteà dicam ad illud cap. 5. *Venter eius eburneus.*

34. Vberum tegumé-tum. De vberibus, quorum sæpe mentio fit in his Canticis, si quis hoc idem affirmaret, non haberet me ad illam cogitationem difficilem, quia illius vestigia non obscura sunt. Est enim notũ aliquod esse, saltem apud profanos, vberum ornamentum, quod tegit, & cohibet vbera, quod *mammillare* dicitur. Quod esse è corio, referréque vberum similitudinem, videtur posse colligi è Martiali lib. 14. Epig. 66. cuius titulus est *Mammillare*, quod apparet ad mammosam aliquam fœminam datum fuisse;

Taurino poteras pectus circundare tergo:
Nam pellis mammas non capit ista tuas.

Neque ex strophij forma parum assumitur lucis ad hanc coniecturam: constat enim strophium esse, aut, quod modo mammillare dicebamus, seu pectoralem fasciam. In strophio verò esse aliquid tumoris liquet, quia à Græcis στρογγύλος dicitur; vide Hesichium, & Pollucem; quod *rotundum* significat. Imò id & Latini suadent, quibus strophium *teres* vocatur. Catullus in Argon.

Non tereti strophio lactantes vincta papillas.

Quòd verò στρογγύλος, quod strophij epithetõ est, significet non solùm corpus longum, rotundum, qualis columna est, aut cylindrus, sed etiam ex omni parte in se ipsum conglobatum, & sphæricum, docet Hesichius, qui exponit συνεστραμμένος; & Aristophanes grãdines Græcè χαλάζας στρογγύλας appellat: at grandines rotundæ sunt. Et ab Alexandro *adenes*, id est, glandulæ, modò στρογγυλοειδεῖς, modò σφαιροειδεῖς vocantur. Ex quo fit verisimile, zonam mammillarem, ex eo, quòd abeat in turbinatam, seu orbicularem formam, propter tumorem στρογγύλην vocari. Neque durum videri debet, vt strophium propter mãmillarum tumorẽ, quẽ in se habet, vocetur rotundum, & quasi papillatum, imò quòd mammilla vocetur; quia zona, quoniam ab illa crumena pẽdet, crumena dicitur: neque id tantùm apud profanos authores, sed etiã sacros. De sacris constat Matth. 10. & Mar. 6. vbi iubentur Discipuli, ne pecuniã habeãt in zonis. De profanis multo expressiùs. Caius Gracchus apud Gellium lib. 15. cap. 12. *Zonas quas plenas argenti extuli, eas ex Prouincia inanes retuli*, id est, crumenas. Et prouerbiali figura zonam perdidisse dicitur, qui pecuniam amisit. Quid ergo mirum, si cùm crumena, quia in zona est, zona vocatur, semisphærica illa vberum cõceptacula, quia in strophio sunt, strophium appellentur?

Habuisse Romanas fœminas mammillarum aliquod præcipuum ornamentum, seu integumentũm, ex dictis videtur satis verisimile; sed quòd illud, quidquid est, papillarum nomen habuerit commune vtique cum eo, quod ornat, aut velat, nonnulla coniectura sumitur ex eo, quòd expapillatam illam fœminam appellamus, cui mammæ detracta veste nudatæ sunt. Eo sanè verbo vsus est Plautus in *Milite* scena 6. vbi simulato Nauclero iubet, vt pallium assumat; *Id*, inquit, *erit connexum humero læuo, expapillato brachio*, id est, vt exponit Festus, nudatò vsque ad papillas, seu cum ipsis papillis, nempe, vt non tantùm detractum sit id, quod brachij, sed etiam id, quod papillarum tegumentum est. Ad quod obseruo,

quoties Latina præpositio *ex* verbis adiungitur ab eo nomine deriuatis, quod ornamentum, aut operimentum significat, eo verbo indicari, tale ornamentum, siue operimentum ab aliquo fuisse detractum, vt *excalceo*, *exfibulo*, *exarmo*; sic etiam expapillatam esse aliquã (v. g. Phrygnẽ meretricem, quæ nudatis vberibus, & ostenso pectoris candore, iam iam damnanda supplicium effugit capitale) nihil est aliud, quàm detractum esse velamentum illud, quod papilla dicitur. Nam si à papillis in significatione propria *expapillo* deducas, significabis, puto, papillas esse amputatas; sicut de Amazonibus propriè diceres; nam alia verba quæ eadem forma à corporis partibus deducuntur, planè significant amputatas esse, aut exectas partes illas, vnde componuntur; vt *exoculo*, *exosso*, *excerebro*, *excorio*, *experno*. Sed quis dicat, expapillatę Phrygnę exectas fuisse papillas: idem, credo, dici posset de verbo *expectoro*, tametsi propter alias proprietates, alios vsus habeat apud Latinos; apud quos toga expectorata dicitur, quia ea parte caret, quæ pectus velat. Qualem esse Candidatorum legisse me alicubi memini; quo habitu præ se ferebant, animum se afferre ad petitionem simplicem, & candidum. Si ergo expectorata vestis dicitur, pectus vtique erat, quod vesti detractum fuit; & tam expapillatæ fœminæ, quàm expectorati viri Hispanicè *des pechugados* dicuntur, quia sicut apud Latinos *papilla*, & *pectus*; sic etiam apud Hispanos *pecho* pars illa vestimenti est, quæ pe-
35. ctus tegit, & munit. Faciunt hanc sententiam satis probabilem in hac eadem materia tria nomina, sed potiùs vnum in tribus linguis. *Sinus*
Sinus quid. apud Latinos; Κόλπος apud Græcos; חיק *Chec*, apud Hebræos, quæ & partem illam corporis significant, quæ brachiorum complexu continetur, nempe, *præcordia*, *pectus*, *vbera* & partes vestium, quæ membra eadem corporis muniunt, & tegũt. De voce Latina *Sinus*, quo ad illam corporis partem, quæ ad mammillas, pectúsque pertinet, exempla sunt plurima. Ouid. epist. 5.

Attoniti micuère sinus, gelidusq́ꝫ cucurrit,
Vt mihi narrasti, dura per ossa timor.

Hinc illud tritum, *amare*, & *gestare in sinu*, id est, in præcordiis. De veste, quæ pectus tegit, & vbera, est illud Cicer. ad Q. fratrem; *In sinu est, neque ego discingor*: & clariùs Ouidius 1. Fastor.

Illa super suras tunicas collecta ministrat,
Altera dissuto pectus aperta sinu.

De Græca voce Κόλπος, neque pauciora, neque minùs illustria sunt exempla. De præcordiis, ac pectore, illud illustrissimum, & instar omnium Ioannis 7. *Vnigenitus, qui est in sinu Patris*. Græcè, εἰς κόλπον. De veste, quæ pectus velat, docet apertè Lucianus in Hermothimo ad mediũ, vbi bis dicit in κόλπῳ, id est, *in sinu*, occultatã fuisse phialam; & illud Theocriti ὑπὸ κόλπῳ χεῖρας ἔχειν, id est, *in sinu manus habere*; quod in Prouerbium abiit.

De Hebraica voce res est clarior. Pro pectore, & præcordiis, Iob. cap. 19. *Reposita est spes mea in sinu meo*: & Eccli. 7. *Ira in sinu stulti requiescit*. Pro veste, quæ sinum cõdit, Exod. 4. *Mitte manum tuam in sinum tuum: quam cùm misisset in sinum, protulit leprosam*. Sanè vsitatum est, sinum pro complexu sumi; qua ratione sponsa dicitur dormire in sinu sponsi, & pueri in sinu matrum suarum esse. Vbi non facilè distin

Iob. 19.
Eccli. 7.
Exod. 4.

distinguas, an pro veste *sinus* sumẽdus sit, in quo inuoluti videri possent, & operti infantes; an pro pectore, & brachiorum complexu. Neque est improbabile, cùm sponsi sui vbera cap. 1. meliora esse vino canit sponsa, id optare, vt requiescat in sponsi sinu, vt possit verè canere illud familiare in Epithalamiis; *Laua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.*

36. *Femur pro tegumẽto femoris.* De femoribus multo mihi certius est: quia minùs decere puto sponsæ modestiam, & sanctarum nuptiarum puritatem, nominari in hoc Epithalamio femorum iũcturam. Sanè femur pro femorum ornamento sumi, alienum non est ab Hispanis, qui femorum tegumenta *muslos* vocant. Neque alio sensu pũto dictum esse Apoc. cap. 19. in femore Domini scriptum esse, *Rex Regũ.* Vide c. 7. ad illud, *Iũctura femorũ.*

Huic nostræ cogitationi prælucet Hieronymus in illud Dan. cap. 3. *Et confestim viri illi vincti cum braccis suis.* vbi dicit: *Lingua Chaldaorũ saraballa crura hominum vocantur, & tibia, & ὁμωνύμως etiam bracca eorum, quibus crura teguntur, & tibia.* Vbi sine dubio in tibiis, & cruribus femora esse intelligit Hieronymus: nam saraballa ipse braccas exponit; de cuius significatione statim. Neque apparet, cur dicere debuerit esse integumenta crurum, ac tibiarum, nisi etiam ibi femora intelligeret: cùm idem necessarium futurum fuerit crurum, & tibiarum tegumentum. Quare vox Chaldaica id valet, quod Latini dicunt *feminicruralia.* Et quidem voce Chaldaica סרבל *Sarbal*, quam Hieronymus modò *saraballa*, modò *braccas* conuertit, vt putat Elias in Tisbi, femoralia significat; vnde deducta videri potest vox Hispanica *Zaragueles.* Et hoc ipsum sibi velle braccas docet Isidorus. *Femoralia,* inquit, *appellata, eo quòd femora tegant ipsa, & bracca, quòd sint breues, & verecunda hominis iis velentur.* Imò & Hieronymus eam esse dicit braccarum significationem epistola ad Fabiolam de veste Sacerdotali; sicut etiam putat Ambros. lib. 1. de Offic. cap. 11. Hanc eandem vocem, teste Hieron. in cap. 3. Dan. reddidit Symmachus ἀναξυρίδας, quæ vox, vt putat Suidas, braccas significat, & femoralia. Et ne vllum dubitandi locum nobis relinqueret Græcus author, vocem adhibuit Latinam; sic enim tria nomina coniunxit synonyma, φημινάλια, ἀναξυρίδας, βράκια. Eodem penè modo Hesichius, qui vocem etiam Latinam adhibuit. Et ad huc explicatiùs Suidas, qui ἀναξυρίδας esse dicit τὰ ἀμφὶ τὰ αἰδοῖα. i. *ea quæ tegũt illa, quæ pudor nudari non permittit.* Cũ ergo constet ex Hieronymo, vocẽ Chaldaicam סרבל *Sarbal*, id est, *saraballa* significare partem corporis, & eius vestimentum, & ex omnium pene consensu illud femorale sit, fit satis veri simile, commune esse aliquod nomen, & femori, & femoris inuolucro, eodem omnino modo, quo apud Hispanos *muslos.*

Huc valdè facit, quòd vox Hebraica שול *Sul*, quæ millies in Scriptura *fimbriam* significat, & *laciniam*, interdum pro ea parte corporis adhibetur, quæ eo vestimenti genere, aut parte tegitur. Quare Hieronymus vocem שול *Sul*, modò *pedes* reddit, quia pars vestis extrema fimbriata ad pedes aliquando defluit. Thren. 1. *Sordes eius in pedibus eius*; modò *verecunda*. Ierem. 13. v. 22. *Reuelata sunt verecundiora tua*; modò *pudenda*. Nahum cap. 3. v. 5. *Reuelabo pudenda tua*; &, quod magis ad nostrum institutum facit, modò

femora. Ierem. 13. v. 26. *Ego nudaui femora tua*. Fortasse quia vestis illa polymita, & varia, à qua sponsa dicitur *circundata varietate*, ad genua tantùm vsque demittebatur. Et ideo pro his corporis membris adhibetur quas proximè cohibent, & ornant illius integumenti oræ fimbriatæ, qualia sunt femora, & quæ non nisi ad ignominiam reuelari solent. Quòd si Adriano Iunio credimus, etiam vox Græca *μηρὸν*, *femur* valet, & *id quo femur operitur*: nam in Adagiis, quæ addidit Erasmo, centuria 1. Adagio 47. *μηρὸν θυραιὸν*, quod est apud Sophoclem, sic vertit, *fenestratum femur*. Quæ quis non videt de femorali tegumento, Laconico more discisso optimè; de femore autem dici nullo modo posse? Neque aliter, meo iudicio, sentit Ambrosius, qui Sermon. 17. in Psalm. 118. vbi vulgatus habet, *iunctura femorum*, pro quo ipse *modulos* legit; modulos ornamenta esse dicit. Quare ibi femora in significatione propria non sumit: neque enim moduli seu iuncturæ femora constringunt, aut confibulant, sed eorum integumenta.

37. Quòd si hoc alicui minùs probabitur, quod non puto, illud certè minùs videbitur difficile, si per metonymiam rem contentam pro continenti positam esse dicamus; quod in profanis sæpe, & in sacris scriptoribus non rarò deprehendimus. Qua ratione *Vcalegontem*, pro ipsius domo, & *S. Petrum*, *& Paulum*, pro ipsorum templis, *manes*, *& Plutonem*, pro inferno, & *pisces*, pro conchis, *boum*, pro bouina pelle; & eius generis alia passim adhibemus. Sed in sacra Scriptura non minùs frequens, & in his Canticis ex multorum sententia, exempla non obscura. Nam cap. 5. ideo manus sponsi dicuntur *plenæ hiacynthis*; quia hiacynthi in annulis, qui manus ornant, & quodam modo cōtinent, inclusi sunt; & caput sponsi *aurum optimum* cap. 5. quia aurea corona redimitum; & iterum cap. 7. sponsæ caput *Carmelo simile*, propter coronæ eximie varietatem, & nitorem. Neque aliter accipio illud Prou. 3. & 6. vbi præcepta Dei ligari iubentur *in gutture*, siue, vt Hebraicus habet textus, *in gutturibus*, & *in manibus*, & *digitis*: nisi quia insculpenda sunt in torquibus, annulis, & armillis, in quibus gestari solent, quæ in amore nobis, aut in honore sunt; vt dicemus statim. Et vt minimùm sic accipienda sunt, quæ suprà diximus commune habere vocabulum cum his, quibus teguntur, aut ornantur; qualia sunt *corpus*, *humerus*, *pes*, *tibia*, &c. Quid ergo, aut nouum, aut inusitatum, si eadem sermonis forma, existimemus, *ventrem*, *femora*, *vmbilicum*, pro eorum tegumentis, atque ornamentis adhiberi?

Per metonymiam vestis pro parte vestita sumitur.

PROLEGOMENON X.

Quòd ornamenta commune nomen habeant cum parte ornata.

SAtis constat, in vsu fuisse non apud Gentiles solùm, sed etiam apud Hebræos, vt eorum, quos charos habent, aut aliqua ratione venerandos, imagines gestent in annulis, laminis, & ornamentis illis, quibus imprimi, aut in quibus cælari sigilla solent. De Gentilibus docuit Cicero de Finibus, cùm ageret de Epicuro. *Eius*, inquit, *imaginem non modò in tabulis nostri familiares, sed etiam in poculis, & annulis habent*. Idem Plinius lib. 35. cap. 38.

Charorū imagines gestari solitæ.

cap.2.& Clemens Alex.lib.3.Pædagogi cap.11.non longè à principio, monet ne idolorum imagines cælentur in annulis. Huc facit illud Pythagoræ tritum; *in annulo Dei imaginem non esse gestandam.* Quod alienum non est ab Hebræorum consuetudine:quod colligo ex Genes.cap.35.vbi cùm Iacob à suis domesticis idola petiisset, vt ea postea sub terebinthum infoderet, statim subditur: *Dederunt ergo ei omnes deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum.* Inaures verò habuisse idolorum formas, docuit Augustinus quæstionibus super Genes.quæst.112. *Quæritur*, inquit,*quare & inaures dederint, quæ, si ornamenta erant, ad idololatriam non pertinebant; nisi quia intelligendum est phylacteria fuisse deorum alienorum; nam Rebeccam à seruo Abrahæ inaures accepisse, Scriptura testatur; quod non fieret, si in eis inaures habere ornamenti gratiâ non liceret. Ergo illæ inaures, quæ cum idolis data sunt, vt dictum est, idolorum phylacteria fuerunt.* Hæc Aug. Chrysost. Hom. 35.in Genes. *Et dederunt Iacobo deos alienos; non enim erant sui; & inaures, quæ erant in auribus eorum: fortè enim, & hæc signa erant istorum idolorum, ideo hæc cum diis afferunt Iacob.* Idem putat Lyra, & vtraque Glossa. Ostendit verò translatio Septuaginta,& Chaldaica Paraphrasis, in manibus quoque habuisse deos, sicut in auribus, id est, in annulis, seu armillis; sic enim LXX. *Dederunt Iacob deos alienos, qui erant in manibus eorum, & inaures, quæ erant in auribus eorum.* Eodem ferme modo Chaldæus, consentaneè ad textum Hebraicum, qui manuum quoque meminit: Vt ergo hi idolorum effigiem, siue aliquod Gentilitiæ superstitionis phylacterium gestabant in manuũ, atque aurium ornamentis; sic

Gene. 35.

etiam longè post illa tempora Iudæi non solùm impij, & auitæ Religionis immemores; sed etiam maximè pij, & Diuinæ Religionis obseruantissimi, phylacterium aliquod suæ Religionis, aut aliquam imaginem rerum, quas amabant, ferebant in familiaribus ornamentis. De piis postea aliquid, dum exponemus quædam Prouerbiorum loca; nunc satis sit argumenti Psalmus 136. vbi captiui Iudæi id ipsum videntur indicare. Gestabant, credo, cùm Babylonem migrarent, in annulis, aut armillis insculptam Ierusalem, cuius obliuisci non poterãt, nisi manuum suarum obliuiscerentur;& ideo dicunt se, quandiu manus habebunt, non futuros immemores Ierusalem; *Si oblitus fuero tui, Ierusalem, obliuioni detur dextera mea*, id est, dabitur, Hebræorum more, qui imperatiuum adhibet pro futuro. Et eodem modo explico, quod statim additur; *Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui*, id est, adhærebit. Quasi dicat: nisi lingua faucibus adhæserit. Ad quam amãtium consuetudinem sine dubio allusit Deus Isaiæ 49. cùm dixit; *Ego tamen non obliuiscar tui: ecce in manibus meis descripsi te, muri tui coram oculis meis semper.* Quasi dicat: vt manus meæ præsentes mihi sunt, sic Sion, quam in annulis, vel armillis manuum inscripsi. De impiis satis cõstat ex cap. 35.Genes.& ex Ieremia cap.17. nam cùm in fine præcedentis capitis dixisset; *Nunquid faciet sibi homo deos, & ipsi non sunt dij*: statim in principio cap.17. dicit: *Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo in vngue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum, & in cornibus ararum eorum.* Vbi *peccatum*, pro idolo positum est, sicut Amos c.8. *delictum Samariæ*, pro vitulis aureis. Et quidem ita sentit Lyra

Psal. 136.

Isai 49.

Ierem.17.

Lyra de peccatis in cornibus ararũ, & consequenter de aliis etiam partibus idem sentire debet. Et verò quid in aris scribi potuerit, non video: quandoquidem ibi de idololatria sermo est, vt legenti constat. In vngue adamantino stylo ferreo scriptum esse peccatum, aut indicat, imaginem, seu memoriale aliquod deorum, quos Iudæa iam impia venerabatur, esse in gemma, quę erat inclusa in annulo; aut ideo in gemma scriptũ esse dicitur, vt hinc appareat, quantum studium fuerit, & amor in falsos deos, quia illa, quæ maximè in veneratione, aut amore sunt, in annulis gestantur. Quòd si ita est, vt planè videtur ita dicendum esse, cùm scriptum etiam dicitur peccatum *super latitudinem cordis ipsorum*; cordis nomine significatur lamina, seu lunula, quæ à collo demissa ad medium vsque pectus descendit: in cuius latitudine, id est, spatio medio, idolum esset insculptum. Neque aliud voluit, meo iudicio, Oseas cap. 2. cùm de Iuda adultera, id est, idolorum cultrice (nam sub ea metaphora eo loco de idololatria loquebatur) dixit: *Auferat adulteria sua de medio vberum suorũ*; quia inter vbera, id est, supra cor, laminam gestabat, aut bullã, in qua adulteria, id est, idola cælata erant. Osea c.2.

Porrò hæ laminæ aliis locis vocantur *tabula cordis*. Prouer. 3. *Misericordia, & veritas te non deserant: circunda ea gutturi tuo, & scribe in tabulis cordis tui*, id est, in colli ornamentis, quæcunque illa sint. Nam in textu Hebraico in plurali est גרגרים *Gargherim*, id est, *gutturibus*. Et cap. 7. cõiunxit cum tabula cordis digitos; vbi annuli intelliguntur: *Liga ea* (nempe præcepta) *in digitis tuis: scribe ea in tabulis cordis tui*. Et quod tabula cordis idem sit, quod cor, indicatur ibidem cap. 6. *Liga ea* (præcepta) *in corde tuo iugiter, & circunda gutturi tuo*. vbi eadem est omnino sententia, quæ suprà cap. 3. Prou. 3.

Et quidem bullam, quæ à Romanis gestabatur, cor appellari cõstat ex Martiali lib. 14. Apophor. 219. cuius titulus communiter est *Corculum*; sed, vt bene obseruauit Lipsius, supponendum est loco illius, *Corbuculũ*, id est, bulla scortea, qualem apud Romanos gestare solebant ignobiles. Sed vtcumque legas, eadem pro nostra sententia vis. Sic ergo ibi Martialis: Bulla, cor.

Pauper Causidicus nullos referentia nummos
Carmina cùm scribas, accipe cor quod habes.

Ex his mihi fit plusquam verisimile, *cor* apud Hebręos sumi pro aliquo ornamento, seu insigni, quod supra cor est. Et huc allusum à sponsa capite primo, cùm dixit: *Fasciculus myrrha dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur*, id est, sponsus, cuius imaginem inter vbera perpetuò geram; aut sponsi effigies in lamina expressa, erit mihi ad exhilarandum cor pro stacte myrrhina, aut reticulo ex myrrha facto. Quod credo ab sponsa sua exegisse sponsum cap. 8. cùm dixit; *Pone me, vt signaculum super cor tuum.*

Quòd *nasus* sit aliquod ornamẽtum nasi, aliquibus videtur non improbabile, quia aliter putant, nõ satis decorè sponsæ nasum conferri cum turre Libani, cap. 7. Neque desunt coniecturæ nõ leues in Scriptura; nam Isai. cap. 3. vbi vulgatus legit, *gemmas in fronte pendentes*; Hebraicus textus habet, *monilia nasi*; & Ezech. capite 16. *inauris super os*, inter nuptialia dona numeratur, *Dedi inaurem super os tuum*. Super quem locum ita Hieronymus: *Vsque hodie inter cætera ornamenta mulierum solent aurei circuli in os ex frõte pendere*. Qua de Nasi gemma.

de re nos pluribus in illum locum Isaiæ;sed ego aliter expono in cap. 7. illud de naso sponsæ. Ambrosius Serm. 17. in Psalm. 118. quam noster Cant. 7. *comam* appellat, ipse *ornatum* esse dicit:sic enim ille legit paulo aliter quàm alij. *Ornatus capitis tui sicut purpura*; quem ornatum, coronam esse dicit.

De vmbilico grauior,& manifestior ratio est, vt dicemus suo loco cap. 7. Neque, puto, dicerem aliquid, quod respueret æquus, ac benignus lector,si in locis suprà adductis, *guttur*, seu, vt Hebraicus habet textus, *guttura*,& *digitos*,& *manus*, pro gutturis,manuum, & digitorum ornamento sumerem:nempe pro torquibus,armillis atq; annulis, in quibus liganda dicuntur precepta,& descripta est Ierusalem. Nam quòd caput sponsæ, cùm comparatur cum Carmelo, & caput sponsi, cùm dicitur aurum optimum, coronas significent, mihi dubium non est, vt suo loco diximus: quia de naturali capitis ornamento, id est,de capillis, seorsum agitur, & his rebus assimilantur, à quibus longè abest, aut Carmeli species, aut auri color. Sed quia hæc exponi possunt metonymicè: ita vt subiectum ponatur pro adiuncto; atque adeò de gutture, manibus, ac digitis propriè accipi possunt,ideo non mihi tantùm iuris assumo, vt hæc significare affirmem,torques,armillas, annulos, licèt in eis insculpta putem,quæ suprà commemorantur.

Neque ego sum,qui solus,aut primus in hâc cogitationem veni; nam in primis Abenezra in *vmbilico* sponsæ, cingulum, vt mox dicemus; in *femoribus*, femorum integumenta, (quod etiam putauit Ambrosius) in *ventre* spōsi distinctum, & stellarum gemmis baltheum videt. Et idem putat Lyra, dum sapphiros, quibus distinctus esse dicitur venter sponsi, in veste, quæ ventrem tegit,ligatos esse dicit. Quod etiam ex recentioribus sentit Sotomaior,qui non improbat in ventre sponsi, ventris ornamentum intelligi,nempe baltheū, seu aliquid simile. Et indicat Genebrardus satis apertè ad illud capitis 7. *Quàm pulchri sunt gressus tui*. Ibi dicit, laudari in sponsa, à virginibus ea, quæ videntur; quia homines exteriora respiciunt. Sed quis credat virginum oculis fuisse propositum sponsæ vmbilicum, ac femorum iuncturas?Et nunc omnium nouissimè Michaël Ghislerius quædam,quæ membra sonāt, membrorum integumenta, aut ornamenta interpretatur; *ventrem* videlicet pro thorace sumit cap. 5. vbi de ventre agitur sponsi: & iterum cap. 7. idem putat de sponsæ ventre.

Quare ego nihil hîc dico, quod alij non scripserint,& quod plurimi iam non sentiant,& probent. Id solùm facio, à quo video alios abstinuisse, vt hæc tam in sacra,quàm in profana Scriptura in vsu fuisse probem. Si verò in hac re probanda longior fui,danda mihi venia est:eo enim studio hæc aggressus sum, vt ostendam in his purissimis Canticis nihil esse, quod aliquid oleat non purum.

PROLEGOMENON XI.

De titulo huius libri.

APud Hebræos, vbi aliquid in suo genere præclarum, & eximium est, illud repetito vocabulo explicari solet, quod apud Latinos in secundo casu numero multitudinis ponitur. Hinc ab Apostolo *sancta sanctorum* dicta sunt sanctissima, in intima parte Tabernaculi penetralia. Ita etiam *sabbatha sabbatho-*

rum, vanitas vanitatum, *Rex Regum, virgo virginum*,& similia, quæ in eo genere excellunt. Quia ergo hoc Cãticum nobilissimum est canticorum omnium, *Canticum Canticorum* appellatur,& inscribitur. Est autem verisimile, referri ad omnia Salomonis carmina,qui 3.Regum cap.4. scripsisse dicitur quinque millia carminum; &, si Iosepho credimus lib. 8. cap. 2. quinque librorum millia carminum, & odarum: inter quos hic nobilissimus est,vel materiæ dignitate, quo nihil Diuinius, vel genere compositionis,quo nihil potest esse suauius.

Salomon carminia plurima scripsit.

Dubitare hîc aliquis posset, cur cùm in aliis librorum titulis Salomon se Regem inscribat, in Ecclesiaste, & in Prouerbiis, hîc tamen Regij nominis oblitus Salomonem se simpliciter vocet? Causam indicat Hieronymus in Prooemio Ecclesiastæ: quia in Canticis cum perfectis agitur; *vbi non timore eruditur discipulus, sed amore filius, proprium nomen sufficit, & æqualis magister est, & nescit se esse Regem*; in Prouerbiis autem, & Ecclesiaste longè alia ratio est. Ego aliam hîc, & rationem odoror: quia fortasse hîc typicè sponsum agit Salomon, à quo abesse debet quidquid superbum, & ambitiosum sonat, aut timorem exigit, & obseruantiam: neque enim (vt quidam acutè dixit, & verè)

Salomon cur se hic nõ appellet Regẽ.

——*bene conueniunt, & in vna sede morantur*

Maiestas, & amor.——

Quare in aliis libris, vbi legislatorem agit, aut gubernatorem, nomen assumit Regium; hîc, vbi amans inducitur, fastus abiicit, & titulos sonãtes. Sicut etiam in his Canticis illa Dei nomina non audimus, quæ timorem incutiunt, sed quæ amorem conciliant; quia sponsus est Deus, & sponsæ animum, non tam maiestate deterret, quàm humanitate allicit. Sed, quia probabilius esse existimabam Proleg. 2. non tam induci hîc Salomonem, quàm Solymitanum adolescentem, puto hîc Salomonem Regium nomen à Canticorum titulo remouisse, quia ipse in his nuptiis sponsus videri noluit. Rex enim, vt pluribus in Prolegomeno 3. ostendimus, nomen est nuptiale, quod sæpius de se in hoc Epithalamio sponsus audit.

PROLEGOMENON XII.

Quid idoneus lector afferre debeat ad hæc Cantica.

NOTVM est, quod Origenes in principio 4. Homiliarum in Cantica tradit, & Hieronymus in Procemio c. 1. Ezechielis, cautũ esse ab Hebræis, ne quis initium Genesis, aut initium, & finem Ezechielis, aut denique Canticum Canticorum legeret, nisi priùs ætatem Sacerdotalem, id est, trigesimum annum impleuisset. Cuius rei duas ego causas inuenio. Altera est, quia horum librorum obscuritas maior est, quàm quæ à iuuenili ingenio superari possit. Quod duo alij libri non obscurè docent, in quibus nihil occurrit aliud, quod ab eorum lectione ætatem illam nondum maturam deterrere debeat: Altera, quæ horum Canticorũ propria est, quia non nisi castis animis ad amatorium Canticũ patere debet aditus; castitas verò in ætate illa feruente non ita sæpe reperitur, atque in Sacerdotali, in qua cũ ardore iuuenili, vis illa ignea & incfrænata libido deferbuit. 40

Lector Canticorum non iuuenis.

Primùm itaque, qui horum Canticorum idoneus lector esse vult, afferat oportet eruditionem variam, tam à sacra, quàm à profana litera-tura;

tura; si modò velit vtilé operam nauare euoluendo, atque extricando cortici, in quo neque facilis, neque vulgaris latet eruditio. Quod ad omnem Scripturam sacram apprimè intelligendam necessarium esse docet Augustinus lib. 2. de Doctr. Christiana cap. 28. Accedit quòd liber hic, in quo perpetua quædam est parabola, obscurissimus est, & ænigmati quàm simillimus, imò ænigma quoddam implexum, & opertum: sic illum vocat idem August. to. 9. lib. de Pastoribus cap. 15. *Cantica*, inquit, *Canticorum ænigmata sunt, paucis intelligentibus nota sunt; paucis pulsantibus aperiuntur.*

Paucis ait Augustinus patere ista Canticorum sacraria, etiamsi diu, multúmque pulsent: cuius eam esse causam existimo, quia nihil aliud requiri putant ad sacri huius carminis intelligentiam, quàm quod ad vulgare, atque profanum carmen afferre solet curiosus animus. Pulsat quidem huius Epithalamij ostium, & ad illud longas agit excubias curiosus lector; pulsat inflatus inani eruditione; pulsat ingenio, labore, assiduitate: sed huic non aperitur, neque extricatur impeditum ænigma; quia clauem non affert. Illa verò est, quæ Deum ad aperiendum inclinat, nempe animus humilis, & docilis, terrena despiciens, ablactatus à lacte, auulsus ab vberibus: hunc enim Dominus scientiam docet, & intelligere facit auditum; &, vt ab his Canticis documentum aliquod sumamus, ad cellam vinariam sponsi, cuius hæc Cātica symbolum quoddam sunt, tunc admissa est sponsa, quando se rusticam confessa est, & à Sole fuscatam. Sanè sublimia quædam, & arcana mysteria abscondita esse sapientibus, & prudentibus, sua nimirum opinione; reuelata verò paruulis, id est, humilibus, sponsus ipse Christus iamdudum edocuit.

Deus quibus se ipsum ostēdit, & cōmunicat.

Bernard. Serm. 79. in Cant. in huius lib. i lectore amorem desiderat ardentem, & castum. *Frustra*, inquit, *ad audiendum, legendúmve amoris carmen, qui non amat, accedit: quoniam omnino non potest capere ignitum eloquium frigidum pectus. Quomodo enim Græcè loquentem non intelligit, qui Græcè non nouit; nec Latinè loquentem, qui Latinus non est; & ita de cæteris: sic lingua amoris ei, qui non amat, barbara erit. Erit enim sicut æs sonans, aut cymbalum tinniens.*

Lector amorem afferat castum.

Quòd si is, qui diuini amoris suauitatem expertus non est, ineptus accedit ad amoris carmen; multo sanè minùs accedet idoneus, cuius obscœnus amor sensus titillat, & cuius impurus fœtor ingratus non est. Non enim qui animum turpibus assuefecit amoribus, cùm species occurrit amoris etiam casti, & nomina vtrique amori communia, facilè ab eo amore, quo iam antea pridem imbutus est, animum, aut cogitationē auertit. Ita enim fere quisq; aut sentit, aut iudicat de rebus, vt animo siue castè, ac piè, siue prauè, ac nequiter affectus est. Hinc effectum est, vt turpibus turpe aliquid, & obscœnum oleant hæc purissima Cantica; agíque in illis putent de amore vulgari, aut Salomonis cum Pharaonis filia, quam habuit vxorem, aut cum Abisag Sanamitide, quæ senile parentis corpus calefecerat. Quod putauerunt Hæretici quidam, quorum mens luxuriæ demersa cœno, nihil meditatur purum, aut cœleste. Ita sensit Cerchintus quidam Hæreticus, vt refert Salmeron Prolegom. 10. quinquaginta duorum; & Hæretici alij, quos Philastricius hæresi 133. Anonymos appellat. Longè aliter cogitant, qui casto sunt animo, & altiùs eleuato: hi enim in hac vmbra maiora spectant, & ad

cœlestia ex huius libri lectione magis inflammantur. Qua verò id ratione consequantur, docent quidam è Patribus, quorum sententiam, & rationes accipe.

Mirè elucet in his Canticis diuinus amor.

Gregorius Papa in Præfatione ad Cantica, in his, quæ impuri animi ad turpem aliquem sensum, & cogitationem arripiunt, aliquid inuenit, quo vehementiùs animus ad Dei amorē excitari, atq; inardescere debeat, cùm ad illa sese animus demittat, dum sui amoris vim nobis studet ostendere; quæ ab illo plurimùm distant, cùm aliter nos ad aliquam spiritualium rerum cogitationem, aut nullo modo, aut non nisi difficili peruenire possimus. Sic autem ille post alia in eam sententiam grauia *Notemus, quàm mirabiliter, quam misericorditer nobiscum operatur, qui, vt nos ad amplexus sacri amoris accendat, vsque ad turpis amoris nostri verba se inclinat. Sed vnde se loquendo humiliat, inde nos intellectu exaltat; quia ex sermonibus huius amoris discimus, qua virtute in Diuinitatis amore ferueamus.* Vide quàm aliter de his Canticis Gregorius, atq; Hæretici sentiant. Addit tamen statim:

Cautè legēda Cantica.

Hic etiam solerter intuendum est, ne cùm exteriora audimus, ad exteriora sentienda remaneamus; & machina, quæ ponitur, vt leuet, ipsa magis opprimat, & aggrauet. Debemus in sensibus exterioribus corporeis, quicquid interius est, quærere, & loquentes de corpore, extra corpus fieri. Lege totam Gregorij Præfationem, quæ sanè grauissima est. Idē propè Gregorius alter Nyssenus Homil.1. in Cant. vbi pulchra quadam similitudine explicat, quo animo, atque studio ad hæc arcana Canticorū mysteria, quæ artificioso quodā inuolucro tecta sunt, aspirandū sit. Vt enim in Regio simulacro spectamus quidē colorem, & formam, & artificis manū, & ingenium miramur: at in eis, licèt summa insit materiæ dignitas, & artis præstantia, neque acquiescit, neque moratur animus, qui inde se quamprimùm ad prototypum abripit. Sic in hac mystici connubij hieroglyphica effigie, & in rebus, quæ aliquid præ se ferre vidētur vulgare, atque corporeum, aliquid spectandum est sublimius, atque sacratius, & in corporeo simulacro, nihil minùs quàm de corporeo cogitandum est.

At dices, in hoc Epithalamio esse esse non pauca, quæ ad purum, & spiritualem sensum trahi non possunt, nisi admodùm ægrè, qualia sunt, *vbera, oscula, femorum iunctura, vmbilicus*, & similia. Respondeo, à nobis datam esse satis diligentem operam, quò ostenderemus in cortice etiam nudo his vocibus nihil inesse fœdum, nihil non purum. Quare huic obiectioni satis, credo, à nobis satisfactum est; sed, etiamsi demus in his vocibus aliquid significari minùs decorum, non tamen ideo negandum est, vmbram in illis esse rerum honestarum. Vt enim pluribus docuimus in nostris Commentariis super Zachariam ad illud cap. 13. *Quid sunt plagæ istæ?* ex sententia Hieronymi epist. 131. ad Ruffinum, qui tamen aliis in locis negarat, & ex August. lib. 22. contra Faustum Manichæum; Gregor. lib. 3. Moral. cap. 21. homines mali, in re etiam non bona, sanctissimarum rerum, atque adeò Dei ipsius typus esse possunt. Quomodo ex sententia Hieron. duę filię Loth vtriusque Testamenti figura sunt, & pater ipsarū Loth Christi typus: quod etiam Gregorius agnoscit in Dauidis concubitu cum Bethsabee. Neque hoc durum visum est profano, atque Gentili populo, qui in fabulas impias, & obscœnas res non solùm

Regula. Res indecora & mala est typus interdū rei sanctissimæ.

lùm phyſicas; ſed etiam morales, & diuinas incluſit, vt docuit Cicero lib. 2. de Natura deorum.

Spectet igitur pius, & caſtus lector ſub hac humani, atque vulgaris amoris vmbra, altiſſima Diuini amoris Sacramenta; excutiat è ſiliquis, aut è paleis grana, quæ rationalem naturam paſcunt, & exaturant; paleas verò ſtupidæ atque irrationali naturæ relinquat; vt Gregorius monere viſus eſt in Canticorum Præfatione. *Sicut palea*, inquit, *frumentum; ſic & litera tegit ſpiritum, Sed quia iumentorum eſt paleis, hominum frumentis veſci, qui humana ratione vtitur, paleas abiiciat, frumenta ſpiritus edere diſponat.* Sacerdotalem ætatem requirebant Hebræi in eo, qui vellet hæc inire ſacraria, piè illi quidem, atque prudenter; ſed mallem mores in eo Sacerdotales requirerent, id eſt, caſtos, pudicos, ab omni terrenarum rerum contagione puros; quíque vſu didiciſſet, quanta inſit diuino amori vis, quanta ſuauitas: præ quibus omnino ſordeant, aut fortunæ ſubſidia, aut blandimenta naturæ.

ARGVMENTVM IN CAPVT PRIMVM CANTICORVM.

SPONSA absentis dilecti desiderio languens, spoliata, & saucia, qualis ex custodum ciuitatis manibus, atque ludibriis euaserat, negat futurum sibi aliquod lenimentum desiderij, atque angoris, nisi ab sponsi osculis: causámque reddit cur sponsum suum tanto affectu diligat, & tanto studio commendet: quia in eius cellaria aliquādo admissa, experientia didicerat, in eo esse summam suauitatem. Deinde tacitæ puellarum reprehensioni occurrit, quæ mirari iure optimo possent, cùm puellam fusca facie, nonnihil indecoram expetere videant sponsi non indecori legitimas nuptias. Quare fatetur se nigram, non tamen à natura, sed à fratrum iniuria. Deinde, affectu iterum, atque iterum in sponsum erumpente, indicari sibi ab sponso postulat, quo in loco sub meridianum ardorem æstiuam quietem obire soleat. Admonita verò à puellis, vt ad pastorum tabernacula hædos agat, quò verisimile videbatur declinasse spōsum, eò vsque progressa obuium habet dilectum, à quo ornata primùm est instructu nuptiali: deinde amœbæa, id est, reciproca laude, se vicissim, & omnem apparatum genialem commendant.

CAPVT I.	PARAPHRASIS.
Sponsa. 1 OSCVLEtur me osculo oris sui.	1 O FILIÆ Ierusalem, quæ doloris mei ac solitudinis sociæ, ad quærendum mecum sponsum, sedulum, ac pium studium adhibuistis, ne quæso existimetis, aut verbis posse leuari dolorem meum, aut vnguentis renouari languenrem animum: id enim vnus præstare posset dilectus meus, cuius desiderio langueo, si modò ab eius ore vnum aut alterum osculum libare contingat.
2 *Quia meliora sunt*	2 O dilecte mi, si inter vbera tua, id est,

id est, inter læuam, & dexteram dormire mihi permittitur, quod sponsæ licet, imò solemne est; aut haurire per legitima oscula suauissimum halitum, qui ex vberibus, id est, præcordiis tuis expiratur, qui generoso vino, atque optimis vnguentis longè suauior est: hæc mihi pro omnibus, imò & præ omnibus vnguentis præsens erit medicina.

vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.

Totus mihi, ô sponse, oleum es: vsquequaque vnguento diffluis odoratissimo; ita vt nomen tuum, siue auditum, siue imploratum exanimatis, & mœrentibus spiritum, & alacritatem instillet.

Oleum effusum nomen tuum.

3 Quid mirum, ô dilecte, si hæ filiæ Sion, quæ tui quærendi gratiâ, mecum laborant, tam te diligant, vt hæc mecum subeant incommoda, nocturnas tenebras non horreant, cùm illis etiā dum abes, vel à me tantùm nominatus, vnguenti nobilissimi suauitatem inhales?

3 *Ideo adolescentulæ dilexerunt te. Trahe me: post te curremus in odorem vnguentorum tuorum.*

4 Ne quæso, vobis, filiæ Sion, admirationi sit, vel quòd tam laudem sponsi suauitatem, vel quòd tam studiosè quæram: nam iam admissa sum in cellam vinariam ipsius, & experta quantùm in ea deliciarum sit. Et nos (ita de nobis tibi, ô sponse, persuade) tuorum vberum, id est, deliciarum aut amorum memores, quæ ego experientia; hæ verò sociæ mea narratione cognouerunt, exultabimus, & lætabimur in te, quando nostræ sedulitati, ac votis occurres. Neque amor iste nobis erit proprius, sed communis cum omnibus, qui rectè de vera pulchritudine iudicabunt: & ad id, quod verè pulchrum est, rectè afficientur.

4 *Introduxit me Rex in cellaria sua: exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum: recti diligunt te.*

5 Ne

5 *Nigra*

5 *Nigra sum, sed formosa, filiæ Ierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Nolite me considerare, quòd fusca sim; quia decolorauit me Sol.*

5 Ne vobis, ô puellæ Sionides, rustici aut insolentis animi videatur, quòd, nigra cùm sim, ad pulcherrimi tamen sponsi nuptias, atque complexus aspirem: huic enim fuscori sua quoque aliquando aderit pulchritudo; sum sanè nigra sicut Cedarenorum tabernacula, quæ illuuie horrent propter imbrium, & temporum iniurias; fieri tamen potest, vt pulchra sim, & candida, non secus ac Salomonis pelles, quæ pulchræ sunt, & vt Regiam elegantiam decet, admodùm mundæ. Quòd si fusca nunc sum, id sanè à natura non habeo; sed à Solis iniuria, qui nigrum mihi colorem induxit.

6 *Filij matris meæ pugnauerunt cōtra me; posuerunt me custodem in vineis: vineā meam non custodiui.*

6 Fratres mei iuxta patriæ consuetudinem contrarij mihi vehementer fuerunt, fecerúntque ne pulchritudinem, quam ad nuptias afferre debuissem, conseruarem. Addixerunt enim me vinearum custodiæ, idque adeò seuerè, vt neque aliquid mihi temporis vacuum reliquerint, quo meæ vineæ custodiendæ vacarem, id est (quod in hac nuptiali cura primum esse debuit) vt aut pulchritudinem antiquam tuerer, aut accerserem nouam.

7 *Indica mihi, quem diligit anima, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.*

7 O sponse, quem diligit anima mea, ostende iam tandem mihi locum, vbi greges pascas, vbi in æstu tuas obeas meridiationes, ne incerta vager: dumque te sollicita vnum quæro, in sodalium tuorum greges incurram. Quod neque pudori meo tutum, neque tuo honori decorum erit.

Adolescentulæ.

8 *Si ignoras te, ô pulcherri*

8 Si ignoras, ô pulcherrima mulierum, vbi sponsus stationem habeat meridia

meridianam, age hoedulos tuos, infirmum nempe pecus, quale puellari custodiæ committi solet, ad ea tabernacula, quò pastores alij suum sibi pecus firmum, & robustum de more cogunt.

9 O sponsa, quæ nunc occurris mihi post tot difficultates atque discrimina, à Sole infuscata, spoliata pallio, & à custodibus ciuitatis affecta plagis, meliori iam esto animo. Nam talem te post hæc incommoda præstabo, qualis in statu non dissimili sponsa describitur in Psalmo de Pharaone triumphato. Ita vt pro vinitrice fusca, & spoliata, ad Regiam speciem, & nomen proueharis: siue quando, vt me quæreres, eadem propè passa es, quæ priùs ego cùm tuas nuptias ambio, incommoda sustinui, apta es, vt mecum idem subeas matrimonij iugum. Quod non minùs decorè atque æqualiter agemus, quàm solent pulcherrimæ equæ ex Ægypto allatæ, in cursu trahendo æqualiter, atque eleganter niti.

10 Pollicitus sum tibi, ô sponsa, talia ornamenta qualia in Psalmo de Pharaone triumphato, sponsæ è puluere, medijsque cleris excitatæ data sunt. Ecce iam statim præsto. Genæ enim tuæ iam candidæ sunt, iam pulchræ sicut columbæ: & collum tuum instructum est aureis monilibus. Quare facta es sicut argentea columba, habens in extrema dorsi parte, id est, in ceruice, pallorem auri, quod etiam expressum habes in aureis monilibus, quibus additi sunt argentei vermiculi.

11 Dum sponsus, & Rex meus ad

…cherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum tuorũ; & pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorũ.

Sponsus.

9 *Equitatui meo in curribus Pharaonis, assimilaui te amica mea.*

10 *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turtures: collum tuũ sicut monilia. Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.*

Sponsa.

11 *Dum esset Rex in*

Lyra de peccatis in cornibus ararũ, & consequenter de aliis etiam partibus idem sentire debet. Et verò quid in aris scribi potuerit, non video: quandoquidem ibi de idololatria sermo est, vt legenti constat. In vngue adamantino stylo ferreo scriptum esse peccatum, aut indicat, imaginem, seu memoriale aliquod deorum, quos Iudæa iam impia venerabatur, esse in gemma, quę erat inclusa in annulo; aut ideo in gemma scriptũ esse dicitur, vt hinc appareat, quantum studium fuerit, & amor in falsos deos, quia illa, quæ maximè in veneratione, aut amore sunt, in annulis gestantur. Quòd si ita est, vt planè videtur ita dicendum esse, cùm scriptum etiam dicitur peccatum *super latitudinem cordis ipsorum*; cordis nomine significatur lamina, seu lunula, quæ à collo demissa ad medium vsque pectus descendit: in cuius latitudine, id est, spatio medio, idolum esset insculptum. Neque aliud voluit, meo iudicio, Oseas cap. 2. cùm de Iuda adultera, id est, idolorum cultrice (nam sub ea metaphora eo loco de

Osea c.2. idololatria loquebatur) dixit: *Auferat adulteria sua de medio vberum suorũ*; quia inter vbera, id est, supra cor, laminam gestabat, aut bullã, in qua adulteria, id est, idola cælata erant.

Prou.3. Porrò hæ laminæ aliis locis vocantur *tabula cordis*. Prouer. 3. *Misericordia, & veritas te non deserant: circunda ea gutturi tuo, & scribe in tabulis cordis tui*, id est, in colli ornamentis, quæcunque illa sint. Nam in textu Hebraico in plurali est גרגרים *Gargherim*, id est, *gutturibus*. Et cap. 7. cõiunxit cum tabula cordis digitos; vbi annuli intelliguntur: *Liga ea* (nempe præcepta) *in digitis tuis: scribe ea in tabulis cordis tui.* Et quod tabula cordis idem sit, quod cor, indicatur ibidem cap. 6. *Liga ea* (præcepta) *in corde tuo iugiter, & circunda gutturi tuo.* vbi eadem est omnino sententia, quæ suprà cap. 3.

Et quidem bullam, quæ à Romanis gestabatur, cor appellari cõstat ex Martiali lib. 14. Apophor. 219. cuius titulus communiter est *Corculum*; sed, vt bene obseruauit Lipsius, supponendum est loco illius, *Corbuculũ*, id est, bulla scortea, qualem apud Romanos gestare solebant ignobiles. Sed vtcumque legas, eadem pro nostra sententia vis. Sic ergo ibi Martialis: Bulla, cor.

Pauper Causidicus nullos referentia nummos
Carmina cùm scribas, accipe cor quod habes.

Ex his mihi fit plusquam verisimile, *cor* apud Hebręos sumi pro aliquo ornamento, seu insigni, quod supra cor est. Et huc allusum à sponsa capite primo, cùm dixit: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur*, id est, sponsus, cuius imaginem inter vbera perpetuò geram; aut sponsi effigies in lamina expressa, erit mihi ad exhilarandum cor pro stacte myrrhina, aut reticulo ex myrrha facto. Quod credo ab sponsa sua exegisse sponsum cap. 8. cùm dixit; *Pone me, vt signaculum super cor tuum.*

Quòd *nasus* sit aliquod ornamẽtum nasi, aliquibus videtur non improbabile; quia aliter putant, nõ satis decorè sponsæ nasum conferri cum turre Libani, cap. 7. Neque desunt coniecturæ nõ leues in Scriptura: nam Isai. cap. 3. vbi vulgatus legit, *gemmas in fronte pendentes*; Hebraicus textus habet, *monilia nasi*; & Ezech. capite 16. *inauris super os*, inter nuptialia dona numeratur, *Dedi inaurem super os tuum*. Super quem locum ita Hieronymus: *Vsque hodie inter cætera ornamenta mulierum solent aurei circuli in os ex frõte pendere*. Qua de Nasi gẽma.

de re nos pluribus in illum locum Isaiæ;sed ego aliter expono in cap. 7. illud de naso sponsæ. Ambrosius Serm. 17. in Psalm. 118. quam noster Cant. 7. *comam* appellat, ipse *ornatum* esse dicit:sic enim ille legit paulo aliter quàm alij. *Ornatus capitis tui sicut purpura*; quem ornatum, coronam esse dicit.

De vmbilico grauior,& manifestior ratio est, vt dicemus suo loco cap. 7. Neque,puto,dicerem aliquid, quod respueret æquus, ac benignus lector,si in locis suprà adductis, *guttur*, seu, vt Hebraicus habet textus, *guttura*,& *digitos*,& *manus*, pro gutturis,manuum, & digitorum ornamento sumerem:nempe pro torquibus,armillis atq; annulis, in quibus liganda dicuntur præcepta,& descripta est Ierusalem. Nam quòd caput sponsæ, cùm comparatur cum Carmelo, & caput sponsi, cùm dicitur aurum optimum, coronas significent, mihi dubium non est, vt suo loco diximus: quia de naturali capitis ornamento, id est,de capillis, seorsum agitur, & his rebus assimilantur, à quibus longè abest, aut Carmeli species, aut auri color. Sed quia hæc exponi possunt metonymicè: ita vt subiectum ponatur pro adiuncto; atque adeò de gutture, manibus, ac digitis propriè accipi possunt,ideo non mihi tantùm iuris assumo, vt hæc significare affirmem,torques,armillas, annulos, licèt in eis insculpta putem,quæ suprà, commemorantur.

Neque ego sum,qui solus,aut primus in hác cogitationem veni; nam in primis Abenezra in *vmbilico* spõsæ, cingulum, vt mox dicemus; in *femoribus*, femorum integumenta, (quod etiam putauit Ambrosius) in *ventre* spõsi distinctum, & stellatum gemmis balthеum videt. Et idem putat Lyra, dum sapphiros, quibus distinctus esse dicitur venter sponsi, in veste, quæ ventrem regit, ligatos esse dicit. Quod etiam ex recentioribus sentit Sotomaior, qui non improbat in ventre sponsi, ventris ornamentum intelligi,nempe baltheũ, seu aliquid simile. Et indicat Genebrardus satis apertè ad illud capitis 7. *Quàm pulchri sunt gressus tui*. Ibi dicit, laudari in sponsa, à virginibus ea, quæ videntur; quia homines exteriora respiciunt. Sed quis credat virginum oculis fuisse propositum sponsæ vmbilicum, ac femorum iuncturas? Et nunc omnium nouissimè Michaël Ghislerius quædam,quæ membra sonãt, membrorum integumenta, aut ornamenta interpretatur; *ventrem* videlicet pro thorace sumit cap. 5. vbi de ventre agitur sponsi: & iterum cap. 7. idem putat de sponsæ ventre.

Quare ego nihil hîc dico, quod alij non scripserint,& quod plurimi iam non sentiant,& probent. Id solùm facio, à quo video alios abstinuisse, vt hæc tam in sacra,quàm in profana Scriptura in vsu fuisse probem. Si verò in hac re probanda longior fui,danda mihi venia est:eo enim studio hæc aggressus sum, vt ostendam in his purissimis Canticis nihil esse, quod aliquid oleat non purum.

PROLEGOMENON XI.

De titulo huius libri.

Apud Hebræos, vbi aliquid in suo genere præclarum, & eximium est, illud repetito vocabulo explicari solet, quod apud Latinos in secundo casu numero multitudinis ponitur. Hinc ab Apostolo *sancta sanctorum* dicta sunt sanctissima in intima parte Tabernaculi penetralia. Ita etiam *sabbatha sabbatho-*

Lyra de peccatis in cornibus ararũ, & consequenter de aliis etiam partibus idem sentire debet. Et verò quid in atis scribi potuerit, non video: quandoquidem ibi de idololatria sermo est, vt legenti constat. In vngue adamantino stylo ferreo scriptum esse peccatum, aut indicat, imaginem, seu memoriale aliquod deorum, quos Iudæa iam impia venerabatur, esse in gemma, quę erat inclusa in annulo; aut ideo in gemma scriptũ esse dicitur, vt hinc appareat, quantum studium fuerit, & amor in falsos deos, quia illa, quæ maximè in veneratione, aut amore sunt, in annulis gestantur. Quòd si ita est, vt planè videtur ita dicendum esse, cùm scriptum etiam dicitur peccatum *super latitudinem cordis ipsorum*; cordis nomine significatur lamina, seu lunula, quæ à collo demissa ad medium vsque pectus descendit: in cuius latitudine, id est, spatio medio, idolum esset insculptum. Neque aliud voluit, meo iudicio, Oseas cap. 2. cùm de Iuda adultera, id est, idolorum cultrice (nam sub ea metaphora eo loco de idololatria loquebatur) dixit: *Auferat adulteria sua de medio vberum suorũ*; quia inter vbera, id est, supra cor, laminam gestabat, aut bullã, in qua adulteria, id est, idola cælata erant. Osea c.2.

Porrò hæ laminæ aliis locis vocantur *tabula cordis*. Prouer. 3. *Misericordia, & veritas te non deserant: circunda ea gutturi tuo, & scribe in tabulis cordis tui*, id est, in colli ornamentis, quæcunque illa sint. Nam in textu Hebraico in plurali est גרגרים *Gargherim*, id est, *gutturibus*. Et cap. 7. cõiunxit cum tabula cordis digitos; vbi annuli intelliguntur: *Liga ea* (nempe præcepta) *in digitis tuis: scribe ea in tabulis cordis tui*. Et quod tabula cordis idem sit, quod cor, indicatur ibidem cap. 6. *Liga ea* (præcepta) *in corde tuo iugiter, & circunda gutturi tuo*. vbi eadem est omnino sententia, quæ suprà cap. 3. Prou.3.

Et quidem bullam, quæ à Romanis gestabatur, cor appellari cõstat ex Martiali lib. 14. Apophor. 219. cuius titulus communiter est *Corculum*; sed, vt bene obseruauit Lipsius, supponendum est loco illius, *Corbuculũ*, id est, bulla scortea, qualem apud Romanos gestare solebant ignobiles. Sed vtcumque legas, eadem pro nostra sententia vis. Sic ergo ibi Martialis: Bulla, cor.

Pauper Causidicus nullos referentia nummos
Carmina cùm scribas, accipe cor quod habes.

Ex his mihi fit plusquam verisimile, *cor* apud Hebręos sumi pro aliquo ornamento, seu insigni, quod supra cor est. Et huc allusum à sponsa capite primo, cùm dixit: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur*, id est, sponsus, cuius imaginem inter vbera perpetuò geram; aut sponsi effigies in lamina expressa, erit mihi ad exhilarandum cor pro stacte myrrhina, aut reticulo ex myrrha facto. Quod credo ab sponsa sua exegisse sponsum cap. 8. cùm dixit; *Pone me, vt signaculum super cor tuum*.

Quòd *nasus* sit aliquod ornamẽtum nasi, aliquibus videtur non improbabile; quia aliter putant, nõ satis decorè sponsæ nasum conferri cum turre Libani, cap. 7. Neque desunt coniecturæ nõ leues in Scriptura: nam Isai. cap. 3. vbi vulgatus legit, *gemmas in fronte pendentes*; Hebraicus textus habet, *monilia nasi*; & Ezech. capite 16. *inauris super os*, inter nuptialia dona numeratur, *Dedi inaurem super os tuum*. Super quem locum ita Hieronymus: *Vsque hodie inter cætera ornamenta mulierum solent aurei circuli in os ex frõte pendere*. Qua de Nasi gẽma.

de re nos pluribus in illum locum Isaiæ;sed ego aliter expono in cap. 7. illud de naso sponsæ. Ambrosius Serm.17.in Psalm. 118. quam noster Cant. 7. *comam* appellat, ipse *ornatum* esse dicit:sic enim ille legit paulo aliter quàm alij. *Ornatus capitis tui sicut purpura*; quem ornatum, coronam esse dicit.

De vmbilico grauior,& manifestior ratio est, vt dicemus suo loco cap.7.Neque,puto,dicerem aliquid, quod respueret æquus, ac benignus lector,si in locis suprà adductis, *guttur*, seu, vt Hebraicus habet textus, *guttura*,& *digitos*,& *manus*, pro gutturis,manuum, & digitorum ornamento sumerem:nempe pro torquibus,armillis atq; annulis, in quibus liganda dicuntur præcepta,& descripta est Ierusalem. Nam quòd caput sponsæ,cùm comparatur cum Carmelo, & caput sponsi, cùm dicitur aurum optimum, coronas significent, mihi dubium non est, vt suo loco diximus: quia de naturali capitis ornamento, id est,de capillis, seorsum agitur, & his rebus assimilantur, à quibus longè abest, aut Carmeli species, aut auri color. Sed quia hæc exponi possunt metonymicè: ita vt subiectum ponatur pro adiuncto; atque adeò de gutture, manibus, ac digitis propriè accipi possunt,ideo non mihi tantùm iuris assumo, vt hæc significare affirmem,torques,armillas, annulos, licèt in eis insculpta putem,quæ suprà, commemorantur.

Neque ego sum,qui solus,aut primus in hanc cogitationem veni; nam in primis Abenezra in *vmbilico* sponsæ, cingulum, vt mox dicemus; in *femoribus*, femorum integumenta, (quod etiam putauit Ambrosius) in *ventre* sponsi distinctum, & stellarum gemmis baltheum videt. Et idem putat Lyra, dum sapphiros, quibus distinctus esse dicitur venter sponsi, in veste, quæ ventrem tegit, ligatos esse dicit. Quod etiam ex recentioribus sentit Sotomaior,qui non improbat in ventre sponsi, ventris ornamentum intelligi,nempe balthcū, seu aliquid simile. Et indicat Genebrardus satis apertè ad illud capitis 7. *Quàm pulchri sunt gressus tui*. Ibi dicit, laudari in sponsa, à virginibus ea, quæ videntur; quia homines exteriora respiciunt. Sed quis credat virginum oculis fuisse propositum sponsæ vmbilicum, ac femorum iuncturas?Et nunc omnium nouissimè Michaël Ghislerius quædam,quæ membra sonát, membrorum integumenta, aut ornamenta interpretatur; *ventrem* videlicet pro thorace sumit cap. 5. vbi de ventre agitur sponsi:& iterum cap.7.idem putat de sponsæ ventre.

Quare ego nihil hîc dico, quod alij non scripserint,& quod plurimi iam non sentiant,& probent. Id solùm facio, à quo video alios abstinuisse, vt hæc tam in sacra,quàm in profana Scriptura in vsu fuisse probem. Si verò in hac re probanda longior fui,danda mihi venia est:eo enim studio hæc aggressus sum, vt ostendam in his purissimis Canticis nihil esse, quod aliquid oleat non purum.

PROLEGOMENON XI.

De titulo huius libri.

APud Hebræos, vbi aliquid in suo genere præclarum, & eximium est, illud repetito vocabulo explicari solet, quod apud Latinos in secundo casu numero multitudinis ponitur. Hinc ab Apostolo *sancta sanctorum* dicta sunt sanctissima in intima parte Tabernaculi penetralia. Ita etiam *sabbatha sabbatho-*

Lyra de peccatis in cornibus ararũ, & consequenter de aliis etiam partibus idem sentire debet. Et verò quid in aris scribi potuerit, non video: quandoquidem ibi de idololatria sermo est, vt legenti constat. In vngue adamantino stylo ferreo scriptum esse peccatum, aut indicat, imaginem, seu memoriale aliquod deorum, quos Iudæa iam impia venerabatur, esse in gemma, quę erat inclusa in annulo; aut ideo in gemma scriptũ esse dicitur, vt hinc appareat, quantum studium fuerit, & amor in falsos deos, quia illa, quæ maximè in veneratione, aut amore sunt, in annulis gestantur. Quòd si ita est, vt planè videtur ita dicendum esse, cùm scriptum etiam dicitur peccatum *super latitudinem cordis ipsorum*; cordis nomine significatur lamina, seu lunula, quæ à collo demissa ad medium vsque pectus descendit: in cuius latitudine, id est, spatio medio, idolum esset insculptum. Neque aliud voluit, meo iudicio, Oseas cap. 2. cùm de Iuda adultera, id est, idolorum cultrice (nam sub ea metaphora eo loco de

Osea c.2. idololatria loquebatur) dixit: *Auferat adulteria sua de medio vberum suorũ*; quia inter vbera, id est, supra cor, laminam gestabat, aut bullã, in qua adulteria, id est, idola cælata erant.

Prou.3. Porrò hæ laminæ aliis locis vocantur *tabula cordis*. Prouer. 3. *Misericordia, & veritas te non deserant: circunda ea gutturi tuo, & scribe in tabulis cordis tui*, id est, in colli ornamentis, quæcunque illa sint. Nam in textu Hebraico in plurali est גרגרים *Gargherim*, id est, *gutturibus*. Et cap. 7. cõiunxit cum tabula cordis digitos; vbi annuli intelliguntur: *Liga ea* (nempe præcepta) *in digitis tuis: scribe ea in tabulis cordis tui*. Et quod tabula cordis idem sit, quod cor, indicatur ibidem cap. 6. *Liga ea* (præcepta) *in corde tuo iugiter, & circunda gutturi tuo*. vbi eadem est omnino sententia, quæ suprà cap. 3.

Et quidem bullam, quæ à Romanis gestabatur, cor appellari cõstat ex Martiali lib. 14. Apophor. 219. cuius titulus communiter est *Corculum*; sed, vt bene obseruauit Lipsius, supponendum est loco illius, *Corbuculũ*, id est, bulla scortea, qualem apud Romanos gestare solebant ignobiles. Sed vtcumque legas, eadem pro nostra sententia vis. Sic ergo ibi Martialis: Bulla, cor.

Pauper Causidicus nullos referentia nummos
Carmina cùm scribas, accipe cor quod habes.

Ex his mihi fit plusquam verisimile, *cor* apud Hebręos sumi pro aliquo ornamento, seu insigni, quod supra cor est. Et huc allusum à sponsa capite primo, cùm dixit: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur*, id est, sponsus, cuius imaginem inter vbera perpetuò geram; aut sponsi effigies in lamina expressa, erit mihi ad exhilarandum cor pro stacte myrrhina, aut reticulo ex myrrha facto. Quod credo ab sponsa sua exegisse sponsum cap. 8. cùm dixit; *Pone me, vt signaculum super cor tuum.*

Quòd *nasus* sit aliquod ornamẽtum nasi, aliquibus videtur non improbabile, quia aliter putant, nõ satis decorè sponsæ nasum conferri cum turre Libani, cap. 7. Neque desunt coniecturæ nõ leues in Scriptura; nam Isai. cap. 3. vbi vulgatus legit, *gemmas in fronte pendentes*; Hebraicus textus habet, *monilia nasi*; & Ezech. capite 16. *inauris super os*, inter nuptialia dona numeratur, *Dedi inaurem super os tuum*. Super quem locum ita Hieronymus: *Vsque hodie inter cætera ornamenta mulierum solent aurei circuli in os ex frõte pendere*. Qua de Nasi gẽma.

de re nos pluribus in illum locum Isaiæ;sed ego aliter expono in cap. 7. illud de naso sponsæ. Ambrosius Serm. 17. in Psalm. 118. quam noster Cant. 7. *comam* appellat, ipse *ornatum* esse dicit: sic enim ille legit paulo aliter quàm alij. *Ornatus capitis tui sicut purpura*; quem ornatum, coronam esse dicit.

De vmbilico grauior, & manifestior ratio est, vt dicemus suo loco cap. 7. Neque, puto, dicerem aliquid, quod respueret æquus, ac benignus lector, si in locis suprà adductis, *guttur*, seu, vt Hebraicus habet textus, *guttura*, & *digitos*, & *manus*, pro gutturis, manuum, & digitorum ornamento sumerem: nempe pro torquibus, armillis atq; annulis, in quibus liganda dicuntur præcepta, & descripta est Ierusalem. Nam quòd caput sponsæ, cùm comparatur cum Carmelo, & caput sponsi, cùm dicitur aurum optimum, coronas significent, mihi dubium non est, vt suo loco diximus: quia de naturali capitis ornamento, id est, de capillis, seorsum agitur, & his rebus assimilantur, à quibus longè abest, aut Carmeli species, aut auri color. Sed quia hæc exponi possunt metonymicè: ita vt subiectum ponatur pro adiuncto; atque adeò de gutture, manibus, ac digitis propriè accipi possunt, ideo non mihi tantùm iuris assumo, vt hæc significare affirmem, torques, armillas, annulos, licèt in eis insculpta putem, quæ suprà, commemorantur.

Neque ego sum, qui solus, aut primus in hanc cogitationem veni; nam in primis Abenezra in *vmbilico* sponsæ, cingulum, vt mox dicemus; in *femoribus*, femorum integumenta, (quod etiam putauit Ambrosius) in *ventre* sponsi distinctum, & stellatum gemmis baltheum videt. Et idem putat Lyra, dum sapphiros, quibus distinctus esse dicitur venter sponsi, in veste, quæ ventrem tegit, ligatos esse dicit. Quod etiam ex recentioribus sentit Sotomaior, qui non improbat in ventre sponsi, ventris ornamentum intelligi, nempe baltheũ, seu aliquid simile. Et indicat Genebrardus satis apertè ad illud capitis 7. *Quàm pulchri sunt gressus tui*. Ibi dicit, laudari in sponsa, à virginibus ea, quæ videntur; quia homines exteriora respiciunt. Sed quis credat virginum oculis fuisse propositum sponsæ vmbilicum, ac femorum iuncturas? Et nunc omnium nouissimè Michaël Ghislerius quædam, quæ membra sonãt, membrorum integumenta, aut ornamenta interpretatur; *ventrem* videlicet pro thorace sumit cap. 5. vbi de ventre agitur sponsi: & iterum cap. 7. idem putat de sponsæ ventre.

Quare ego nihil hîc dico, quod alij non scripserint, & quod plurimi iam non sentiant, & probent. Id solùm facio, à quo video alios abstinuisse, vt hæc tam in sacra, quàm in profana Scriptura in vsu fuisse probem. Si verò in hac re probanda longior fui, danda mihi venia est: eo enim studio hæc aggressus sum, vt ostendam in his purissimis Canticis nihil esse, quod aliquid oleat non purum.

PROLEGOMENON XI.

De titulo huius libri.

APud Hebræos, vbi aliquid in suo genere præclarum, & eximium est, illud repetito vocabulo explicari solet, quod apud Latinos in secundo casu numero multitudinis ponitur. Hinc ab Apostolo *sancta sanctorum* dicta sunt sanctissima in intima parte Tabernaculi penetralia. Ita etiam *sabbatha sabbatho-*

Lyra de peccatis in cornibus ararũ, & consequenter de aliis etiam partibus idem sentire debet. Et verò quid in aris scribi potuerit, non video: quandoquidem ibi de idololatria sermo est, vt legenti constat. In vngue adamantino stylo ferreo scriptum esse peccatum, aut indicat, imaginem, seu memoriale aliquod deorum, quos Iudæa iam impia venerabatur, esse in gemma, quę erat inclusa in annulo; aut ideo in gemma scriptũ esse dicitur, vt hinc appareat, quantum studium fuerit, & amor in falsos deos, quia illa, quæ maximè in veneratione, aut amore sunt, in annulis gestantur. Quòd si ita est, vt planè videtur ita dicendum esse, cùm scriptum etiam dicitur peccatum *super latitudinem cordis ipsorum*; cordis nomine significatur lamina, seu lunula, quæ à collo demissa ad medium vsque pectus descendit: in cuius latitudine, id est, spatio medio, idolum esset insculptum. Neque aliud voluit, meo iudicio, Oseas cap. 2. cùm de Iuda adultera, id est, idolorum cultrice (nam sub ea metaphora eo loco de idololatria loquebatur) dixit: *Auferat adulteria sua de medio vberum suorũ*; quia inter vbera, id est, supra cor, laminam gestabat, aut bullã, in qua adulteria, id est, idola cælata erant.

Osea c. 2.

Porrò hæ laminæ aliis locis vocantur *tabula cordis*. Prouer. 3. *Misericordia, & veritas te non deserant: circunda ea gutturi tuo, & scribe in tabulis cordis tui*, id est, in colli ornamentis, quæcunque illa sint. Nam in textu Hebraico in plurali est גרגרים *Gargherim*, id est, *gutturibus*. Et cap. 7. cõiunxit cum tabula cordis digitos; vbi annuli intelliguntur: *Liga ea* (nempe præcepta) *in digitis tuis: scribe ea in tabulis cordis tui*. Et quod tabula cordis idem sit, quod cor, indicatur ibidem cap. 6. *Liga ea* (præcepta) *in corde tuo iugiter, & circunda gutturi tuo*. vbi eadem est omnino sententia, quæ suprà cap. 3.

Prou. 3.

Et quidem bullam, quæ à Romanis gestabatur, cor appellari cõstat ex Martiali lib. 14. Apophor. 219. cuius titulus communiter est *Corculum*; sed, vt bene obseruauit Lipsius, supponendum est loco illius, *Corbuculũ*, id est, bulla scortea, qualem apud Romanos gestare solebant ignobiles. Sed vtcumque legas, eadem pro nostra sententia vis. Sic ergo ibi Martialis:

Bulla, cor.

Pauper Causidicus nullos referentia nummos
Carmina cùm scribas, accipe cor quod habes.

Ex his mihi fit plusquam verisimile, *cor* apud Hebręos sumi pro aliquo ornamento, seu insigni, quod supra cor est. Et huc allusum à sponsa capite primo, cùm dixit: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur*, id est, sponsus, cuius imaginem inter vbera perpetuò geram; aut sponsi effigies in lamina expressa, erit mihi ad exhilarandum cor pro stacte myrrhina, aut reticulo ex myrrha facto. Quod credo ab sponsa sua exegisse sponsum cap. 8. cùm dixit; *Pone me, vt signaculum super cor tuum.*

Quòd *nasus* sit aliquod ornamẽtum nasi, aliquibus videtur non improbabile; quia aliter putant, nõ satis decorè sponsæ nasum conferri cum turre Libani, cap. 7. Neque desunt coniecturæ nõ leues in Scriptura: nam Isai. cap. 3. vbi vulgatus legit, *gemmas in fronte pendentes*; Hebraicus textus habet, *monilia nasi*; & Ezech. capite 16. *inauris super os*, inter nuptialia dona numeratur, *Dedi inaurem super os tuum*. Super quem locum ita Hieronymus: *Vsque hodie inter cætera ornamenta mulierum solent aurei circuli in os ex frõte pendere*. Qua de

Nasi gẽma.

de re nos pluribus in illum locum Isaiæ;sed ego aliter expono in cap. 7.illud de naso sponsæ. Ambrosius Serm.17.in Psalm.118. quam noster Cant.7. *comam* appellat, ipse *ornatum* esse dicit:sic enim ille legit paulo aliter quàm alij. *Ornatus capitis tui sicut purpura*; quem ornatum, coronam esse dicit.

De vmbilico grauior,& manifestior ratio est, vt dicemus suo loco cap.7.Neque,puto,dicerem aliquid, quod respueret æquus, ac benignus lector,si in locis suprà adductis, *guttur*, seu, vt Hebraicus habet textus, *guttura*,& *digitos*,& *manus*, pro gutturis,manuum, & digitorum ornamento sumerem:nempe pro torquibus,armillis atq; annulis, in quibus liganda dicuntur præcepta,& descripta est Ierusalem. Nam quòd caput sponsæ,cùm comparatur cum Carmelo, & caput sponsi, cùm dicitur aurum optimum, coronas significent, mihi dubium non est, vt suo loco diximus: quia de naturali capitis ornamento, id est,de capillis, seorsum agitur, & his rebus assimilantur, à quibus longè abest, aut Carmeli species, aut auri color. Sed quia hæc exponi possunt metonymicè: ita vt subiectum ponatur pro adiuncto; atque adeò de gutture, manibus, ac digitis propriè accipi possunt,ideo non mihi tantùm iuris assumo, vt hæc significare affirmem,torques,armillas, annulos, licèt in eis insculpta putem,quæ suprà commemorantur.

Neque ego sum,qui solus,aut primus in hâc cogitationem veni; nam in primis Abenezra in *vmbilico* sponsæ, cingulum, vt mox dicemus; in *femoribus*, femorum integumenta, (quod etiam putauit Ambrosius) in *ventre* sposi distinctum, & stellatum gemmis baltheum videt. Et idem putat Lyra, dum sapphiros, quibus distinctus esse dicitur venter sponsi, in veste, quæ ventrem tegit,ligatos esse dicit. Quod etiam ex recentioribus sentit Sotomaior,qui non improbat in ventre sponsi, ventris ornamentum intelligi,nempe baltheū, seu aliquid simile. Et indicat Genebrardus satis apertè ad illud capitis 7. *Quàm pulchri sunt gressus tui*. Ibi dicit, laudari in sponsa, à virginibus ea, quæ videntur; quia homines exteriora respiciunt. Sed quis credat virginum oculis fuisse propositum sponsæ vmbilicum, ac femorum iuncturas?Et nunc omnium nouissimè Michaël Ghislerius quædam,quæ membra sonāt, membrorum integumenta, aut ornamenta interpretatur; *ventrem* videlicet pro thorace sumit cap. 5. vbi de ventre agitur sponsi: & iterum cap.7.idem putat de sponsæ ventre.

Quare ego nihil hîc dico, quod alij non scripserint,& quod plurimi iam non sentiant,& probent. Id solùm facio, à quo video alios abstinuisse, vt hæc tam in sacra,quàm in profana Scriptura in vsu fuisse probem. Si verò in hac re probanda longior fui,danda mihi venia est:eo enim studio hæc aggressus sum, vt ostendam in his purissimis Canticis nihil esse, quod aliquid oleat non purum.

PROLEGOMENON XI.

De titulo huius libri.

APud Hebræos, vbi aliquid in suo genere præclarum, & eximium est, illud repetito vocabulo explicari solet, quod apud Latinos in secundo casu numero multitudinis ponitur. Hinc ab Apostolo *sancta sanctorum* dicta sunt sanctissima in intima parte Tabernaculi penetralia. Ita etiam *sabbatha sabbatho-*

femora.Ierem.13.v.26.*Ego nudaui femora tua*.Fortasse quia vestis illa polymita,& varia, à qua sponsa dicitur *circundata varietatè*, ad genua tantùm vsque demittebatur. Et ideo pro his corporis membris adhibetur quas proximè cohibent, & ornant illius integumenti oræ fimbriatæ, qualia sunt femora, & quæ non nisi ad ignominiam reuelari solent. Quòd si Adriano Iunio credimus, etiam vox Græca μηρὸν, *femur* valet, & *id quo femur operitur*: nam in Adagiis, quæ addidit Erasmo, centuria 1. Adagio 47. μηρὸν θυραῖον, quod est apud Sophoclem, sic vertit, *fenestratum femur*. Quæ quis non videt de femorali tegumento, Laconico more discisso optimè; de femore autem dici nullo modo posse? Neque aliter, meo iudicio, sentit Ambrosius, qui Sermon.17.in Psalm.118. vbi vulgatus habet, *iunctura femorum*, pro quo ipse *modulos* legit; modulos ornamenta esse dicit. Quare ibi femora in significatione propria non sumit: neque enim moduli seu iuncturæ femora constringunt, aut confibulant, sed eorum integumenta.

37. Quòd si hoc alicui minùs probabitur, quod non puto, illud certè minùs videbitur difficile, si per metonymiam rem contentam pro continenti positam esse dicamus; quod in profanis sæpe, & in sacris scriptoribus non rarò deprehendimus. Qua ratione *Vcalegontem*, pro ipsius domo, & *S. Petrum*, *& Paulum*, pro ipsorum templis, *manes*, *& Plutonem*, pro inferno, & *pisces*, pro conchis, *bouem*, pro bouina pelle, & eius generis alia passim adhibemus. Sed in sacra Scriptura non minùs frequens, & in his Canticis ex multorum sententia, exempla non obscura. Nam cap.5. ideo manus sponsi dicuntur *plenæ hiacynthis*, quia hiacynthi in annulis, qui manus ornant, & quodam modo cōtinent, inclusi sunt; & caput sponsi *aurum optimum* cap.5. quia aurea corona redimitum; & iterum cap.7. sponsæ caput *Carmelo simile*, propter coronæ eximie varietatem, & nitorem. Neque aliter accipio illud Prou.3.& 6. vbi præcepta Dei ligari iubentur *in gutture*, siue, vt Hebraicus habet textus, *in gutturibus*, & *in manibus*, & *digitis*: nisi quia insculpenda sunt in torquibus, annulis, & armillis, in quibus gestari solent, quæ in amore nobis, aut in honore sunt; vt dicemus statim. Et vt minimùm sic accipienda sunt, quæ suprà diximus commune habere vocabulum cum his, quibus teguntur, aut ornantur; qualia sunt *corpus*, *humerus*, *pes*, *tibia*, &c. Quid ergo, aut nouum, aut inusitatum, si eadem sermonis forma, existimemus, *ventrem*, *femora*, *vmbilicum*, pro eorum tegumentis, atque ornamentis adhiberi?

Per metonymiam vestis pro parte vestita sumitur.

PROLEGOMENON X.

Quòd ornamenta commune nomen habeant cum parte ornata.

SAtis constat, in vsu fuisse non apud Gentiles solùm, sed etiam apud Hebræos, vt eorum, quos charos habent, aut aliqua ratione venerandos, imagines gestent in annulis, laminis, & ornamentis illis, quibus imprimi, aut in quibus cælari sigilla solent. De Gentilibus docuit Cicero de Finibus, cùm ageret de Epicuro: *Eius*, inquit, *imaginem non modò in tabulis nostri familiares, sed etiam in poculis, & annulis habent*. Idem Plinius lib. 35. 38.

Charorū imagines gestari solitæ.

cap.

cap.2.& Clemens Alex.lib.3.Pædagogi cap.11.non longè à principio, monet ne idolorum imagines cælentur in annulis. Huc facit illud Pythagoræ tritum; *in annulo Dei imaginem non esse gestandam.* Quod alienum non est ab Hebræorum consuetudine:quod colligo ex Gen. 35. Genes.cap.35.vbi cùm Iacob à suis domesticis idola petiisset, vt ea postea sub terebinthum infoderet, statim subditur: *Dederunt ergo ei omnes deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum.* Inaures verò habuisse idolorum formas, docuit Augustinus quæstionibus super Genes.quæst.112. *Quæritur*, inquit,*quare & inaures dederint, quæ, si ornamenta erant, ad idololatriam non pertinebant; nisi quia intelligendum est phylacteria fuisse deorum alienorum; nam Rebeccam à seruo Abrahæ inaures accepisse, Scriptura testatur; quod non fieret, si in eis inaures habere ornamenti gratià non liceret. Ergo illæ inaures, quæ cum idolis data sunt, vt dictum est, idolorum phylacteria fuerunt.* Hæc Aug. Chrysost. Hom. 35.in Genes. *Et dederunt Iacobo deos alienos; non enim erant sui; & inaures, quæ erant in auribus eorum: fortè enim, & hæc signa erant istorum idolorum, ideo hæc cum diis afferunt Iacob.* Idem putat Lyra, & vtraque Glossa. Ostendit verò translatio Septuaginta,& Chaldaica Paraphrasis, in manibus quoque habuisse deos, sicut in auribus; id est, in annulis, seu armillis; sic enim LXX. *Dederunt Iacob deos alienos, qui erant in manibus eorum, & inaures, quæ erant in auribus eorum.* Eodem ferme modo Chaldæus, consentaneè ad textum Hebraicum, qui manuum quoque meminit. Vt ergo hi idolorum effigiem, siue aliquod Gentilitiæ superstitionis phylacterium gestabant in manuū, atque aurium ornamentis; sic etiam longè post illa tempora Iudæi non solùm impij, & auitæ Religionis immemores; sed etiam maximè pij, & Diuinæ Religionis obseruantissimi, phylacterium aliquod suæ Religionis, aut aliquam imaginem rerum, quas amabant, ferebant in familiaribus ornamentis. De piis postea aliquid, dum exponemus quædam Prouerbiorum loca; nunc satis sit argumenti Psalmus 136. vbi captiui Iudæi id ipsum videntur indicare. Psal. 136. Gestabant, credo, cùm Babylonem migrarent, in annulis, aut armillis insculptam Ierusalem, cuius obliuisci non poterāt, nisi manuum suarum obliuiscerentur; & ideo dicunt se, quandiu manus habebunt, non futuros immemores Ierusalem; *Si oblitus fuero tui, Ierusalem, obliuioni detur dextera mea*, id est, dabitur, Hebræorum more, qui imperatiuum adhibēt pro futuro. Et eodem modo explico, quod statim additur; *Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui*, id est, adhærebit. Quasi dicat: nisi lingua faucibus adhæserit. Ad quam amatium consuetudinem sine dubio allusit Deus Isaiæ 49. cùm dixit; *Ego tamen non obliuiscar tui: ecce in manibus meis descripsi te, muri tui coram oculis meis semper.* Isai. 49. Quasi dicat: vt manus meæ præsentes mihi sunt, sic Sion, quam in annulis, vel armillis manuum inscripsi. De impiis satis cōstat ex cap. 35.Genes.& ex Ieremia cap.17. nam cùm in fine præcedentis capitis dixisset; *Nunquid faciet sibi homo deos, & ipsi non sunt dij?* statim in principio cap.17. dicit: *Peccatum Iudæ scriptum est stylo ferreo in vngue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum, & in cornibus ararum eorum.* Ierem. 17. Vbi peccatum, pro idolo positum est, sicut Amos c.8. *delictum Samariæ*, pro vitulis aureis. Et quidem ita sentit Lyra

Lyra

Lyra de peccatis in cornibus ararũ, & consequenter de aliis etiam partibus idem sentire debet. Et verò quid in aris scribi potuerit, non video: quandoquidem ibi de idololatria sermo est, vt legenti constat. In vngue adamantino stylo ferreo scriptum esse peccatum, aut indicat, imaginem, seu memoriale aliquod deorum, quos Iudæa iam impia venerabatur, esse in gemma, quę erat inclusa in annulo; aut ideo in gemma scriptũ esse dicitur, vt hinc appareat, quantum studium fuerit, & amor in falsos deos, quia illa, quæ maximè in veneratione, aut amore sunt, in annulis gestantur. Quòd si ita est, vt planè videtur ita dicendum esse, cùm scriptum etiam dicitur peccatum *super latitudinem cordis ipsorum*; cordis nomine significatur lamina, seu lunula, quæ à collo demissa ad medium vsque pectus descendit: in cuius latitudine, id est, spatio medio, idolum esset insculptum. Neque aliud voluit, meo iudicio, Oseas cap. 2. cùm de Iuda adultera, id est, idolorum cultrice (nam sub ea metaphora eo loco de

Osea c.2. idololatria loquebatur) dixit: *Auferat adulteria sua de medio vberum suorũ*; quia inter vbera, id est, supra cor, laminam gestabat, aut bullã, in qua adulteria, id est, idola cælata erant.

Prou.3. Porrò hæ laminæ aliis locis vocantur *tabulæ cordis*. Prouer. 3. *Misericordia, & veritas te non deserant: circunda ea gutturi tuo, & scribe in tabulis cordis tui*, id est, in colli ornamentis, quæcunque illa sint. Nam in textu Hebraico in plurali est גרגרים *Gargherim*, id est, *gutturibus*. Et cap. 7. cõiunxit cum tabula cordis digitos; vbi annuli intelliguntur: *Liga ea* (nempe præcepta) *in digitis tuis: scribe ea in tabulis cordis tui*. Et quod tabula cordis idem sit, quod cor, indicatur ibidem cap. 6. *Liga ea* (præcepta) *in corde tuo iugiter, & circunda gutturi tuo*. vbi eadem est omnino sententia, quæ suprà cap. 3.

Et quidem bullam, quæ à Romanis gestabatur, cor appellari cõstat ex Martiali lib. 14. Apophor. 219. cuius titulus communiter est *Corculum*; sed, vt bene obseruauit Lipsius, supponendum est loco illius, *Corbuculũ*, id est, bulla scortea, qualem apud Romanos gestare solebant ignobiles. Sed vtcumque legas, eadem pro nostra sententia vis. Sic ergo ibi Martialis: Bulla, cor.

Pauper Causidicus nullos referentia nummos
Carmina cùm scribas, accipe cor quod habes.

Ex his mihi fit plusquam verisimile, *cor* apud Hebręos sumi pro aliquo ornamento, seu insigni, quod supra cor est. Et huc allusum à sponsa capite primo, cùm dixit: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur*, id est, sponsus, cuius imaginem inter vbera perpetuò geram; aut sponsi effigies in lamina expressa, erit mihi ad exhilarandum cor pro stacte myrrhina, aut reticulo ex myrrha facto. Quod credo ab sponsa sua exegisse sponsum cap. 8. cùm dixit; *Pone me, vt signaculum super cor tuum.*

Quòd *nasus* sit aliquod ornamẽtum nasi, aliquibus videtur non improbabile, quia aliter putant, nõ satis decorè sponsæ nasum conferri cum turre Libani, cap. 7. Neque desunt coniecturæ nõ leues in Scriptura; nam Isai. cap. 3. vbi vulgatus legit, *gemmas in fronte pendentes*; Hebraicus textus habet, *monilia nasi*; & Ezech. capite 16. *inauris super os*, inter nuptialia dona numeratur, *Dedi inaurem super os tuum*. Super quem locum ita Hieronymus: *Vsque hodie inter cætera ornamenta mulierum solent aurei circuli in os ex frõte pendere*. Qua Nasi gẽma.

de

de re nos pluribus in illum locum Isaiæ;sed ego aliter expono in cap. 7. illud de naso sponsæ. Ambrosius Serm. 17. in Psalm. 118. quam noster Cant. 7. *comam* appellat, ipse *ornatum* esse dicit:sic enim ille legit paulo aliter quàm alij. *Ornatus capitii tui sicut purpura*; quem ornatum, coronam esse dicit.

De vmbilico grauior,& manifestior ratio est, vt dicemus suo loco cap. 7. Neque,puto,dicerem aliquid, quod respueret æquus, ac benignus lector,si in locis suprà adductis, *guttur*, seu, vt Hebraicus habet textus, *guttura*,& *digitos*,& *manus*, pro gutturis,manuum, & digitorum ornamento sumerem:nempe pro torquibus,armillis atq; annulis, in quibus liganda dicuntur præcepta,& descripta est Ierusalem. Nam quòd caput sponsæ, cùm comparatur cum Carmelo, & caput sponsi, cùm dicitur aurum optimum, coronas significent, mihi dubium non est, vt suo loco diximus: quia de naturali capitis ornamento, id est,de capillis, seorsum agitur, & his rebus assimilantur, à quibus longè abest, aut Carmeli species, aut auri color. Sed quia hæc exponi possunt metonymicè: ita vt subiectum ponatur pro adiuncto; atque adeò de gutture, manibus, ac digitis propriè accipi possunt,ideo non mihi tantùm iuris assumo, vt hæc significare affirmem,torques,armillas, annulos, licèt in eis insculpta putem,quæ suprà, commemorantur.

Neque ego sum,qui solus,aut primus in hâc cogitationem veni; nam in primis Abenezra in *vmbilico* spõsæ, cingulum, vt mox dicemus; in *femoribus*, femorum integumenta, (quod etiam putauit Ambrosius) in *ventre* spõsi distinctum, & stellatum gemmis baltheum videt. Et idem putat Lyra, dum sapphiros, quibus distinctus esse dicitur venter sponsi, in veste, quæ ventrem tegit, ligatos esse dicit. Quod etiam ex recentioribus sentit Sotomaior, qui non improbat in ventre sponsi, ventris ornamentum intelligi, nempe balthe û, seu aliquid simile. Et indicat Genebrardus satis apertè ad illud capitis 7. *Quàm pulchri sunt gressus tui*. Ibi dicit, laudari in sponsa, à virginibus ea, quæ videntur; quia homines exteriora respiciunt. Sed quis credat virginum oculis fuisse propositum sponsæ vmbilicum, ac femorum iuncturas? Et nunc omnium nouissimè Michaël Ghislerius quædam,quæ membra sonãt, membrorum integumenta, aut ornamenta interpretatur; *ventrem* videlicet pro thorace sumit cap. 5. vbi de ventre agitur sponsi: & iterum cap. 7. idem putat de sponsæ ventre.

Quare ego nihil hîc dico, quod alij non scripserint,& quod plurimi iam non sentiant,& probent. Id solùm facio, à quo video alios abstinuisse, vt hæc tam in sacra,quàm in profana Scriptura in vsu fuisse probem. Si verò in hac re probanda longior fui,danda mihi venia est:eo enim studio hæc aggressus sum, vt ostendam in his purissimis Canticis nihil esse, quod aliquid oleat non purum.

PROLEGOMENON XI.

De titulo huius libri.

APud Hebræos, vbi aliquid in suo genere præclarum, & eximium est, illud repetito vocabulo explicari solet, quod apud Latinos in secundo casu numero multitudinis ponitur. Hinc ab Apostolo *sancta sanctorum* dicta sunt sanctissima in intima parte Tabernaculi penetralia. Ita etiam *sabbatha sabbatho-*

rum, vanitas vanitatum, *Rex Regum, virgo virginum*, & similia, quæ in eo genere excellunt. Quia ergo hoc Cãticum nobilissimum est canticorum omnium, *Canticum Canticorum* appellatur, & inscribitur. Est autem verisimile, referri ad omnia Salomonis carmina, qui 3. Regum cap. 4. scripsisse dicitur quinque millia carminum; &, si Iosepho credimus lib. 8. cap. 2. quinque librorum millia carminum, & odarum: inter quos hic nobilissimus est, vel materiæ dignitate, quo nihil Diuinius, vel genere compositionis, quo nihil potest esse suauius.

Salomon carminia plurima scripsit.

Dubitare hîc aliquis posset, cur cùm in aliis librorum titulis Salomon se Regem inscribat, in Ecclesiaste, & in Prouerbiis, hîc tamen Regij nominis oblitus Salomonem se simpliciter vocet? Causam indicat Hieronymus in Procemio Ecclesiastæ: quia in Canticis cum perfectis agitur; *vbi non timore eruditur discipulus, sed amore filius, proprium nomen sufficit, & æqualis magister est, & nescit se esse Regem*; in Prouerbiis autem, & Ecclesiaste longè alia ratio est. Ego aliam hîc, & rationem odoror: quia fortasse hîc typicè sponsum agit Salomon, à quo abesse debet quidquid superbum, & ambitiosum sonat, aut timorem exigit, & obseruantiam: neque enim (vt quidam acutè dixit, & verè)

Salomon cur se hic nõ appellet Regẽ.

——*bene conueniunt, & in vna sede morantur*
Maiestas, & amor.——

Quare in aliis libris, vbi legislatorem agit, aut gubernatorem, nomen assumit Regium; hîc, vbi amans inducitur, fastus abiicit, & titulos sonãtes. Sicut etiam in his Canticis illa Dei nomina non audimus, quæ timorem incutiunt, sed quæ amorem concilhant; quia sponsus est Deus, & sponsæ animum, non tam maiestate deterret, quàm humanitate allicit. Sed, quia probabilius esse existimabam Proleg. 2. non tam induci hîc Salomonem, quàm Solymitanum adolescentem, puto hîc Salomonem Regium nomen à Canticorum titulo remouisse, quia ipse in his nuptiis sponsus videri noluit. Rex enim, vt pluribus in Prolegomeno 5. ostendimus, nomen est nuptiale, quod sæpius de se in hoc Epithalamio sponsus audit.

PROLEGOMENON XII.

Quid idoneus lector afferre debeat ad hæc Cantica.

NOTVM est, quod Origenes in principio 4. Homiliarum in 40.
Cantica tradit, & Hieronymus in Procemio c. 1. Ezechielis; cautũ esse ab Hebræis, ne quis initium Genesis, aut initium, & finem Ezechielis, aut denique Canticum Canticorum legeret, nisi priùs ætatem Sacerdotalem, id est, trigesimum annum impleuisset. Cuius rei duas ego causas inuenio. Altera est, quia horum librorum obscuritas maior est, quàm quæ à iuuenili ingenio superari possit. Quod duo alij libri non obscurè docent, in quibus nihil occurrit aliud, quod ab eorum lectione ætatem illam nondum maturam deterrere debeat: Altera, quæ horum Canticorũ propria est, quia non nisi castis animis ad amatorium Canticũ patere debet aditus; castitas verò in ætate illa feruente non ita sępe reperitur, atque in Sacerdotali, in qua cũ ardore iuuenili, vis illa ignea & incœffrænata libido deferbuit.

Lector Canticorum non iuuenis.

Primùm itaque, qui horum Canticorum idoneus lector esse vult, afferat oportet eruditionem variam, tam à sacra, quàm à profana literatura;

tura; si modò velit vtilé operam nauare euoluendo, atque extricando cortici, in quo neque facilis, neque vulgaris latet eruditio. Quod ad omnem Scripturam sacram apprimè intelligendam necessarium esse docet Augustinus lib. 2. de Doctr. Christiana cap. 28. Accedit quòd liber hic, in quo perpetua quædam est parabola, obscurissimus est, & ænigmati quàm simillimus, imò ænigma quoddam implexum, & opertum: sic illum vocat idem August to. 9. lib. de Pastoribus cap. 15. *Cantica*, inquit, *Canticorum ænigmata sunt, paucis intelligentibus nota sunt; paucis pulsantibus aperiuntur.*

Paucis ait Augustinus patere ista Canticorum sacraria, etiamsi diu, multúmque pulsent: cuius eam esse causam existimo, quia nihil aliud requiri putant ad sacri huius carminis intelligentiam, quàm quod ad vulgare, atque profanum carmen afferre solet curiosus animus. Pulsat quidem huius Epithalamij ostium, & ad illud longas agit excubias curiosus lector; pulsat inflatus inani eruditione; pulsat ingenio, labore, assiduitate: sed huic non aperitur, neque extricatur impeditum ænigma; quia clauem non affert. Illa verò est, quæ Deum ad aperiendum inclinat, nempe animus humilis, & docilis, terrena despiciens, ablactatus à lacte, auulsus ab vberibus: hunc enim Dominus scientiam docet, & intelligere facit auditum; &, vt ab his Canticis documentum aliquod sumamus, ad cellam vinariam sponsi, cuius hæc Cãtica symbolum quoddam sunt, tunc admissa est sponsa, quando se rusticam confessa est, & à Sole fuscatam. Sanè sublimia quædam, & arcana mysteria abscondita esse sapientibus, & prudentibus, sua nimirum opinione; reuelata verò paruulis, id est, humilibus, sponsus

Deus quibus se ipsum ostẽdit, & cõmunicat.

ipse Christus iamdudum edocuit.

Bernard. Serm. 79. in Cant. in huius libri lectore amorem desiderat ardentem, & castum. *Frustra*, inquit, *ad audiendum, legendumve amoris carmen, qui non amat, accedit: quoniam omnino non potest capere ignitum eloquium frigidum pectus. Quomodo enim Græcè loquentem non intelligit, qui Græcè non nouit; nec Latinè loquentem, qui Latinus non est; & ita de cæteris: sic lingua amoris ei, qui non amat, barbara erit. Erit enim sicut æs sonans, aut cymbalum tinniens.*

Quòd si is, qui diuini amoris suauitatem expertus non est, ineptus accedit ad amoris carmen; multo sanè minùs accedet idoneus, cuius obscœnus amor sensus titillat, & cuius impurus fœtor ingratus non est. Non enim qui animum turpibus assuefecit amoribus, cùm species occurrit amoris etiam casti, & nomina vtrique amori communia, facilè ab eo amore, quo iam antea pridem imbutus est, animum, aut cogitationẽ auertit. Ita enim fere quisq; aut sentit, aut iudicat de rebus, vt animo siue castè, ac piè, siue prauè, ac nequiter affectus est. Hinc effectum est, vt turpibus turpe aliquid, & obscœnum oleant hæc purissima Cantica; agíque in illis putent de amore vulgari, aut Salomonis cum Pharaonis filia, quam habuit vxorem, aut cum Abisag Sanamitide, quæ senile parentis corpus calefecerat. Quod putauerunt Hæretici quidam, quorum mens luxuriæ demersa cœno, nihil meditatur purum, aut cœleste. Ita sensit Cerchintus quidam Hæreticus, vt refert Salmeron Prolegom. 10. quinquaginta duorum; & Hæretici alij, quos Philastricius hæresi 133. Anonymos appellat. Longè aliter cogitant, qui casto sunt animo, & altiùs eleuato: hi enim in hac vmbra maiora spectant, & ad

Lector amorem afferat castum.

cœlestia ex huius libri lectione magis inflammantur. Qua verò id ratione consequantur, docent quidam è Patribus, quorum sententiam, & rationes accipe.

Mirè elucet in his Canticis diuinus amor.

Gregorius Papa in Præfatione ad Cantica, in his, quæ impuri animi ad turpem aliquem sensum, & cogitationem arripiunt, aliquid inuenit, quo vehementiùs animus ad Dei amorē excitari, atq; inardescere debeat, cùm ad illa sese animus demittat, dum sui amoris vim nobis studet ostendere; quæ ab illo plurimùm distant, cùm aliter nos ad aliquam spiritualium rerum cogitationem, aut nullo modo, aut non nisi difficili peruenire possimus. Sic autem ille post alia in eam sententiam grauia *Notemus, quàm mirabiliter, quàm misericorditer nobiscum operatur, qui, vt nos ad amplexus sacri amoris accendat, vsque ad turpis amoris nostri verba se inclinat. Sed vnde se loquendo humiliat, inde nos intellectu exaltat; quia ex sermonibus huius amoris discimus, qua virtute in Diuinitatis amore ferueamus.* Vide quàm aliter de his Canticis Gregorius, atq; Hæretici sentiant. Addit tamen statim:

Cautè legēda Cātica.

Hic etiam solerter intuendum est, ne cùm exteriora audimus, ad exteriora sentienda remaneamus; & machina, quæ ponitur, vt leuet, ipsa magis opprimat, & aggrauet. Debemus in sensibus exterioribus corporeis, quicquid interius est, quærere, & loquentes de corpore, extra corpus fieri. Lege totam Gregorij Præfationem, quæ sanè grauissima est. Idē propè Gregorius alter Nyssenus Homil. 1. in Cant. vbi pulchra quadam similitudine explicat, quo animo, atque studio ad hæc arcana Canticorū mysteria, quæ artificioso quodā inuolucro tecta sunt, aspirandū sit. Vt enim in Regio simulacro spectamus quidē colorem, & formam, & artificis manū, & ingenium miramur: at in eis, licèt summa insit materiæ dignitas, & artis præstantia, neque acquiescit, neque moratur animus, qui inde se quamprimùm ad prototypum abripit. Sic in hac mystici connubij hieroglyphica effigie, & in rebus, quæ aliquid præ se ferre videntur vulgare, atque corporeum, aliquid spectandum est sublimius, atque sacratius, & in corporeo simulacro, nihil minùs quàm de corporeo cogitandum est.

At dices, in hoc Epithalamio esse esse non pauca, quæ ad purum, & spiritualem sensum trahi non possunt, nisi admodùm ægrè, qualia sunt, *vbera, oscula, femorum iunctura, vmbilicus*, & similia. Respondeo, à nobis datam esse satis diligentem operam, quò ostenderemus in cortice etiam nudo his vocibus nihil inesse fœdum, nihil non purum. Quare huic obiectioni satis, credo, à nobis satisfactum est; sed, etiamsi demus in his vocibus aliquid significari minùs decorum, non tamen ideo negandum est, vmbram in illis esse rerum honestarum. Vt enim pluribus docuimus in nostris Commentariis super Zachariam ad illud cap. 13. *Quid sunt plagæ istæ?* ex sententia Hieronymi epist. 131. ad Ruffinum, qui tamen aliis in locis negarat, & ex August. lib. 22. contra Faustum Manichæum; Gregor. lib. 3. Moral. cap. 21. homines mali, in re etiam non bona, sanctissimarum rerum, atque adeò Dei ipsius typus esse possunt. Quomodo ex sententia Hieron. duę filię Loth vtriusque Testamenti figura sunt, & pater ipsarū Loth Christi typus: quod etiam Gregorius agnoscit in Dauidis concubitu cum Bethsabee. Neque hoc durum visum est profano, atque Gentili populo, qui in fabulas impias, & obscœnas res non solùm

Regula. Res indecora & mala est typus interdū rei sanctissimæ.

lùm physicas; sed etiam morales, & diuinas inclusit, vt docuit Cicero lib.2. de Natura deorum.

Spectet igitur pius, & castus lector sub hac humani, atque vulgaris amoris vmbra, altissima Diuini amoris Sacramenta; excutiat è siliquis, aut è paleis grana, quæ rationalem naturam pascunt, & exaturant; paleas verò stupidæ atque irrationali naturæ relinquat; vt Gregorius monere visus est in Canticorum Præfatione. *Sicut palea*, inquit, *frumentum; sic & litera tegit spiritum, Sed quia iumentorum est paleis, hominum frumentis vesci, qui humana ratione vtitur, paleas abiiciat, frumenta spiritus edere disponat.* Sacerdotalem ætatem requirebant Hebræi in eo, qui vellet hæc inire sacraria, piè illi quidem, atque prudenter; sed mallem mores in eo Sacerdotales requirerent, id est, castos, pudicos, ab omni terrenarum rerum contagione puros; quique vsu didicisset, quanta insit diuino amori vis, quanta suauitas: præ quibus omnino sordeant, aut fortunæ subsidia, aut blandimenta naturæ.

ARGVMENTVM IN CAPVT PRIMVM CANTICORVM.

SPONSA *absentis dilecti desiderio languens, spoliata, & saucia, qualis ex custodum ciuitatis manibus, atque ludibriis euaserat, negat futurum sibi aliquod lenimentum desiderij, atque angoris, nisi ab sponsi osculis: causámque reddit cur sponsum suum tanto affectu diligat, & tanto studio commendet: quia in eius cellaria aliquãdo admissa, experientia didicerat, in eo esse summam suauitatem. Deinde tacitæ puellarum reprehensioni occurrit, quæ mirari iure optimo possent, cùm puellam fusca facie, nonnihil indecoram expetere videant sponsi non indecori legitimas nuptias. Quare fatetur se nigram, non tamen à natura, sed à fratrum iniuria. Deinde, affectu iterum, atque iterum in sponsum erumpente, indicari sibi ab sponso postulat, quo in loco sub meridianum ardorem æstiuam quietem obire soleat. Admonita verò à puellis, vt ad pastorum tabernacula hædos agat, quò verisimile videbatur declinasse spõsum, eò vsque progressa obuium habet dilectum, à quo ornata primùm est instructu nuptiali: deinde amœbæa, id est, reciproca laude, se vicissim, & omnem apparatum genialem commendant.*

CAPVT I. — PARAPHRASIS.

Sponsa.

1 OSCVLEtur me osculo oris sui.

1 O FILIÆ Ierusalem, quæ doloris mei ac solitudinis sociæ, ad quærendum mecum sponsum, sedulum, ac pium studium adhibuistis, ne quæso existimetis, aut verbis posse leuari dolorem meum, aut vnguentis renouari languentem animum: id enim vnus præstare posset dilectus meus, cuius desiderio langueo, si modò ab eius ore vnum aut alterum osculum libare contingat.

2 *Quia meliora sunt*

2 O dilecte mi, si inter vbera tua, id est,

id est, inter læuam, & dexteram dormire mihi permittitur, quod sponsæ licet, imò solemne est; aut haurire per legitima oscula suauissimum halitum, qui ex vberibus, id est, præcordiis tuis expiratur, qui generoso vino, atque optimis vnguentis longè suauior est: hæc mihi pro omnibus, imò & præ omnibus vnguentis præsens erit medicina.

vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.

Totus mihi, ô sponse, oleum es: vsquequaque vnguento diffluis odoratissimo; ita vt nomen tuum, siue auditum, siue imploratum exanimatis, & mœrentibus spiritum, & alacritatem instillet.

Oleum effusum nomen tuum.

3 Quid mirum, ô dilecte, si hæ filiæ Sion, quæ tui quærendi gratiâ, mecum laborant, tam te diligant, vt hæc mecum subeant incommoda, nocturnas tenebras non horreant, cùm illis etiã dum abes, vel à me tantùm nominatus, vnguenti nobilissimi suauitatem inhales?

3 Ideo adolescentulæ dilexerunt te: Trahe me: post te curremus in odorem vnguentorum tuorum.

4 Ne quæso, vobis, filiæ Sion, admirationi sit, vel quòd tam laudem sponsi suauitatem, vel quòd tam studiosè quæram: nam iam admissa sum in cellam vinariam ipsius, & experta quantùm in ea deliciarum sit. Et nos (ita de nobis tibi, ô sponse, persuade) tuorum vberum, id est, deliciarum aut amorum memores, quæ ego experientia; hæ verò sociæ mea narratione cognouerunt, exultabimus, & lætabimur in te; quando nostræ sedulitati, ac votis occurres. Neque amor iste nobis erit proprius, sed communis cum omnibus, qui rectè de vera pulchritudine iudicabunt: & ad id, quod verè pulchrum est, rectè afficientur.

4 Introduxit me Rex in cellaria sua: exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum: recti diligunt te.

5 Ne

5 Nigra

meridianam, age hoedulos tuos, infirmum nempe pecus, quale puellari custodiæ committi solet, ad ea tabernacula, quò pastores alij suum sibi pecus firmum, & robustum de more cogunt.

eberrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum tuorũ; & pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorũ.

9 O sponsa, quæ nunc occurris mihi post tot difficultates atque discrimina, à Sole infuscata, spoliata pallio, & à custodibus ciuitatis affecta plagis, meliori iam esto animo. Nam talem te post hæc incommoda præstabo, qualis in statu non dissimili sponsa describitur in Psalmo de Pharaone triumphato. Ita vt pro vinitrice fusca, & spoliata, ad Regiam speciem, & nomen proueharis: siue quando, vt me quæreres, eadem propè passa es, quæ priùs ego cùm tuas nuptias ambio, incommoda sustinui, apta es, vt mecum idem subeas matrimonij iugum. Quod non minùs decorè atque æqualiter agemus, quàm solent pulcherrimæ equæ ex Ægypto allatæ, in cursu trahendo æqualiter, atque eleganter niti.

Sponsus.

9 *Equitatui meo in curribus Pharaonis, assimilaui te amica mea.*

10 Pollicitus sum tibi, ô sponsa, talia ornamenta qualia in Psalmo de Pharaone triumphato, sponsæ è puluere, mediisque cleris excitatæ data sunt. Ecce iam statim præsto. Genæ enim tuæ iam candidæ sunt, iam pulchræ sicut columbæ: & collum tuum instructum est aureis monilibus. Quare facta es sicut argentea columba, habens in extrema dorsi parte, id est, in ceruice, pallorem auri, quod etiam expressum habes in aureis monilibus, quibus additi sunt argentei vermiculi.

10 *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turtures: collum tuũ sicut monilia. Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.*

11 Dum sponsus, & Rex meus ad

Sponsa.

11 *Dum esset Rex in*

accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.

mensam genialem accubuerit, id curabo ne nardus desit, quæ exornare, & exhilarare cõuiuia solet. Aut certè si ad mensam sponsus sedeat, nardus nullo modo deesse poterit: nam sponsus ipse nardus est, quæ omnem è se odoris suauitatem diffundit.

12 *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.*

12 Erit dilectus meus mihi, pro myrrhæ fasciculo, aut botro cypri, quæ nascitur in vineis Engaddi, quæ oblectare solent odorandi sensum, & confirmare mœrentem, & deficientem animum. Præstabit autem hoc dilectus, vel dũ eum amplexu teneo, vel dum inter vbera supra cor eius imaginem in bulla gero, aut in lamella de collo pendente.

Sponsus.

13 *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum.*

13 Pulchra es, ô sponsa, non solùm propter externum ornamentum quod accepisti nuper à me; sed propter alia, quæ ante hoc temporis vestigium ad nuptias attulisti. Nam primùm oculi tibi sunt verecundi, ac casti, in quibus videre mihi videor columbinorum oculorum modestiam, ac pudorem.

Sponsa.

14 *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. Lectulus noster floridus, tigna domorũ nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.*

14 Imò tu, ô dilecte, pulcher es, & decorus, à quo pulchra omnia ad has nuptiales delicias comparata sunt. En lectulum nostrum flores insternunt: tigna domus in qua mihi tecum conuiuendum est, cedrina; laquearia verò è cypressina materia sunt, quæ grati odoris est: & quia cariem non sentit, neque rimas agit, in æuum durat.

IN

IN CAPVT PRIMVM COMMENTARIVS.

Osculetur me osculo oris sui.

1. Sensus historicus. HOc caput, vt in Prolegomenis dictum est; historico ordine cum fine cap. 5. & principio cap. 6. connectendum est: versatur enim adhuc sponsa in eodem studio ac cursu quærendi sponsum. Inducitur autem à Salomone impatiens, & amoris, & moræ, ab illo distracta cuius amore, & desiderio languebat. Qualis à custodibus euasit, erepto pallio, & acceptis plagis malè iactata, in hortum tendens, in quem cap. 6. suspicabatur sponsum descendisse. Qui sequuntur filiæ Ierusalem, quæ se ad quærendum sponsum socias addiderunt; & quæ in reditu, id est, in geniali pompa, Epithalamium cantant. Hæ verò dum sponsæ orbitatem & mœrorem solantur, aut certè vnguenta, vel alia subsidia adhibent opportuna languentibus, despicit omnia sponsa, tanquam parum idonea leuando dolori suo, id quod res erat, arbitrata ab eo solùm adhiberi posse medicinam, qui vulnus inflixit. Quare iubet, vt vnguenta, & vina quæ ad reuocandum animum vim habent præsentissimam, procul summoueant; sperare se tamen dicit recreatum iri, modò ab ore sponsi vnum aut alterum osculum delibet; quia eius vbera, id est, amatoriæ blanditiæ, longè sunt vnguentis, & vino meliora.

2. Cùm autem hoc castissimum carmen à Spiritu sancto dictatum sit, cuius fructus est continentia, & castitas, ad Gal. 6. curandum nobis est, vt quoad fieri possit, non solùm internum sensum & medullam à diuino Spiritu quæsitam, sed etiam externũ, & quē litera sonat, id est, corticem ipsum, ab omni turpitudinis specie vindicemus. Quare cùm osculum audimus, vel amplexum, nihil audimus lasciuum, & impurum, si antiqua tempora, quibus hæc à Spiritu sancto dictata sunt, obseruemus; in quibus oscula, & complexus signa erāt familiaritatis, & beneuolentiæ. Osculum olim in salutatione adhibitũ, maximè inter cognatos. Vnde in Scriptura frequens osculorum mentio fit. Neque Iacob Genes. 29. aliquid audax, & insuetum tentauit, cùm Rachel cognatam tunc sibi primùm visam osculatus est: & Iudas more fortasse assueto Christum designauit osculo; & Christus ipse Simoni obiecit quòd in conuiuio omiserit osculorum officium. Quin Paulus ad Roman. 6. & 1. Cor. cap. 16. & Petrus Epistola 1. monēt, vt salutent quosdam in osculo sancto; quo non tam corpora coniunguntur, quàm animi, fouetur charitas, non libido. Osculum sanctum quid. Hæc consuetudo in aliis etiam gentibus recepta fuit, vt quoties amici obuij sibi fierent, osculis se exciperent: & inurbanus putabatur, aut superbus, qui non offerret, aut qui auersaretur illud beneuolentiæ signum. Quo nomine apud

Suetonium accusatur Nero, quòd neque adueniens, neque proficiscens quenquam impertiret osculo. Quam consuetudinem tanquam molestam quidam, aut temperarũt, aut omnino sustulerunt. Tiberius certè, vt refert Sueton. in Tiberio cap. 34. lege cauit, ne id amplius cuiquam esset impunitum; non tamen contra consuetudinem tot iam sæculis confirmatam quidquã potuit. Vt enim Mart. lib. 7. Epigr. 94. & lib. 9. ad Bassum, vigebat suo tempore illa consuetudo; vnde acutè queritur:

Effugere non est Basse basiatores,
Instant, morantur, persequuntur, occurrunt.
Et hinc, & illinc vsquequaque, quacunque.

Vnde mirum non est, si, quo tempore etiam inter alienos nihil erat in osculo turpitudinis, id ab sponso expetat, quod suo iure potest spõso castissima; cuius summa laus est, si amet sponsum, & præ illius amore cætera contemnat oblectamenta.

Canticorum scopus.

Hîc etiam notandum, propositum his verbis videri totius operis argumentum, & quasi scopum, quò quæ dicenda sunt deinde, spectant. In libro Prouerbiorum idem author Salomon statim in principio aperuit institutum. *Parabolæ*, inquit, *Salomonis ad sciendum sapientiam, & disciplinam*, &c. *vt detur paruulis astutia, adolescenti scientia, & intellectus.* In Ecclesiaste, cùm ageret de rerum natura, statim in ipso ingressu summam complexus est: *Vanitas vanitatum.* Cùm verò in his Canticis amorem arctissimum animæ cum Christo describat, illudque sit extremum in amore, vt amantis anima in alieno viuat corpore (quod assequutus videtur ille qui audacter, & verè dixit; *Viuo autẽ, iam non ego, & mihi viuere Christus est, & mori lucrum.*) Et infrà cap. 8. *fortis* dicitur *amor, sicut mors*; quia animam nobis eripit, vt aliò transferat: id per osculum à Salomone significatum videtur. Per oscula verò animam quasi in aliena corpora trãsfundi seu transpirari, docuit Plato apud Gellium libro 19. cap. 11. & Macrob. lib. 2. Saturn. cap. 2. qui referunt Græca quædam carmina, quæ lusit adolescens Plato, in quibus dicit parum abfuisse, vt quidam in osculo moreretur, cùm anima penè proprium deserens corpus, ad aliud transmigraret. Carmen accipe Platonis quod Gellius ait valdè olim doctorum hominum testimonio celebratum:

Per oscula mà. ximus amor, & à morte coniunctio significatur.

Τὴν ψυχὴν, Ἀγάθωνα φιλῶν, ἐπὶ χείλεσιν ἔσχον·
Ἦλθε γὰρ ἡ τλήμων ὡς διαβησομένη.

Dixit hoc idem Ambr. libro de Isaac cap. 3. *Per osculum*, inquit, *adhæret anima Deo, per quod scilicet transfunditur spiritus osculantis: sicut & hi, qui se osculantur, non sunt labiorum libatione contenti; sed spiritum suum sibi inuicem videntur infundere.* Idem penè Gregorius. Tum verò sponsa quasi experta esset esse vanissima omnia, quæ in Ecclesiaste describuntur, cùm nihil in ipsis aut bonitatis, aut firmitatis inuenitet, optat non solùm cum sponso esse, sed etiam cùm sponso viuere. Quod etiam amici velle videntur, qui antiqua vel pietate, vel superstitione, ore excipiunt morientium animas, vt ipsis viuant, qui sibi moriuntur. Virg. 4. Æneid.

Morientium spiritum cur amici excipiunt.

——— *Extremus siquis super halitus errat,*
Ore legam. ———

Ouidius de consolatione ad Liuiam.

——— *Excipias,*

Hanc

Hanc animam ore pio.——

Sed omnium elegantissimè Ambr. explicat hanc consuetudinem in Oratione de Satyro fratre: *Nihil mihi*, inquit, *profuit vltimos hausisse anhelitus, nil flatus meos inspirasse morienti.*

4. *Osculetur me osculo oris sui.*] Referri interdum aliquid, non tam ad id, quod scriptum, & prolatum est voce, quàm ad id, quod apud se aliquis meditatur, aut interna cogitatione videt, docet Gregorius in Ezech. Homilia 2. in principio. Reddit autem ibi rationem cur, cùm præcessisset nihil, inchoauerit tamen Prophetiam Ezech. à coniunctione *Et*. *Et factum est verbum Domini*. Ait ergo: *In mente Prophetarum ita coniuncta sunt exterioribus interiora, quatenus simul vtraque videãt; simulq́, in eis fiat, & intus verbum, quod audiunt, & foris quod dicunt. Et ideo qui nihil dixerat inchoauit dicẽs; Et factum est: quia hoc verbum, quod foras protulit, illi verbo, quod intus audierat, coniungit.* Idem Augustinus in illud Psalm. 4. *Et scitote, quoniam mirificauit. Iunctura*, inquit, *coniunctionis, cùm sententia non præcesserit, cui sequens annectatur; mirabiliter fortassis insinuat prolationem veritatis in voce, cum ea visione, quæ fit in corde, esse coniunctam.* Id quod apud profanos non infrequens, præsertim in scena. Hinc ortum illud apud Tulliũ in epistolarum initiis: *Tu igitur. Ego verò*, & similia. Sanè Dialogum de Amicitia sic ingressus est, quasi aliquid antecessisset; *Sunt ista vera Læli.* De coniunctione, *Et*, in librorum principio alia fortasse ratio est, magis ex Hebraico idiomate, quàm ex interna cogitatione, atque locutione nata. Sed certum est, referri sæpe aliquid ad tacitam cogitationem potiùs quàm ad expressam aliquam vocem, & quæ eo modo ex abrupto dicuntur, quia ex affectu ardentiùs excitato erumpunt, & efferbescunt, habere vim ad significandum longè maiorem.

Relatiuũ sine antecedenti ponitur cum epitasi.

Vnde sæpe contingit, vt relatiuum ponatur sine antecedente; quia nimirum refert, quod secum aliquis meditatur. Tale est illud Psal. 86. *Fundamenta eius in montibus sanctis*; scilicet ciuitatis, quam secum ipse contemplabatur, & amabat. Psal. 86. Et Psal. 103. *Facta est Iudæa sanctificatio eius; Israël potestas eius*, id est, *Dei*; cuius opera secum admirabatur. Psal. 103. Et Thren. 3. *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius*, id est, *Dei*, cuius apud se furorem horrebat. Thren. 3. Et Magdalena Ioan. 20. *Domine si tu sustulisti eum*, id est, *Christum*; in quo erat tota, & de quo credebat omnes cogitare. Sic hoc loco magna vis amoris exprimitur, & oratio hæc imperfecta cum eo, quod secum ipsa voluebat, coniungenda est. Vnde magnus aperitur campus sacri verbi Præconibus in euoluendis, quæ in animo ita loquentium inuoluta latent. Et sicut quando, quæ consecutura videntur, per aposiopesim omitttuntur, magna vis additur orationi, vt est illud Virg. *Quos ego*, &c. & illud Ioan. cap. 9. *Si cognouisses & tu*; & illud Psal. *Sed tu Domine vsquequo?* vbi quilibet potest, quod congruit cum eo, quod interruptum omittitur, adiicere: sic quando præcedentia silentur, erui possunt illa congruenter ex animo, & affectu silentis. Hæc aptè in hunc locum dici videntur: nisi mauis illud *sui* referri ad illa, quæ historicè præcessêre, & Dramaticè in cap. 5. repetuntur. Cùm enim sæpius ab sponsa dilecti nomen inclamatum sit, optimè hoc loco, qui cum illo 5. capite contexitur, relatiuum *sui* ponit, quod sponsum re-

ferat ſæpe iam antè repetitum. Ex quo non leuis coniectura ſumitur, quæ hîc dicuntur, non eſſe hiſtoricè prima, ſed tantùm Dramaticè.

3. Regula. Aliqua videntur redundare, quæ tamẽ epitha-ſim habẽt.

Oris ſui.] Videtur hoc loco redũdare hæc vox; quo enim alio inſtrumento oſcula imprimuntur, quàm ore? Sed in Scriptura nulla vox eſt otioſa; nulla periſſologia reperitur. Nam, vt optimè Hieronymus in capite 8. ad Epheſ. *ſinguli ſermones, ſyllabæ, apices, & puncta in diuinis Scripturis plena ſunt ſenſibus.* Idem Baſilius in Proœmio Operis de Spiritu ſancto. Chryſoſt. Homilia 22. in Geneſ. Quare notandum eſt, tum apud profanos, tum apud ſacros authores nonnunquam aliquam vocẽ adhiberi, quæ ex aliis facilè poſſet intelligi; ſed illa eadem expreſſa excitat magis, & ornat orationẽ, quia excitat animum, vt in eo quod dicitur, aliquid magnum & excelſum conſideret. Habet quidem oratio eundem ſenſum verborum, non tamen eũdem ſenſum animi. Quod conſtabit exemplis. Pſalm. 73. *Incẽcenderunt igni Sanctuarium tuum.* Certum, quòd aqua non poterant; & illud, *Voce mea ad Dominum clamaui.* Illa inſtrumentorum expreſſa vox maiorem quandam oſtendit vim vel furoris in arripiendis facibus, vel doloris, aut ſtudij in implorando Dei auxilio. Sic etiam ſæpe dicitur, *Aperuit os ſuum, & dixit.* Quis vnquam ore clauſo loquutus eſt? at hoc dicendi genere ſignificatur orationis grauitas; & eſt quaſi quædã attentionis captatio. Nam ſi ſapiẽtis os (vt dicebat Socrates) quaſi oſtium templi eſt, quod cùm aperueris, apparent ſanctarum rerum ſimulacra: vnde ipſa portarum reſeratio aliquid ſanctum ſpectare nos iubet; ſic vbi Sanctorum os aperitur, magna promittit. Atque ita Iob cap. 3. dicitur *os aperuiſſe:* & Dauid Pſal. 77. *Aperiam in parabolis os meum.* Denique Chriſtus Matth. 5. *aperiens os ſuum,* dixit; quaſi aperiret arcam, vbi erant reconditi omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei. Ita hoc loco cùm videatur duo verba eſſe otioſa, *oſculum,* cùm præceſſiſſet, *oſculetur,* & *os,* quia ab eo tantũ oſculum imprimitur (quemadmodum ab eo deriuatur, quaſi ſit oris quoddam opus) nullum tamen eorum otioſum eſt. Non *oſculum,* quia Hebræorum more indicat iſta coniugatorum copulatio vim aliquam, certitudinem, affectum, &c. iuxta rei, de qua loquimur, naturam; vt, *Occiſione occiſus, Morte morieris, Plorans plorabit, Viſitans viſitabo, Multiplicans multiplicabo, Præcipiendo præcepi, Zelo zelatus ſum, Memoria memor ero, Potẽs poteris;* ſic nũc, *Oſculo oſculetur.* Neque redundat *os;* cùm enim nouiſſet ſponſa os eſſe ſponſi ſicut lilia, & labia ſtillare myrrham primam & guttur eſſe ſuauiſſimum, imò & ſuauitatis; dum oris meminit, ſignificat inuenturam ſe ſibi vnguenta, vinum, odores, & ſiquid eſt aliud, quod fugientem animam reuocet, & deficientem reficiat; neque enim quidquã eſt in natura ſuaue, quod non inhalet per oſcula diuinus ſponſus.

Regula. Coniugatorum vis ad amplificandum maxima.

Senſus allegoricus, & myſticus.

Scriptura ſacra, quæ liber eſt ſcriptus intus & foris, Apoc. 5. & Ezech. 2. ita accipienda eſt, vt non ſolùm quæ ſunt in exteriori facie notata, legantur, ſed etiam illa, quæ in interiori clauſa continentur. Vidimus hactenus pulcherrimæ imaginis inuolucrum; laborandum eſt, vt explicatè iam, & aptè ipſam imaginem intueamur. Arroſimus durũ, neque

4. Senſus allegoricus.

neque tamen ideo omnino insipidum, huius Epithalmij corticem, medullam superest extrahamus.

5. Exprimitur in hoc diuino Cantico ardentissimus & suauissimus amor, quo Christus iustorum animas, seu Ecclesiam, amat effusè, & omni officio tãquam sponsam amplectitur. Inducitur primùm anima quę rerum humanarum, quas in Ecclesiaste notat, vanitatem experta, Deum vnum amat, & implorat, quẽ vnum videt laboranti sibi leuamẽto, & omnium rerum indigenti subsidio, & mœrenti, atque exanimatæ, medicinæ, & consolationi esse posse.

Extremũ in amore est, vt aliquis sibi mortuus in alio viuat.

Osculetur me osculo oris sui.] Extremum in amore est, vt aliquis sibi mortuus in eo viuat, quem amat. Eò ergo adspirare debet sponsa, vt ab osculo sponsi spiritum eius hauriat, in quo viuat. Quod satis innuit ipse sponsus Diuinus, qui per insufflationem Spiritum sanctum, id est, Diuinum halitum, inspirauit. Hanc verò insufflationem per osculum significari suprà demonstratum est. Quod consequutus est Paulus cùm dixit ad Galat. 2. *Viuo autem, iam non ego*. Sic hunc locum exponit Ambrosius libro de Isaac & anima cap. 3. *Tunc*, inquit, *nos osculatur Dei verbum, cùm cor nostrum lumine cognitionis illuminat; & amore bonitatis inflammat, vt adhæreat ipsi, & vnus cum ipso spiritus efficiatur.* Eodem modo Gregorius; *Cùm eius, inquit, sponsa, osculum sentio, subita mutatione me derelinquo, & in eius similitudinem illicò liquefacta transformor.* De hac animorum morali transmigratione, & de morbo, aut morte, quæ est ab amore, dicemus cap. 2. ad illud, *quia amore langueo*. Quomodo verò amãs in amato viuat, & cum illo simul moriatur, dixit elegantissimè Aug. lib. 4. Cõfess. c. 6. vbi in seipso expertum se esse dicit amico suo morte sublato. Optat sponsa ab ore sponsi sui oscula libare, quæ iam sæpe ab eo exhilarata fuerat, & recreata osculis, per alieni tamen oris ministerium impressis.

Quæcunque Dei monita, seu præcepta, vt ait Gregor. lib. 19. Moral. capit. 22. oscula Dei sunt. Mittat Deus Prophetas, & Angelos euangelizantes pacem, euangelizãtes bona: loquutus fuerat ad cor eius, cùm ægro esset, & mœrenti animo; sed neque oscula illa per alios accepta sitientem expleuerant animum, neque verba languentem, & mœrentem spiritum recreauerãt. Quare aliquid desiderat maius, aliquid potentius, quod non nisi ab sponsi sui ore, atque complexu accepturam se sperat. Quasi dicat spõsa: Alieni oris osculo sponsus me sę pe deosculatus est, cùm Spiritum suum Prophetis est impertitus; quẽ ipsi deinde Prophetæ in os meum, & intima inhalerent præcordia, quod osculorum propriũ est opus; sed quid hoc tanti est, si cum osculis ab sponsi libatis ore conferatur? Quare osculetur me osculo oris sui, non osculo oris Prophetarum, id est, alieni. 6.

Dei verba oscula, sunt.

Quòd si in *osculo* Dei doctrina intelligatur; quod Origenes censet Homilia 1. ex 4. Hieronymus epist. 146. ad Damasum, Carpathius, & Anselmus in hunc locum, & Gregorius libro 19. Moral. capit. 22. sensus est non admodùm à superiore diuersus. Optat enim sponsa quæ sæpe ex Prophetarum ore Diuina acceperat oracula, habere iam præsentem illius Propheticæ doctrinæ inspiratorem, corámque ab ipso præsens audire. Ad quod sponsæ votum respexisse videntur Euangelistæ dum tradunt, Christũ os suum aperuisse, cùm verba facere ad 7.

Doctrina osculum Dei.

ret ad Apostolos, & turbas. Sic Gregor. suprà in illud Matth. 5. *Aperiens os suum*, inquit; *Tunc os suum aperuit, qui prius aperuerat ora Prophetarum.* Cur autem sponsa tantopere desideret sponsum audire sua verba resonantem, neque satis sibi habeat accipere eadem Prophetarum ore reperita, ea videtur esse ratio; quia licèt verba fideliter à Prophetis recitata sint, & multifariam, multisque modis, verbis nimirum, & signis ab ipsis proponantur, habent tamen aliquid, idque singulare atque eximium cùm à Diuini sponsi ore, quod melle stillat, & omnem inhalat suauitatem, proferuntur; quod capere non possunt Prophetarum ora. Vt enim os Moysi impeditum, & tardum, cùm ad Ægyptios & Hebræos legationem obiret à Deo sibi traditam, & data sibi mandata fideliter proponeret, tamen à titubante illius ore aliquid siue dignitatis, siue contentionis, ex diuini verbi maiestate, atque spiritu peribat: nam licèt ignis esset, & malleus conterens petras, in languente tamen, atque hæsitante voce ipsum quoque quodammodo hæsitabat, atque languebat. Idem dico de immundis Isaiæ labiis antequam purificarentur candenti carbone; & de infantili Ieremiæ voce. Sanè Æschines fideliter recitabat Orationem Demosthenis, in eius tamen ore frigebat illa vehemens, & ardens Oratio, quia illius actor erat potiùs, quàm author. Atque ideo admirantibus Rhodiis eloquentiam illam admirabilem, respondit Æschines: *Quid si audiissetis illum sua verba resonantem?* Plurimi etenim refert, an magnus Orator sua verba, aut balbus, & rudis recitet aliena. Accedit quòd quemadmodum aqua purior est in fonte, quàm in piscina, seu riuulo, per quem è fonte deriuat, quia ex medio cursu, atque spatio aliquid trahit, quod non erat in capite; sic ex Prophetarum ore, licèt fideli, & vero, quod instar riui, atque canalis est, aliquid habet Diuinum Oraculum minùs acre, & vehemens; & aliquid non habet, quod in ore diuino dulciùs atque vehementiùs resonaret. Vt ergo aquam puram, crystallinam, & frigidam libentiùs è fonte hauris, quàm ex piscina, aut riuulo: sic sponsa ab ipso authore mauult, quàm à Prophetis audire Diuinum Oraculum, id est, non ab alio, quã à sponsi labiis oscula libare. Dixit ex profanis quidam, & dixit verè, & ad nostrum institutum accommodatè: Licèt puri sint calathi, qui flores concinnant, aut poma, pulchræ lances, & eximio opere cælatę, quæ poma portant, libentiùs tamen flores & poma ex arbore, quàm ex cælato vase capiuntur.

Dulciùs adducto pomum decerpere ramo,
Quàm de cælata sumere lance iuuat.

Quid ergo mirum, si sponsa velit cœlestem doctrinam ab ipso fonte, & poma ex ipsa, quæ genuit produxítque primùm, planta libare?

Dicebat olim populus, à Moyse se malle sermonem audire, quàm à Deo, Exod. cap. 12. v. 19. *Loquere tu nobis, & audiemus; ne loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Sed agebat tunc timor populum illum, qui Deum in fumigante monte legislatorem audiebat; non inflammabat amor, neque vt sponsum mitem intuebatur.

Quia

Matth. 5

Verba ab authore suo recitata plus habent ponderis.

Quia meliora sunt vbera tua vino.

8. Histor. Sicut cella vinaria pro loco omnium voluptatum ponitur, vt dicemus capite 2. numero 8. sic vinum multo magis aut pro omni, aut pro præstantissimo oblectamento ponitur. Dum ergo ait sponsa dilecti sui vbera esse meliora vino, significat nil illis esse iucundius, neque ad reuocandum deficientem animũ potentius. Reddit ergo rationem cur oscula tantopere expetat, & amplexus; quia quod vinum non potest, aut vlla alia medicina, illa possunt. Heb. pro vberibus דדיך *Dodecha*; quod etiam sonat *amores tui*, per metonymiam; quia amoris sedes in corde esse dicitur, cui imminent vbera. Comparantur verò cum vino, quia illa, sicut & hoc inebriare dicuntur Prouerbio. 5. *Vbera eius inebrient te.* Et capite 7. *Veni, inebriemur vberibus.* Et hoc satis accommodatè, quia etiam amor per sitim intelligitur.

Hîc nota, translatis, atque impropriis verbis aliquid pleiumque explicari significantiùs & decentiùs, quàm propriis; quare ab igne ad amorem explicandum, id est, iracundiam, mutuamur flammam, & ardorem: à ventis, à fulmine velocitatem; & ab aliis rebus, quæ in suo genere potentissima, atque notissima sunt. Quare cùm in amore, indulgentiàque filiorum, matres mollissimæ, atque impotentes sint, ab illis Scriptura sumit verba, accomodátque Deo, vt eius in nos amorem, & suauitatem ostendat. Ita illi Isai. 46. *vterum* accommodat, *& vuluam*, & capite 66. *vbera, & lac*, & ab eodem capite 60. maximæ deliciæ per *mamillas Regum* significantur. Ad hunc

A fœminis metaphora sumitur ad vim amoris explicandam.

ergo modum in sponso *vbera* figuratè eius suauitatem, & amorem ostendunt. Nisi mauis hîc *vbera* pro visceribus sumere, ex quibus halitus spirando ducitur. Cùm verò sponsi halitus capite 5. suauissimus dicatur; id enim valet illud, *Guttur eius suauissimum*, ideo tantopere sponsa expetere videtur osculum; quia per illud sponsi anhelitum, atque animam haurit, quæ vino, optimísque vnguentis longè est suauior. Quòd cor *vberum* nomine significetur, vide caput 7. ad illud, *Dabo tibi vbera mea.* Aut fortasse, quod magis puto verisimile, significat se valdè cupere nuptiarum tempus: quia tunc ex more sponsa cubat in sponsi sinu, id est, inter læuam & dexteram, qui locus est vberum, & sinus vocatur. Sinu autem, aut vberibus sponsi, vbi somnus capiendus est ab sponsa, nil est ad sedandum angorem animi potentius. Fortasse *vbera* pro osculis sumuntur: neque hæc loquendi forma dura est, si in *vberibus* amorem intelligas. Amor enim pro osculo adhibetur ea figura, qua res significata pro signo ponitur; quod in Scriptura sacra sæpe fit. Qua ratione *lætitia, & gloria* pro vestimentis pretiosis, quæ lætitiæ, & gloriæ signa sunt; *fortitudo* pro armis, *ira, & indignatio* pro plagis, & suppliciis adhibentur. Aut si per synecdochem genus pro specie sumas, amores nempe, qui aliquid sunt magis commune, pro osculo, quod amoris quoddam genus, & testimonium est; tunc verò hic erit sensus: Osculetur me osculo oris sui; quia meliora sunt oscula eius vino & vnguentis, id est, suauiùs olentia vino & vnguentis, quæ languentem reuocant, atque confirmant animum. Atque ideo subditur; *Fragrantia vnguentis optimis.*

9. Vbera pro visceribus.

Vbera pro osculis.

Fragrantia vnguentis optimis.

10. Oris halitus conciliari solitus. IVxta hæc, quæ proximè diximus, oscula sponsi fragrantia dicuntur: quia ex præcordiis eius halitus expiratur suauissimus. Quanto studio elegantes tam viri, quàm fœminæ studeant, adhibito etiam artificio, vt oris anhelitus suauis sit, docet Clemens Alexandrinus libro 3. Pædag. c. 3. qui tam fœminis, quàm viris vsitatum esse dicit, mastichem rodere. Sanè de quodam Diadumeno refert Martialis os habuisse odoris suauissimi, aliquo credo lenocinio conciliati: atque illius oscula fragrantia appellat. sic ergo nunc sponsa dicit vbera, id est, oscula sponsi vnguentis optimis esse suauiora.

11. *Fragrantia vnguentis optimis.*] Septuaginta, *odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.* Sed idem ferme est. Videtur autem subintelligẽda particula *præ*, quæ præcessit supra in *vino*; & erit sensus; præ vnguẽtis. Vbi obserua, à tertia persona factum esse transitum ad secundam. nam cum priùs, *Osculetur me osculo oris sui*, dixisset, nunc dicit, *vbera tua*, quod frequens est in vehementiori aliquo affectu, atque exstatico; qui non finit contexere verba omnino congruentia: quia acrior illa vis aliò abripit. Gen. 49. *Ad prædam fili mi, ascendisti, & accubuisti vt leo.* Heb. *accubuit.* Isai. 42. *nonne Dominus ipse, cui peccauimus? Et noluerunt in viis eius ambulare*; pro *noluimus.*

Regula. Transitus ab vna persona in aliam.

Isai. 42.

Quia in his Canticis coronarum, vnguentorúmque sæpe nomen occurrit, pro his, quæ sequuntur explicandis, obserua vsitatum esse tum in aliis nationibus, tum maximè apud Hebræos, vt sponsi coronati floribus, & vnguentis delibuti nuptias inirent. De coronis Tertul. libro de corona militis; *Coronant*, inquit, *& nuptiæ sponsos.* Quòd verò id etiam in vsu apud Hebræos fuerit, probat illud Isai. capite 61. *quasi sponsum decoratum corona.* Et Dominus Ezech. 16. illi, quam sponsam vocat, coronam dedit. Et Philo Iudæus de antiquit. Bibli. inducit filiam Iephte sic plorantem virginitatem suam: *nec repleta sum*, inquit, *mihi coronis nuptiarum mearum.* Secundò, quòd vnguẽtorum multus vsus in lautioribus, lætioribúsque conuiuiis fuerit, inter profanos constat, quibus solemne fuit in conuiuiis, & nuptiis, coronis irrorare vnguenta. De conuiuiis prodit Athenæus libro 15. c. 17. Cicero Tuscul. 5. cùm ageret de cõuiuio Dionysij; *Aderant*, inquit, *vnguenta, corona*, &c. Inter Hebræos est omnino certum. Sap. 2. *Vino pretioso, & vnguentis nos impleamus.* Amos 6. *Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti.* Et 2. Reg. 12. Dauid dicitur lotus, & vnctus comedisse. Quod erat huic genti adeò familiare, vt Dominus obiecerit Pharisæo, quòd hoc vngendi munus omiserit.

Corona in nuptiis & conuiuiis.

Item vnguenta.

Idem etiam fieri solitum in nuptiis externorum, cõstat ex illo Virgilij in Cyri;

Nec mihi iam pingui sudabunt tempora myrrha,
Pronuba nec castos incendet pinus honores.

Et inter Hebræos, ex illo Ps. 44. qui nuptialis est; *myrrha, gutta, & casia à vestimentis tuis.*

Adhibebantur alia vnguenta quamplurima ad nuptias, & conuiuia; sed quia in eo genere, quod ex myrrha sumitur, excellentissimum est, myrrha iam pro quouis vnguento sumitur. De cuius odore præstantissimo Plinius lib. 12. capite 15. & 16. apud quem, quæ stillat ex arbore

Myrrhinũ vnguentum.

non

non incisa, stacte dicitur ex Athenæo lib. 15. capite vltimo *ab Æolibus vnguenta omnia dicuntur smyrna, quia multa conficiuntur è myrrha.* Ex myrrha verò fiunt vnguenta stillaritia, liquida, & fluentia: item alia coacta, & crassa, quæ stacte dicitur, vel gutta, quæ vbi ex arbuscula defluxit, confestim in duritiem concrescit. Illis conuiuæ, vel sponsi conspergunrur, vel irrorantur; hæc incenduntur, & in fumos suauiter spirantes abeunt. Hæc autem erat in vsu apud antiquos. Seneca in Hercule Oetæo, actu 2. *Sabæa myrrha marcidus coma.* Virgilius, *madentes myrrha crines.* Et in Scriptura sacra sæpe; Prouerbior. 7. *Asperfi cubile meum myrrha.* Ecclesi. 24. *quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris.* Hinc constabunt multa in his Canticis obuia, quæ afferre possent operis expositioni aliquid impedimenti, & moræ.

12. Allegor. Amor Dei in homines. *Quia meliora vbera tua vino.*] Prodit se ex hac vberũ vmbra, & singularis amor Christi in nos, & verè materna in liberos indulgentia. Et ideo illa tribuuntur Deo, quæ vim amoris maximè significant, eáque à matribus translata, quarum in prolem amor mollissimus est. Vide quæ sunt in cortice notata. Hæc verò sponsi vbera explere possunt sitientem animum: reliqua tantùm habent facultatis ad sedandam animi cupiditatem, quantùm Lazari digitus aqua intinctus, ad extinguedum illud incendium, quo diues in inferno cruciabatur. Porrò duo sunt, quæ matris in filios amorem, & indulgentiam probant; patientia in ferendo longam in nutriendo molestiam, & alacritas in dando: hæc eadem, inquit Bernardus Sermone 9. in Cantica, sunt diuinæ mansuetudinis argumenta, & duo Christi vbera, quia patienter expectat delinquentem, & clementer recipit pœnitentem. *Gemina, inquit, dulcedo suauitatis exuberat in pectore Domini Iesu, longanimitas scilicet in expectando, & in donando facilitas.*

Sanctus Thomas hîc, & tres Patres apud Theodoretum, in vberibus doctrinam intelligunt, quia vbera lactis sunt quasi fontes: ab his vberibus Paulus lac dedit paruulis: ad hæc iubet Petrus inhiare quasi modò genitos infantes. Ambrosius sponsi vbera Sacramenta esse putat. Gregorius libro 30. Mor. capite 22. concionatores, per quos Deus populis lac impertit. Quare videant illi iterum atque iterum, quod lac immulgeant auditoribus; quod nisi salutare fuerit, Christi non est. 13. Vbera, doctrina. Vbera, concionatores.

Mira sanè laus concionatorij muneris, quòd illius Ministri vbera dicantur Dei: per quos nempe Deus sua hominibus impertiat viscera; sed timendum valdè, ne pro diuino lacte, quod Regium est, & Regios alit spiritus, vtpote ex Regum mamilla expressum, lac aliud noxium, non à Deo, sed ab humanis visceribus, à vana nimirum, & profana eruditione, auditoribus immulgeant, alántque viperinos potiùs, aut lupinos catulos, quàm Dei filios. Vt autem vbera affixa sunt pectori, sic curare debet pius concionator, vt maximè adhærescat Deo; cuiúsque Spiritum ipse hauriat, quem in alios effundat, vt à Christi lacte Christianum hominem, aut veriùs, in homine Christiano Christum informet. Alioqui fundet verba inania, neque aliud sonabunt, quàm quod æs sonans, aut cymbalum tinniens. Hoc verò supplicij loco ponitur his, qui à Deo recesserunt, Oseæ cap. 9. *Da eis vbera arentia.* Quod de concionatoris munere atque studio diximus, id suo etiã modo de scriptis dici potest, cum quibus alij su-

comparatunt vbera. Nam per hæc Dominus suum quoque spiritum, atque lac impertit: sicut etiam diabolus, si scripta profana sint, & impura, venenum inspirat.

14. Quòd si, vt tradit Philo Iudæus in libro de mundi opificio, fontes, & amnes terræ vbera sunt, quibus irrigata, & stirpes foueat, & fundat herbas (qua etiam metaphora vsi sunt Septuaginta, qui, vbi vulgatus habet Ieremiæ cap. 18. *Nunquid deficiet de petra agri nix Libani, aut euelli possunt aquæ erumpentes?* ipsi transtulerunt; *Nunquid deficient de petra vbera?*) sanè hoc etiam modo diuini verbi Præcones vocari possunt vbera, seu māmillæ mundi. Rigant enim terram viuentibus aquis, efficiúntque ne sterilis sit, & macie horreat. De quibus est illud Eccli. 39. *Tanquam imbres emittet eloquia sapientiæ suæ.* Neque quicquam efficit fons aut fluuius in terra, quod non præstet in hominum animis prudens Apostolici concionatoris eloquium; cuius oratio vena dicitur vitæ Prou. 10. v. 11. Quòd si hîc offendat, aut agat quoquomodo turpiter, erit quidem vena, & fons, sed fæculentæ, atque fœtentis aquæ, quæ graues habeat anhelitus, & morbos inducat. Hoc indicari videtur Prou. 25. *Fons turbatus pede, & vena corrupta, iustus cadēs.* De vberibus habes plura ad illud cap. 4. *Duo vbera tua.*

Oleum effusum nomen tuum.

15. Histor. OLeum hîc vnguentum odoriferum est: significat autem sponsa, dilectum suum totum esse amabilem, adeò vt vel solum nomen mirificas aspiret suauitates. Dicitur verò effusum, siue euacuatum, quia contentum in vasculo minùs latè odorem exhalat. Prodit autem hîc ex vmbra verus sponsus Christus, cuius nomen vnguentum sonat, sicut etiam Messias; est enim vnctus, & floridus, vt sponsus, qui semper vocat ad thalamum. Est ergo sensus: Nomen tuum dulcissimum aliquid sonat, irrorat, & quasi liquefacit omnes delicias; de quo possis illud verè dicere, quod falsò, & assentatoriè de nomine *Æarini* Martialis lib. 9. Epig. 13.

Christi suauitas.

Nomen cum violis, rosisq́ natum,
Hyblam quod sapis, Atticósque flores:
Nomen nectare dulcius beato, &c.

Vel, cùm in omnem partem ex te gratissimus odor exhaletur, aptè tibi nomen imponeret, qui te oleum diceret, non conclusum in alabastro, sed quoquouersùs longè diffluens. Videtur autem Salomon imitatus in nomine sponsi, quod de vestimentis sponsæ Dauid antea scripserat Psal. 44. *Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis.* Heb. *omnia vestimēta tua*; vt sit sensus: Omnia vestimenta tua meri odores sunt: nec solùm odoribus delibuta.

Alia expositio posset esse huic loco non incongrua, nec aliena ab vsu sacræ Scripturæ, quæ interdum nomen vsurpat pro re, quæ nomini subiicitur, vt Psal. 47. *Secundùm nomen tuum Domine; sic & laus tua*, id est, talis es, qualis prædicaris. Et Psal. 11. *Non nobis*, &c. *sed nomini tuo da gloriam*; id est, tibi. *Nomen Dei inuocatum est super nos*, id est, Deus. Isai. c. 30. *Nomen Domini veniēs de longinquo.* Quod maximè apparet in epexegesi Hebræis familiari, quando posterius hemistichium prioris sensum, & continet, & explicat. Quale est illud Cantic. 8. *Ibi corrupta* 16. Nomen sæpe pro persona.

rupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua. Et Geneseos 49. *Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum.* Et totus Psalmus 113. perpetua quadam epexegesi cõstat, qui apud Hebræos finitur versu 8. Ad hunc modum in sacra Scriptura frequens est, vt cùm in priori hemistichio ponitur *Deus*, in posteriori ponatur *nomen Dei*, quod idem significat. Psal. 43. *In te inimicos nostros ventilabimus cornu; & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.* Et Psalmo 19. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Iacob.* Item Psalmo 7. n. 19. Psal. 9. n. 3. Psal. 17. n. 5. & sexcenta alia. Sed expressè nomina pro hominibus

Act. 1. sumuntur. Act. 1. *Erat turba hominum.* Græcè, *nominum.* Et Apoc. 3. *habes*

Apoc. 3. *pauca nomina in Sardis:* & subditur, *qui non inquinauerunt vestimenta sua.* Illud *qui*, non tam refert *nomina*, quàm qui nominibus subsunt.

Apoc. 11. Et Apoc. 11. *& occisa sunt in terra motu nomina hominum* 7000. Erit ergo sensus huius loci: non solùm os, & vbera, quorum suprà sponsa meminerat, sed nomen eius, id est, quantus, quantus est, totum esse effusum vnguentum.

17. Hæc, credo, difficilia non sunt, sed addo explicationem aliam non longè à superiori diuersam, quam ego non posthaberem aliis, si modò authores habuisset grauioris notæ.

Nomen pro fama. Hoc loco *nomen* pro fama sumi credo, quæ sic erat suauis, & illustris, vt sponsus nondum è facie notus (vt ex capite 5. satis liquet, vbi adolescentulæ signa quærunt, quibus sponsum agnoscant) virgines tamen sponsæ socias, & amore sui ceperit, & post odorem traxerit vnguentorum suorum, id est, boni nominis, & famæ celebris. Puto autem Hebræis esse Prouerbium, aut sententiã certè Prouerbialem, nomen, aut famam bonam, esse oleum effusum, quod latè quoquouersùs gratum aspirat halitum. Qua ratione Eccli. cap. 19. de Iosia dicitur; *Memoria Iosiæ in compositionem odoris facta opus pigmentarij*, id est, fama tanquam odor à pigmentario, id est, vnguentario, compositus. Et Eccles. 7. *Melius nomen bonum, quàm vnguenta pretiosa.* Et nos communiter bene olere dicimus eum, qui honestè viuit, bonúmque apud alios de se nomen relinquit. Est ergo nomen sponsi oleum effusum, id est, celebre, & gratum apud omnes: propter quod etiam ab his adolescentulis, quæ non antea nouerant, diligitur, & post odorẽ suum currentes trahit. Fama bona vnguento similis.

Quidam vocem Hebraicã תורק *Turac*, pro qua vulgatus reddidit *effusum*, nomen esse putant adiectiuũ, non participium, id est, non esse iam effusum, sed esse natura liquidum, & fluidum, id est, eam habere naturam, vt effundi possit. Antiqua Hispanica translatio *vaciadizo*, reddit. Quòd si vim nominis expendas, ita videtur esse dicendum. Nam תורק *Turac*, aut est nomen *Toar*, id est, adiectiuum, quod valet id, quod sponte fluit; & ab aromate crasso, atque concreto secernitur; aut si verbum, certè est in voce passiua *Hophal*; & sonat, *quod effundetur* (vt nonulli vertunt, & in his Doctores ferme omnes Hebræorum.) Futurum autem passiuum idem valet quod nomina in *bilis*, vt docuimus in Isaiam cap. 57. num. 55. Neque contrà pugnat translatio vulgata, quæ actum primum, vt Logici dicunt, id est, facultatem, seu aptitudinem, pro actu secundo adhibet, vt, *ego doceo*, id est, docendi munus, seu facultatem habeo: *virum non cognosco*, id est, non in eo statu sum, vt cognoscere possim. Sic oleum effusum, quod stil-

latitium est, non crassum, quódque, vt effundi possit, naturam habet. Quæ etiam explicatio mirè naturam indicat diuinæ bonitatis, quæ vltrò influit, & si quis ad omne officium pronæ impedimentum opponat, vim illi quodammodo infert: sicut qui aquam natura sua fluere gestientem, aut in vase concludat, aut molem obiiciat. Quàm verò ad mores sit hæc expositio, dicemus statim. Cùm hæc mihi sint non improbilia, à communi tamen Patrum sententia recedendum non puto.

18. Allegoria. Iesu nomen dulce. *Oleum effusum nomen tuum.*] Quid mirum, si Christi vbera dulcia sint, cùm ipsius nomen vel imploratum, vnguentum oleat, imò & vnguentum sit? Sanè Messiæ nomen antiquos Patres à mœrore recreabat, & nunc mirè etiam afficit piè de ipso cogitantes. Vide Bernardum Serm. 15. in Cantica, & quæ de Iosia dicuntur Eccli. 49. Quòd si nomen Domini pro *Domino* ipso sumamus (quod fieri posse suprà satis probatum est) oleum est; quia omnia exhilarat, & mollit, atque illa laborantibus præstat, quæ difficultatem tollunt, & amaritiem; & quia totus quoquouersùs diffluit, quia omnibus natus, & datus est, dixit perquàm bellè Bernardus Sermone 15. in Cantica, qui totus sanè lectu dignissimus est. Vbi mirè explicat illius nominis vim admirabilem: quē Sermonem libenter hîc insererem, nisi longitudinem timerem, quam in Scripturæ sacræ Interprete nunquam probaui. Addam tamen pauca, ex quibus tu reliqua coniecta. Sic ille de nomine Iesu; *Quid æquè mentem cogitantis impinguat? quid ita exercitatos reparat sensus? virtutes roborat? vegetat bonos mores, atque honestos? castas fouet affectiones? aridus est omnis animæ cibus, si non oleo isto infunditur; insipidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi Iesum. Si disputes, aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Iesus. Iesus mel in ore, in aure melos, in corde iubilus. Tristatur aliquis vestrùm? veniat in cor eius Iesus, & inde saliat in os: & ecce ad exortū nominis lumen, nubilum omne diffugit, & redit serenum. Labitur quis in crimen, currit insuper ad laqueum mortis desperando, nónne si inuocet nomen vitæ, confestim respirabit ad vitam?* Vide tu reliqua.

Quòd si, vt in cortice diximus, vnguentum non tam effusum reipsa est, quàm effundi paratum, id est, liquidum, quódque sua natura fluidum est, & vim quamdam patitur in vase conclusum, atque in eo continetur inuitum; vis maxima significatur diuinæ charitatis, quæ fragrantissimum illud vnguentum effundere gestit; ægréque fert, quia vas non apparet vacuum, illud apud se conclusum retinere, sicut lac torquet vbera, nisi quis mulgeat. Et iuxta eundem sensum, videre mihi videor Apostolici viri illustre symbolum; quem appellare posses vas, quod continet nomen Domini, id est, myrothecium, quod suauissimū illud vnguentum quoquouersùs circumfert, & exhalat. Qualis fuit Paulus, qui Actor. cap. 9. vas electionis vocatus est, vt portet nomen Iesu, id est, vnguentum effusum. Ex quo fiebat, vt nil fere sonaret, nisi Christum, & hoc quidem quo tempore vnguento illo odoratissimo maximè stillabat; nempe crucifixum. 1. Cor. 2. *Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.* Hinc verò id consequutus est Paulus, vt Christum oleret, illud nimirum vnguentum, quod in se continebat, tanquam vas electum. 2. Cor. 19. Concionator qualis. Paulus vnguenti vas.

2. Odorem

2. *Odorẽ notitiæ suæ manifestat per nos in omni loco, qui Christi bonus odor sumus.* Hinc præterea effectum, vt in ore Pauli toties sonaret Christi nomen; imò, vt ipse ait 2. Cor. cap. 13. Christus in ipsius ore loqueretur. *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* Et quemadmodum contusi vasis fragmenta odorem aspirant eius vnguenti, quod seruauerunt priùs: sic fractum illud eximium vas diuini nominis, cùm iugulum dedit impio ferro, dulce tamen Iesu nomen tertiò personuit.

Ideo adolescentulæ dilexerunt te.

20. Histor. EXplicatio est Psal. 44. in quo postquã sponsi vestimenta myrrha, & gutta, & casia dicuntur esse madida, additur; *in quibus delectauerunt te filiæ Regum*: sic etiam hîc describitur sponsus, vnguentis delibutus, & quasi vsquequaque & quacunque diffluens, ideóque ab adolescentulis amatus. Sunt autem adolescentulæ, quæ adhærent sponsæ, quæque sponsum tantopere à sponsa commendatum cap. 5. & amabant, & videre cupiebant. Fortasse in adolescentulis populi intelliguntur gentiles: quia multo post Iudæos vocati sunt, & sicut in pullo asinæ significantur, qui nunquam iugum subiit, cùm tamen Iudæorum populus in asina subiugali adumbratus fuerit, qui iamdudum antè legis iugum portauit; sic modò in tenera adolescentularum ætate significantur, quæ vbi effusi olei illarum nares afflauit odor, magno ad illud studio conuolarunt. De Gentium ad Christum, & Ecclesiam cõcursu sæpe agunt Prophetæ, & maximè Isaias infinitis propè locis.

Ideo adolescentulæ dilexerunt te.] Gregorius lib. 24. Moral. cap. 5. Sanctus Thomas, & Beda, in adolescentulis agnoscunt animas, iam Baptismo lustratas, quæ quo magis consciæ earum sordium, quas nuper lauacro sancto deposuerant, eo magis diligunt suæ pulchritudinis authorem, agnoscúntque benignitatem eius, qui fragilitatem illam non respuit. Idem pene Bernardus, & Nyssen. & Gregorius Magnus hîc, qui de imperfectis animabus intelligunt, quæ cùm è cœno vitiorum emerserunt, graue aliquid, & putidum exhalant, odore Christi excitatæ currunt post odorem vnguentorum. Ambrosius lib. 5. de Sacramentis cap. 2. Gregorius lib. 19. Mor. cap. 9. putant hîc adumbrari animas non vetulas, id est, quæ renouatæ spiritu veterem hominem deposuerunt. Hæ diligunt nouum hominem Christum, quia in vetere nil habent, quod aut sperent, aut ament. 21. Allegor. Memoria peccatorũ amorẽ acuit.

Trahe me: post te curremus, &c.

SEptuaginta legunt, *attraxerunt te*, vt legunt Origenes, Theodoretus, Ambrosius lib. 1. de Virginibus; ita vt sit sensus: Adolescentulæ amore suo te redamantem allexerunt, nempe ad dulces complexus; quia sic in amore respondes, vt te rorum amantibus sicut oleum effundas. Aquila legit, *traxerunt me*; quia expertæ quãtùm in te esset suauitatis, noluerunt me illius exortem esse. Vel certè, quia cùm ex amore languerem, & propè exanimata, maximè plagis acceptis à custodibus, neque me ipsam commouere, neque pedibus niti possem, adolescentulæ traxerunt me. Sed magis consentaneè 22. Histor.

neè textul Hebraico legitur, *Trahe me*. Illud, *post te*, inciso diuiditur, & ad *curremus* pertinet, vt sit sensus: Vbi teipsum ostenderis, nobis iniicies vincula; neque imperare nobis poterimus, quin curramus post te. *Trahere* verò hic videtur esse, offerre se oculis sponsæ: nam eius species omnes facilè traheret: trahimur enim non solùm violentia, sed amore, vt optimè Augustinus tractatu 25. in Ioannem. Oseæ cap. 11. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis*. Ierem. cap. 31. *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans tui.*

In odore vnguentorum tuorum.] Hæc verba in Hebraico textu non sunt: addiderunt tamen LXX. claritatis gratiâ; quæ etiam habent vulgati codices, sed notata obelo. Vocarat sponsa dilectum suum, oleum, id est, vnguentum suauissimum, diffusum, & effluens, & quoquouersùs diuinos adspirans odores: nunc addit, illorum vnguentorum eam esse vim, vt trahat post se, & currere faciat adolescentulas, quæ mirificam illam suauitatē odorari potuerunt. Allusum credo ad nuptialem consuetudinem, quæ nouorum coniugū vestes, aut irrorabat vnguentis, aut thure, aut aliquo alio aromate suffiebat. Cuius rei non obscura habemus in sacra Scriptura vestigia (vt omittam profanos, qui in lautioribus mēsis, aut genialibus diebus toti madebant vnguentis; de quibus satis multa Athenæus l. b. 15.) Nā sponsus Christus Psal. 44. in nuptiali gloria aspirare dicitur ex vestimētis vnguento madentibus odorifero suauissimos halitus; *Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis*. Idem spectare licet in sponsa, de qua, postquā ornatum accepit nuptialem, cecinit sponsus Cant. 4. *odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris*. Post hunc igitur odorē, aut, quod verius puto, post illum, de quo priùs, vbi primùm odorandi sensum afflauerit, currendum sibi esse dicit sponsa cum puellis, quas sui studij atque solicitudinis socias habet; non aliter atque canis, qui prædam odoratus, illā per vestigia veloci insequitur & anhelato cursu.

Trahe me: post te curremus.] Non tantùm trahimur vi foris illata, sed amore, voluptate, studio, vt bene Augustinus tractatu 26. in Ioan. Quid ergo? si spōte currunt adolescentulæ, imò ægrè admodùm auelli possunt, aut retardari, ne currāt; cur orat sponsa, vt trahat? nempe significat, quantùm possit bonitas, quantùm officia, quæ vel nolentes trahunt, modò de eorum magnitudine constet. Et ideo id videtur postulare, vt ostendat sese; sic enim fiet, vt eius benignitas perspecta omnes ad se rapiat. Præsertim si se ea specie aliorum oculis exhibeat, qua magis oleo effuso videtur esse similis: id est, vbi diffluit vberiùs, & se largiùs hominum vsibus impertit, nempe plorans, circumcisus, sudans in horto, & in crucem actus. Tunc enim erit nemo, si non omnino sensum humanitatis abiecerit, quem non ad se trahat funiculis Adam, & vinculis charitatis. 24. Allego. Christus patiens trahit ad se omnes.

Introduxit me Rex in cellaria sua.

PRo *cellariis*, Heb. חדר *Chered*, quę *adyta*, seu *penetralia* significāt. Videri possent cellaria ista esse ea, in quibus à viris lautioribus reposita sunt, quæ non ad ornamēta domus solùm pertinēt; sed etiā ad luxū, & delicias: qualia sunt stragula preciosa, vestes variç, aurea vasa, vnguēta, atque aromata; qualia fuerunt ea, in quæ honoris, & beneuolen- 25. Histor.

tiæ

tiæ gratiâ induxit Ezechias Legatos Regis Babylonis, Isaiæ capite 39. *Ostendit eis cellam aromatum, & argenti, & auri, & odoramentorum, & vnguenti optimi; & omnes apothecas supellectilis suæ, & vniuersa quæ inuenta sunt in thesauris suis.* Neque sine causâ videtur *cellaria* posuisse in numero plurali. Sed mihi verisimilius est, quæ hîc dicuntur *cellaria*, eadem esse quæ capite 2. dicuntur *cella vinaria*. Quemadmodum verò pro omni voluptatum genere sumantur, dicemus ibidem. Quidam dicunt, hîc præteritum poni pro futuro, quod quidem vsitatum est apud Hebræos: sed cur futurũ hîc cõmodiùs poni potuerit, quàm præteritum, non video; quin potiùs videtur iam sponsa in dilecti sui cellam ingressa, quandoquidem addit se esse memorem vberum vino suauiorum. Si quis in futuro esse contendat, sensus erit: Inducet me sponsus in cellaria sua, & memoria eius voluptatis, quæ inde capietur, hærebit meo pectori sempiterna. Sed cur pro futuro ponatur præteritum, ea ratio est, quia iam instare videtur sponsus, & nihil esse propius, quàm vt se totam in eius cellariis inebriet. Ad hunc enim vsum præteritum loco futuri temporis vsurpatur. Ioan. 19. *Opus consummaui, quod dedisti*: quia citò erat consummaturus, nempe quando dixit in Cruce, *Consummatum est*. Et cap. 15. *Omnia quæ audiui à Patre, nota feci vobis*, id est, faciam statim. Hæc verò frequentissima sunt in Prophetis; & nos si breuis futura sit mora, præsenti vtimur pro futuro: vt, *antequam dico, antequam aggredior.* Hanc celeritatem explicuit Seneca in Hercule furente, act. 3. scena 2.

(Regula. Præteritũ pro futuro, quãdo aliquid propè est, vt fiat.)

(Ioan. 19.)

(Ioan. 15.)

Leuium est dabit, dat, hoc quoque lentum, dedit.

Quo sensu dixit Christus de filia Archisynagogi Matth. 9. *Non est mortua puella*; quia scitò futurum erat, vt viueret. (Matth. 9.)

Introduxit me Rex.] Diximus in cortice, cellam vinariam sumi pro deliciarum loco. Cui videre contigit gloriam domus Dei, paratásque delicias eius amatoribus; facilè contemnit omnia alia. Videat Israël gloriam templi Domini in Ierusalem, & captiuus, atque à patria procul canit; *Si oblitus fuero tui Ierusalem.* Sic sponsa, cui iam diuitias bonitatis suæ sponsus ostenderat, vberum memor illa ardenter adpetit, fastidit alia, quæ offerri possunt, oblectamenta. 26.

(Allegor. Gustus diuinæ dulcedinis potẽtissimus.)

Recti diligunt te.

HEb. abstractum est, *rectitudines.* Quidã ex Hebræis legũt, *rectitudinibus*, ita vt sit sẽsus: Adolescentulæ amant te amore syncero, sine fuco, aut planè. Quia nomen מישור *Mesor*, sonat etiam *planitiem*. Sed si abstractum admittas, sensus esse poterit rei amatoriæ satis accommodatus, nempe: Omnes rectitudines insunt tibi; nihil est pulchrũ, & optabile quod in te non admiremur, & amemus. Sed optimè explicatur per concretum secundùm vsum Scripturæ, in qua frequentissimum est per abstracta concreta significari. Iuxta hæc sensus erit, quem suprà ostendimus in Paraphrasi: Ex eo, quod iam de tui ingenij suauitate, de tuarum deliciarum magnitudine nouimus, ego quidem experientia, hæ verò adolescentulæ mea narratione, sic affectæ sumus, vt maxima nobis de tuo conspectu oblectamenta polliceamur. Neque amor iste nobis

(Histor.)

proprius est, sed communis cum omnibus, qui, quod rectum est, amant, & sequuntur. Pro, *diligunt*, Heb. *dilexerunt*, in præterito: quo ostenditur, non esse pulchritudinem illam, aut ingenij suauitatem recentem, aut fucatam, & artis lenocinio quæsitam; sed antiquam, sed propriam, propter quam iam antea dudum plurimos habuerit amatores. Quidam existimant hæc esse verba puellarum, quæ gratulantur sponsæ felicitatem suam, & dicunt tibi lætandum esse, quòd tam fuerit in amore fortunata; id enim est, *memores vberum tuorum*, id est, amorum. Ita Gregor. Nyssenus, & Theodoretus, & tres Patres apud ipsum; Bernardus Sermone 24. super Cantica. Et tunc sensus erit (quia ipsi in abstracto loquuntur, vno excepto Bernardo) Rectitudo, id est, sponsus, qui æquitas est, vel rectitudines, diligunt te, id est, tibi fauent; omnia bona in tuũ tibi sinum confluxerunt. Sed commodiùs hæc in sponsum conueniunt, vt communiter alij.

27. Allegor. *Recti diligunt te.*] Si verba hæc sint puellarum ad sponsam, vt Theodor. Nyssen. & Bernard. dicunt, est gratulatio quædam, qua lætari se puellæ dicunt, quòd tam sponsa fuerit in amore felix.

Recti sunt, qui vnum Deum intuentur. Sed quia hæc verba sponsæ sunt ad spõsum, aliter dicẽdum est; nempe, rectos id sibi proposuisse, vt vnum Deum intueantur, ad eúmque totis ferantur animi viribus. Nam si aliò detorqueant affectum, & oculis ad terram demissis cœlestia negligenter curent, recti non sunt, sed omnino incurui; quia à sua regula, vel scopo, qui Deus debuit esse, ad ea, quæ longè sunt, studium atque animum inflexerũt. Aliter S. Thomas hîc eos rectos existimat, qui nihil suis meritis tribuunt; sed omnia diuinæ gratiæ deputant. Quomodo enim non diligant Deum, qui se ipsos nudos agnouerint, & diuinis muneribus ornatos ex promptuariis sponsi?

Nigra sum, sed formosa: quia decolorauit me Sol.

Quoties Deus cum sponsa loquitur, ostendit illam abiectam esse, & nudam, suo tamen beneficio viuere, & ad amplam dignitatem, & ad thalami vsque cõplexum esse prouectam. Constat ex Ezech. 16. & Oseæ cap. 2. vbi id obiecit sponsæ, quæ fidem prodiderat coniugalem. Sed quia hîc agit cum sponsa fideli, suique amãtissima, non exprobrãtur tenuitas, & sordes priores, quia id sponsam pudefaceret; sed inducitur sponsa modestè hoc de se, atque ingenuè professa, quod illi maiorem laudẽ affert, & decorem. Hanc verò sponsæ siue nuditatem, siue deformitatem abstulit sponsi benignitas, ornauitque vsque adeò liberaliter, & studiosè, vt neque vlla sit macula, si internam pulchritudinem spectes; neque ad externum cultum, & speciem quidquam desideretur ornamenti. 28. Histor. Deus spõsam humilẽ esse vult.

Hîc verò notandum spõsam rusticam esse, & ex mediis cleris, hoc est, agrorum terminis, ad coniugij dignitatem & delicias eductam; quod pluribus Proleg. 3. diximus. Quòd verò species aliqua, eáque non vulgaris esse potuerit cum colore fusco, explicat apta similitudine, ex Cedarenorum tabernaculis petita, quæ, vtpote subiecta imbribus, & nigram habent exterio

teriorem faciem, & illuuie fœdatã: & tabernaculis Salomonis, quæ pelles etiam vocantur; quæ cùm exteriùs horreant tecta pellibus cõtra vim, & iniuriam temporum, interiùs tamen opere Phrygio, & Babylonico mirè exornata sunt. Occupat autem tacitam de se reprehensionem puellarum, quibus indignum, & illiberale videri poterãt, si rustica fœmina, ac fusca ambiret nuptias candidissimi, ac pulcherrimi sponsi. Fatetur enim se fuscam esse, id tamen sibi, non tam à natura, quàm propter fratrum inclementiam à Solis æstu contigisse; à quibus imperium accepit ita seuerum, alienas vineas custodiendi, vt suam neque colendi, neque custodiendi facultas relicta sit.

29. *Tabernacula Cedar sordida, Salomonis pulchra.* Hæc quæ à me dicta sunt, magis sunt ad aliorum sententiam; quæ ego ita probo, vt illis non acquiescam; ita propono, vt non persuadeam. Mihi longè videtur probabilius id quod docent Hebræorum magistri, & è Patribus Gregorius, Theodoretus, & tres Patres apud ipsum, Bernardus, & ex recentiorib. nonnulli, in quibus est Oleaster can. 9. aliam hanc futuram esse distributionem; non vt nigra sit sponsa, atque formosa, sicut tabernacula Cedar, & pelles Salomonis, quasi vtrisque insit, & externus squalor, & illuuies, & internus splẽdor, & pulchritudo: sed vt species illustris, & honesta forma referatur ad Salomonis pelles; nigror autem, & neglectus cultus ad Cedarena tabernacula, hoc sensu: Nigra sum, & & formosa; nigra quidem, sicut tabernacula Cedar; formosa verò sicut pelles Salomonis. Quam sententiam videtur sponsa ipsa probare, cùm dicit decoloratam se esse, & infuscatam à Sole: quod Cedarenis tabernaculis accidisse, quæ Solis, & cœlorum iniuriis semper sunt exposita, nemo non credet. Quod longè abest à Salomonis pellibus. Accidit autẽ id sponsæ, quod tabernaculis Cedar, quæ cùm priùs non horrerent illuuie, & contractis ab imbre, & à calore sordibus, vsu tamen, & pastoritio ministerio infuscantur, & squalent.

Quantùm verò intersit inter Cedarenorum, & Salomonis tabernacula, quis non videt? aut quis credat internam Cedarenorum tabernaculorum speciem esse pulchram, & mundam, cùm in illis habitent perpetuò pastores, genus incultum, & agreste, quíque nil minùs curent, quàm elegantiam, & munditiam; sibique habeant domum illam cum canibus communem? Sanè cùm sibi vitam ærumnosam, & miseram clamat Dauid Psalm. 119. habitare se dicit cum Cedarenis, quod credo Prouerbiali specie dici solitum, cùm vita inculta, & horrida significatur.

De Salomonis pellibus longè alia ratio est; de cuius in omnem partem munditie, atque elegãtia multa dicit Scriptura, multa ipse testatur in suo Ecclesiaste. Neque est verisimile, tantum Regem, támque omnis studiosum elegantiæ, permissurum, vt quicquam in externa etiã facie esset non illustre: qui in Regio comitatu, omníque viatorio apparatu omnia esse voluerit, & egregij operis, & splendoris eximij. Sanè refert Iosephus lib. 8. cap. 2. Antiq. Salomonis, cùm ex vrbe excederet, eum fuisse apparatum, & gloriam, qualem nullius ante ipsum Principis fuisse legimus. Cùm enim ageret de viæ comitibus ait: *Equis pulcherrimis, & ad cursum exercitatissimis decus addebant equites, flos iuuen-* 30. *Salomonis in omni apparatu elegãtia.*

tutis, procera statura, promissoque capillitio conspicui, & tunicas è sarrana purpura induti. Ad hæc ramentis auri capillum quotidie spargebant, vt ad Solaris radiorum contactum fulgor à capitibus eorum reflecteretur. Hi armati, & pharetris succincti Regium currum stipabāt, &c. Ex his facilè quis intelliget, qualis tanti Principis fuerit externa tabernaculorum species; maximè cùm id curauerint alij, neque tanti nominis, neque tantæ potentiæ, aut elegantiæ Principes. Rhœso Virgilius Æneid. 1. tribuit *niueis tentoria velis*. Cicero Verri Prætori *tabernacula carbaseis intenta velis*; quæ non poterant non esse ad speciem præclara.

31. De interna tabernaculorum elegantia, ac specie minùs est quòd dubitem, quam esse reor talem, qualis interna facies Salomonis ferculi describitur Cant. 3. qualem curasse, habuisseque dicuntur Principes alij, neque tot opibus instructi, & tempore multo minùs opportuno. Cęsar, vt author est in eius Vita Suetonius, in expeditionibus curabat, vt tabernaculi pauimentum esset tessellato opere è sectili lapide constratum. Et Nero, vt prodit Plinius lib. 37. capite 2. cubicula viatoria, id est, tabernacula, vnionibus, & lapide pretioso cōstruebat. Quod adeò in vsu videtur fuisse apud Romanos, vt Prætoria, quæ in medio castrorum statuebantur, mutabantúrque non aliter, quàm à viatoribus tentoria assolent, munditie, atque apparatu similia templis esse dixerit Iosephus de bello Iud. lib. 3. cap. 3. Neque inter Hebræos minor fortasse fuit cura de tabernaculorum munditia, & gloria. Sanè si, vt nomen ipsum præ se fert, Herodes ex Hebræorum genere fuit, de illo non minora narrat Trebellius Pollio, quàm de Nerone Plinius; *Cui*, inquit, *erant sigillata tentoria, & aurati papiliones*. Cùm ergo alij qui minùs quàm Salomon auro, & Regiis opibus, atque deliciis abundabant, sic instruxerint superbè ac lautè viatoria cubicula; quid nos existimare de Salomone fas est, quē Principum nemo, aut opibus, quibus posset, aut prudentia, qua disponeret, absoluerétque omnem apparatum domesticum, superarit?

Luxus immoderatus in tabernaculis.

Cur verò se cum tabernaculis, quæ in agro solùm, locisque desertis spectantur, sponsa conferat, ea ratio est; quia illa rustica fingitur, & Gentilis, vt est communis Patrū sententia. Quare ab eo similitudinem capit, quod ipsius oculis sæpius occurrebat: occurrebant autem cùm Gentilis esset, putà Madianitis, aut Cedarena, Ismaëlitarum tabernacula à Sole nigra, & à pastoritio ministerio non omnino munda; quibus se ipsam similem facit, cùm & ipsa rustica sit, & fratrū iniuria, vinearum custodiæ præposita, ex quo à Sole non minùs infuscata, quàm Cedarenæ pelles. Cùm verò Salomonis vidisset illustria tētoria, futurúmque sciret, vt mutato genere, ad Israëliticum nomen, & sortem ascenderet, suam esse dixit pulchritudinem Salomonis tentorio non dissimilem; aut certè paulo pòst futurā, vbi deposito patrio, ac sordido cultu, quem antea gestarat, cùm vineas custodiret, nouum & illustrem acciperet ab ingenuo, & liberali sponso. Est autem in Scriptura frequens, quod suprà diximus n. 25. vt quæ breui futura sunt, illa dicantur iam esse facta: quia pro factis haberi possunt quæ quamprimùm, & quàm facillimè fient.

Quomodo (*formosa*) non tam

præ

præſentem pulchritudinem ſignificat, quàm quandam ad pulchritudinem, & ſpeciem melioré aptitudinem; dicemus in ſenſu allegorico.

32 Allegor. *Nigra ſum: ſed formoſa.*] Magnum eſt in humilitate momentum ad excipienda diuina beneficia. Quare quos Deus ornare vult, priùs id agere ſolet, vt ipſis de ſua tenuitate, atque ſqualore conſtet; vt in ſenſu hiſtorico nuper diximus.

Eccleſia quomodo nigra. Si de Eccleſia, aut qualibet anima ſermo ſit, nigra eſt, & formoſa: nigra quidem propter peccatum ab Adamo in humanum genus traductum; pulchra verò Dei beneficio, à quo mundata eſt *lauacro aquæ in verbo vitæ*; ad Epheſ. 5. (vbi videtur Apoſtolus alluſiſſe ad illud Ezech. 16. *Dixi tibi cùm eſſes in ſanguine tuo; viue*) & exhibuit *ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam.* Expreſſit hoc optimè Auguſtinus Sermone 102. *Vnde eſt*, inquit, *Eccleſia nigra & formoſa? Nigra per naturam; formoſa per gratiam. Vnde nigra? Ecce, in iniquitatibus conceptus ſum. Vnde formoſa? Aſperge me Domine hyſſopo, & mundabor*, &c.

Ad Epheſ. 5.

Virgo quomodo nigra. Si de B. Virgine ſit ſermo, dicitur fuſca hominum opinione; quia de ſtirpe Adam: quia filium peperit; quam decolorauit Sol, ſc. Ieſus natus; quia non aliter, quàm alij filij hominum, conceptus credebatur. Et quia exemplo filij ſui, qui, circumciſus fuit, & oblatus in templo, quaſi peccator natus; & qui ſicut primogeniti alij, maternam vuluam aperuiſſet; ipſa quoque purificari voluit, perinde atque ſi concepto ſemine natum edidiſſet.

33. Spes excitatur. Hîc obſeruandum eſt, ſponſam iuxta Hebraici nominis vim, non tam vocari formoſam, quàm amabilem, optabilem, aut expetitam; & ita vertit Vatablus. Eſt enim in Hebr. נאוה *Nauah*: ſed quia quæ pulchra ſunt, maximè expetuntur, ideo *pulchrum*, pro expetibili ſumitur. Et reuerà quæ pulchra non ſunt, auidè interdum inueſtigantur: quia fieri poteſt, vt pulchra ſint, ſi accedat, aut induſtria artificis, aut temporis maturitas; ſicut docet ebur, quod ab antiquitate deforme, aut pallidum, arte tamen ſpecioſè rubet. Et in multis lapidibus, ac metallis docet quotidianus vſus; quibus ſi non accederet artis lenocinium, nihil haberent vel nitoris, vel pretij; eſt tamen in illis occultum aliquid, quod ſi arte poliās, mirificè ſplendeat. Qui Cedareni tabernaculi, aut Salomonis pellium, quibus ſe ſponſa ſimilem fatetur, externam formam procul adſpiceret, à Sole, atque imbre fœdam, atque illuuie horridā, vt quidam exponunt, non ideo contemneret, quia intus aliquid eximium eſt, quod, ſi propiùs ſpectes, oculos ſuauiter tenet. Neque ridicula, atque agreſtis Sileni Alcibiadis ſpecies peritum mercatorem repelleret, qui intus diuinū aliquid, & ſumma arte perfectum exiſtimaret. Sic etiam Deus optimus rerum æſtimator expetit ea, quæ deformia ſunt, quia ipſius beneficio aliquando futura ſunt formoſa. Vnde apud Oſeam cap. 2. & Ierem. 3. illam verbis quàm molliſſimis vocat, quæ antiquum nitoré proſtituti pudoris turpitudine fœdauerat: & Samaritanam ad myſticum connubium expetiuit, multorum virorum conſuetudine fuſcatam. Denique ad complexum, & thalamum accerſiuit populos, qui Madianitico, atque Æthiopico colore fuſci, ad præſepe, id eſt, ad ſpōſi thalamum, connubiale fœdus inierunt. Eſt ergo

ſenſus: nigra ſum, amat me tamen ſponſus, vocatque ad nuptias, à quo ſtatim dealbabor.

34. *Quia decolorauit me Sol.*] Heb שזפתני *Sazaph*, *adſpexit me Sol*; & ita verterunt L x x. & Symmachus παρέβλεψέ με, id eſt, *torvè inſpexit me.* Nam cùm maluerit fratribus ſuis obſequi, maximè iniqua præcipientibus, quàm datam ſibi ab ſponſo vineam cuſtodire; indigna fuit, cui Deus eſſet vmbraculum ab æſtu. S. Gregorius ait, ſponſam à Sole infuſcari; quia in Chriſti præſentia omnis alia venuſtas, deformitas eſt. *Per Solem*, inquit, *Chriſtus ſignificatur. Sol ergo eam decolorauit; quia quantumlibet fulgeat anima, in comparatione Chriſti fulgorẽ amittit.* Docuit idẽ l.28. Moral. c. 1. & 35. Moral. c. 2.

Filij matris meæ pugnauerunt contra me.

35. Hiſtor. A Conſuetudine fortaſſe externorum hominum, apud quos fœminis non eſt indecorum in agris viuere, ſecus atque apud Hebræos, quorum virgines עלמות *Alamoth* dicuntur, id eſt, *occultæ*, vel *abſconditæ*, oſtendit ſponſa, vnde ſibi contigerit vt nigra ſit. Hîc verò ſe Gentilem prodit, quæ Gentium more vineis colendis operam dederit, id eſt, extra ciuitatem vixerit; ídque fratrum vel inductu, vel coactu. Fratres verò ſumuntur pro tribulibus: mater verò pro patria; illud vſitatiſſimum, hoc verò rarius, vſitatum tamen. Nam Ieruſalem mater dicitur ad Gal. cap. 4. Filij Ieruſalem, Tyri, & Babylonis, dicuntur earum ciuitatum incolæ; quibus filiorum nomen non conueniret, ſi ab illis ciuitatibus nomen matris eſſet alienum. Fratres ergo, id eſt,

Patria mater dicitur.

eius tribules, pro patriæ conſuetudine ſponſam operi ruſtico, vinearum nempe cuſtodiæ addixerunt. Videntur verò Gentiles aliquid operis, etiam durioris ſuis virginibus iniunxiſſe; quia ex ipſarum, reíque domeſticæ vſu fore putabant, ne otioſam & inertem vitam agerent. Quare Rachel Gentilis patris, atque idolo latræ filia oues paſcebat; Gen. 29. Item filiæ Iethro Sacerdotis Madian, quas Regias puellas vocat Clem. Alexand. 4. libro Strom. & Ioſephus lib. 2. capite 11. in magno honore habitas fuiſſe tradit. At ſecus exiſtimo in vſu fuiſſe apud Iſraëlitas; nam Eccleſiaſtici 7. iubentur patres ſeruare corpus filiarum; quod in agris, vbi indigna omnia ſuadet ſolitudo, difficillimum eſt. Item, quia virgines apud illos abſconditæ dicuntur. Suos ergo fratres queritur ſponſa, vel contribules ſecum pugnaſſe, quia licèt, vt mos ferebat patrius, non inſolita, neque indebita miniſteria obierit, tamen illud opus ſuſcepit, vnde nigrorem traxit: erepta interim ea temporis facultate, in qua quærendæ pulchritudini vocare debuit.

Virgines Gentiles operi ruſtico vacât, ſecus Hebrææ.

Poſuerunt me cuſtodem in vineis.

HIc ſe iam ſponſa ruſticam fatetur, & Gentilem: neque enim Iſraëlitides puellæ agrorum cuſtodiæ, aut, quod de ſponſa ſtatim indicatur, paſcendo pecori præficiebantur. Hîc puto per ſynedochem, *vineam*, pro quacumque cura, aut occupatione ruſtica vſurpari; ídque Prouerbiali ſpecie; & nunc pro negotio à nuptiarum munditie, atque ſplendore alieno. 36. Hiſtor.

Vinea, pro occupatione.

Ac

Acsi dicat sponsa, se aliis curis alienioribus intentam non curasse quod maximè curatum oportuit, eo maximè tempore, quo de nuptiis agebatur, nempe formam. Quòd verò pro negotio, aut cura *vinea* sumatur, ea videtur causa, quia vinea,& voluptatis affert multùm, & fructus, modò adsit agricolæ sedulitas, & labor. Et in Scriptura sacra, cùm aliquid conatu maximo, atque studio curandum esse dicitur, vineæ nomen supponitur; vt constat Isai. cap. 5. Certè Virg. Eclog. 2. cùm vellet significare aliquid sibi superesse negotij, semiputatam sibi esse vitem dixit. Quòd verò de vite putanda propriè non sit locutus, probat temporis ipsius importunitas; nam messis tunc tempus erat, quando vua matura erat, aut maturitati proxima. Ait enim pastor Corydon, se tunc clamare, quando messoribus Thestylis escam ferebat. Simili etiam figura Prouerbiali vsus Horatius lib. 2. epistola 1. vbi suum opus,& laborem *vinetum* vocat;

Multa quidem nobis facimus mala sæpe poëtæ,
Vt vineta egomet cædam mea.

Id est, vt opus meum primus ipse condemnem. Neque dissimilis etiã Prouerbialis figura est apud Hispanos, qui cùm significare volunt, aliena se neque curare, neque nosse, dicunt, *de mis viñas vengo.* Sic etiam existimo in eadem significatione *vineam* apud Hebræos vsurpari. Quòd verò *vinea* pro maximo negotio, atque occupatione sumatur, ea ratio est, quia vinea assiduitatem perpetuam, & indefessum laborem agricolæ desiderat. Vnde Virgilius optimè 2. Georg. cùm vineæ nunquam exhausti satis esset, glebam æternùm frangendam bidentibus esse dicit. Idem Colum. libro 4. capite 3. Accedit quòd sponsa cap. 4. *hortus conclusus* appellatur, qui idem est, ac vinea in solo Engadditano; vt statim probabitur. Dicit ergo sponsa, se non satis studij posuisse in colenda ac seruanda sua vinea, id est, paranda ad nuptias pulchritudine, in quod eo temporis vestigio sedulò incumbendum fuit. Quòd si de veris vineis locus hic accipiendus est, sicut nigrorem suum excusat sponsa, quia non natus est ex malo corporis temperamento, sed à Solis iniuria: sic etiam nunc ostendit, non se ita ignobili esse loco, aut sordida conditione, vt mercenariam operam aliorum vineis custodiendis nauare debuerit, cùm neque suam sibi vineam custodiendam putauerit; sed fratrum iniuria, à quibus passa est id, quo nihil grauius tulisset ab hostibus captiua. Ita pene Rabbi Salomon, & Anonymus. Id verò puellari more, grauiùs fert sponsa, quia eo tempore parum est ad nuptias ornata, quo maximè cultam esse oportuit.

Filij matris meæ pugnauerunt contra me; posuerunt me custodem in vineis.] Hoc loco videntur fratres esse, qui ab ea naturæ nostræ facultate nascuntur, quæ repugnat legi mentis, & quæ lex membrorum appellatur: nam ab hac, vt vidimus suprà ex August. sponsa nigra est. Hi verò sunt facultates illæ, aut appetitiones naturæ, quibus vigemus, ac sentimus; quæ eodem satu, atque conceptu cum mente generatæ sunt. Hi ergo iubent, vt iucunda sectemur, ad quæ voluptuarij sensus titillantur: item illa, quæ in specie vtilia, noxia tamen omnino sunt. Et cùm hæc sint à rationali natura, vel aliena, vel certè cum brutis,

37. Alleg. Sensibus qui fer-uit, infu-scatur.

brutis, stirpibúsque communia, dicit se alienarum vinearum fuisse custodem, & partem nobilissimã, id est, rationem concupiscentiæ tãquam dominæ subdidisse; cui dũ se facilem, atque obsequenté præbet, vineam, quam verè suam, atque præcipuam accepit, squalentem, atque incultam reliquit. Neque verò, dum suam vineam negligit, vnam aut alteram vineam à fratribus custodiendam accepit, sed multas, eásque longissimo inter se distitas interuallo. Ex quo necesse omnino est, vt in tot partes variè distracta vitam exigat sæpè quàm miserrimam. Nam quisque illorum fratrum suam sibi vineam plantauit: quia non omnium eadem est voluptas, aut idem pabulum. Nam quemadmodũ aliorum animalium alij sunt cibi: aquilarum enim pulli lambunt sanguinem, vultures, & corui putridis cadaueribus, thymo apes, & rore cicadæ pascuntur, porci luto, cygni stagnis delectantur; sic alij naturæ sentientis affectus aliis voluptatibus capiuntur. Ira vindictam adpetit, ambitio honores, &c. Dixit hoc optimè Persius Satyra 6. qui lacerari, ac distorqueri dicit illum, qui suis se affectionibus addixit, tanquam vile mancipium: in cuius animo tot domini sunt, iidemque duri, ac graues, quot sunt aut vitia, aut motus;

Mundo qui seruit, & cupiditatibus, miser est.

——Si intus, & in iecore agro
Nascuntur domini, qui tu impunitior exis,
Atque hic, quem ad strigilem scutica, & metus egit herilis.

Deinde auaritiæ imperium describit: Lege ad finem vsque Satyræ, quæ valdè facit ad hanc cogitationem.

His ergo dum mercenariã operam nauat sponsa, id consequuta est, vt apertam faciem, & Solis, & temporis inclementia fuscauerit, & suam vineam nobilibus consitam stirpibus, & vberi felicem prouentu pene perdiderit. Subiit nimirũ illam legem, quam 1. Reg. 8. prædixit Samuël iis, qui reiecto Domino, Regem sibi petierunt: nam ereptis vineis, & oliuetis optimis facturus dicitur Rex populi filios aratores, agrorum, & messores segetum: filias verò vnguentarias, focarias, & panificas. Ex quo ministerio, atque opera, quam meliùs in vineis, atque oliuetis suis excolendis posuissent, necesse erat, vt fuscorem contraherent.

Vineam meam non custodiui.

NVptias per coëmptionem fieri, frequens, & pene solemne apud Hebræos, sicut & apud externos. Vnde etiam emi dicebatur vxor, & adquiri; vxor verò ea ratione ducta materfamilias erat, & quasi inter domesticos Regina; vxoribus aliis aliud & ius, & nomen. Constat ex Osea capite 3. qui meretricem vxorem emit sibi 15. argenteis, & coro, & semicoro hordei; & Iacob vxorem sibi parauit multorum annorum seruitute: Dauid 100. Philistinorum præputiis, & Christus Dominus Act. 20. *Ecclesiam sponsam acquisiuit sanguine suo.* Vt ergo aliæ sponsæ aliis; sic nostra hæc vinea coëmpta dicitur; quam suam hîc, id est, dotalem vocat, vt ex cap. 8. constabit magis. Situs verò vineæ, eiúsque prouentus videtur non obscurè posse colligi ex Osea capite 2. vbi cùm sponsam vocat, quæ fidem datam thorúmque prodiderat, ad aperiendam spem, id est, vt

38. Histor. Vxor per coëmptionem.

de

de ipsius liberalitate, atque indulgentia summa speraret omnia, pollicetur daturum sese vinitores, & vallem Achor. Neque dubium mihi est, vallem illam eandem esse, quæ alio nomine appellatur Engaddi: neque enim admodùm aperiret spẽ fugitiuę spõsæ, nisi vallis illa Achor voluptati maximæ futura esset, ac fructui, qualia certum est capi ex vineis Engadditanis.

Achor idẽ quod Engaddi.

Porrò tam Achor, quàm vallem Engaddi esse prope Ierich o, certum est. De Achor docet Hieronymus in locis Hebraicis, esse vallem in Septemtrionali parte Ierich o, dictã Achor, quia ibi peccatum Achan turbauit populum, & ibi lapidatus est. De Engaddi docet Iosephus lib. 9. Antiquitatum, capite 1. vbi dicit esse in agro Ierichuntino, distantem à Ierusalem 300. stadiis. Idem lib. 14. cap. 7. Ægesip. lib. 4. de excidio Ierosol. cap. 17. cyprum, & balsamum ait nasci iuxta fontem ab Elisæo sanatum in campo Ierichuntis. Videtur autem Oseas suprà cùm meminit vallis Achor, & vinitorum, respexisse ad cap. 8. Cant. vbi & vineæ sponsi, & vinitorum mentio fit.

39. Quòd verò hæc vinea in valle Achor, siue in tractu Engadditano sita, cypris, quarum balsamum prouentus est, aliísque aromatiferis arboribus, & non tantùm vitibus cõsita sit, probant tum alia in his Canticis obuia, quæ aliter intelligi commodè non possunt; tum etiam quia hîc vineæ dicuntur florere, & odorem dedisse. hæc autem non admodùm conueniunt vitibus. Nam vt vites floreant, quod etiam dixit Ouidius 5. Fastorum, & Horatius Epodo 16. tamen flos, siquis est, non est adeò pulcher, vt cuiusquam

Vinea sponsę nõ tam vitibus videtur esse consita, quàm cypris.

oculos valdè capiat. Certè odorem non aspirat, aut non nisi tenuem, nisi fortasse in vno aut altero vitium genere; quale est illud de quo Mar. libro 3. Epig. 23. qui cùm labia cuiusdam bene olere dixisset, ait id olere,

Vinea quod primis floret cùm cana racemis.

Sanè Plinius lib. 12. cap. 27. vni generi vitium odore m attribuit, & illi quidem syluestri, quæ œnanthe dicitur, & genus est labruscæ. Qua, credo, consitus non erat Engadditanus ager, aut ille ad quem sponsa vocabatur, quem amœnum, & fructuosum fuisse oportet: deinde fructum, aut florem vitium nihil habere à natura odoris admodùm grati, suadent authores de re rustica, qui artificio quodam docent odorem vitibus conciliari posse. Vide Cassium, Dionysium libro 4. cap. 8. Neque quenquam inueni ex his qui in vineis colendis assidui sunt, qui se ex vineis odorem admodùm gratum percepisse dicat, cùm tamen ea de re non paucos cõsuluerim. Huius sententiæ est Hieronymus, testis, vt credo, oculatus, qui eodem quo S. Paula tẽpore terrã sanctã incoluit. Is enim de Paula in eius Epitaphio ait: *contemplata est balsami vineas in Engaddi*; ex loco nempe Sodomis proximo. Et super caput 27. Ezechiel. ad illud, *Iuda, & terra Israel*, &c. *balsamum quod nascitur in vineis Engaddi.* Adde quòd LXX. cùm dicunt *vineas florere*, verbo vtuntur à cypro deducto, *Cyprizo*, quod verbum ipsi LXX. inuenerunt ad explicandum quod propriè est à cypro: sicut & alia multa verba, vt dicit Hieronymus in illud Ezech. 16. *Induite subtilibus*; quo bis vsi sunt Can. 2. semel cap. 7. cùm iterũ

agerent de vinea, vbi est verbale *cyprismus*.

Vinea, hortis quoque commune nomen.

Neque *vinea* nomen admodum contrà pugnat: nam כרם *Cherem*, quod vineæ nomen est, non modò significat consitum vitibus locum, licèt hoc præcipuè, sed aliis etiam plantis: cuius ea videtur coniectura non leuis, quia cùm alia sint ruri frugifera oliueta, & horti, &c. agrorũ tamen & vinearum nomine significantur 1. Reg. 22. *dare agros, & vineas*; & Prou. 24. *Per agrũ hominis pigri transiui, & per vineam viri stulti*, id est, per possessiones. Et certè vindemiare tam de vineis dicitur, quàm de aliis; & vinitores etiã dicuntur, qui aliud etiam curãt à vineis. Ioël cap. 1. *Vlulauerunt vinitores*, &c. *Vinea confusa est; ficus elanguit, malogranatum, & palma, & malum, & omnia ligna syluarum aruerunt*. Ecce quomodo ad vinitorem pertinent ficus, & palma, &c. Et sanè Iudic. cap. 15. *vinea oliua* dicitur; Hebraico textu כרם זית *Cherem Zaith*, vbi vulgatus habet, *vineas quoque & olíueta*. Ita putat Kimhi, & dicit ita sentire Hebræorũ magistros. Vide Paginum in Thesauro, in voce כרם. Quod item censet Marinus in voce כרם, & ita postulat res Grammatica. Et Isai. 27. *vinea meri* dicitur, vt ab aliis vineis distinguatur. Neq; credo, erraret, qui vineã, in qua ficus esse dicitur Lucæ c. 13. *hortũ* exponeret; neque enim tam ficus vineæ, quã horti est propria. Similitudo autem ab eo sumitur, quod magis est familiare, ac proprium. Quòd si aliis hortis vox *vinea* non apta; hortis tamen Engadditanis aptissima est: quia vitibus cum cypris similitudo non modica. Nam, vt scribit Plinius lib. 12. caput 25. cùm agit de frutice, aut arbuscula, quæ tantùm in Iudæa balsamum fundit; *Hæc*, inquit, *viti similior est, quàm myrto, malleolis seri dicitur, nuper vincta, vt vitis; implet colles vinearum modo*. Et ibidem arbusculæ ramos, sarmenta vocat, quæ propria vitium sunt. Et Solinus cap. 48. de hac eadem arbore; *Similes*, inquit, *vitibus stirpes habet*. Cuius rei in Hispania aliquod habemus vestigium. Nam in Granatensi Regno, Punico nomine, hortus vocatur *Carmen*, quod vineam significat, licèt aliis arboribus consitus sit. Est autem satis notum, Punicam linguam ab Hebraica esse deriuatam. Neque mihi dubium est, *Carmen*, vocem Punicam ab Hebraica voce esse profectam. Neque leuis coniectura est, quòd *vindemia*, quæ de vinea propiè dicitur, communiter omnium arborum, ac segetum, prouentui accommodatur, sicut Græcè τρυγητὸς, sic Latinè *vindemia*, quæcumque fructuum collectio est. De palmis Dioscorides lib. 1. cap. 149. De melle Plinius lib. 11. cap. 14. & 15. & Columella libro 9. cap. 15. De oliua Plinius lib. 15. cap. 1. Artemidorus lib. 2. cap. 25. De myrrha Septuaginta: nam vbi vulgatus dicit cap. 5. *Messui myrrham meam*; ipsi vertũt, *Vindemiaui*. Quare sicut *vindemia*, pro omni fructu: sic & *vinea*, pro omni horto verisimiliter vsurpatur. Adde, quòd statim in vineis Engaddi cyprus esse dicitur: at cyprus nullo modo est vitis, sed planta quædam nobilis, quæ balsamo sudat, vt est communis omnium sententia.

Carmen vox Hebraica pro quolibet horto.

Vindemia proquocunque prouentu.

Accedit quòd capite 1. vbi vulgatus legit, *commoremur in villis*, Heb. est בכפרים *Bacopherim*, *in cypretis*, seu *vineis cypro consitis*, quæ statim per epexegesim videtur exponere dum addit; *Manè surgamus ad vineas, videamus si vinea floruit*. Quòd si vineæ à villis, id est, à cypretis, diuersæ

uersæ sunt, saltem id habemus, villas, in quibus diutiùs esse commorandum sponsa canit, non tam viribus, quàm cypris abundare, id est, non tam esse vini, quàm balsami feraces. Habebat quidem sponsus locuples vineta, vt verisimile est, item & cypreta non pauca; vtraque obire sedulus paterfamilias, & vxor rei familiaris non negligens, & inuisere debuerunt. Vineis consulit sponsus dum arcerci iubet vulpes pusillas, quæ non tam, credo, cypro, quàm viti insidiantur. De Engadditanis, & Ierichuntinis hortis nulla hîc ostenditur cura; quia fortasse nulla bellua infesta est plantæ illi peregrinæ & nobili.

Ex his videtur occurri posse illorum cogitationi, qui ideo existimabant, vineam Engaddi constare non tam cypro, quàm vite; quia vulpes quæ demoliuntur vineas, non tam balsami odorem, quàm vuæ iam maturæ suauitatem captant: neque enim sponsus Engadditanis cõsulit cypretis; sed vineis aliis, quas iam sibi cum sponsa communes habebat.

Sed est contra hanc sententiam aliquid difficilius, cui occurrendum est, ne in re graui, & noua scrupulus aliquis attentũ lectorem conturbet. *Vinea* nomen commune fuisse dixeramus hortis, aut prædiis, quacũque illa plãta conserantur. Quare odoré, qui è vineis efflare dicitur, non è florenti vite, sed ex alia aromatifera arbore expirari putabamus; ea præsertim adducti ratione, quod vitium odor pertenuis est, neque eiusmodi, vt ab eleganti ac delicato odoratu experi maximè debeat. At obstat valdè quòd, vbi vulgatus habet; *vineæ florentes dederunt odorem suum*; in Hebraico textu non est כרמים *Cheramim*, id est, *vineæ*, sed גפנים *Ghephanim*, id est, *vites*: quod viniferis plantis proprium est; non commune cum aromatiferis. Odor itaque ille à vite potiùs est, quàm à cypro.

Huic ego rationi, quæ sanè leuis non est, dupliciter occurro. Primùm, sicut *vineæ* nomen, atque *vindemiæ* commune est omnibus pomariis, & fundis frugiferis; sic etiam nomen *vitis* omnibus plantis frugiferis esse commune; sicut & apud Hispanos nomen *cepa*, quod stirpem plantarum valet, licèt commune sit, viti tamen communiter accommodatur. Et quidem *vitis* nomen multis iam rebus datum est. A Latinis *vitis alba* dicitur, item *vitis nigra*, & *vitis agrestis*; quæ tamen longè absunt à vinifera vite. Quod etiam accidit Græcæ voci ἄμπελος, quæ alia multa significat præter *vitem*. Sit nobis exemplum vnum pro mille 4. Reg. cap. 4. numero 39. Etenim vbi vulgatus habet; *Egressus est vnus in agrũ, vt colligeret herbas agrestes, inuenitque quasi vitem syluestrem, & collegit ex ea colocynthidas*, Heb. est וימצא גפן: *& inuenit vitem*. Neque in textu Hebraico est *quasi*, sicut in Latino. Quod verò ibi גפן *vitis* non sit, sed planta longè diuersa, hinc sibi quisque persuadebit, quia colocynthidas vitis non fert: neque fructus vitis quicunque ille sit, ita est amarus, vt clamare cogat conuiuas, *Mors est in olla*.

Vitis nomen commune arboribus frugiferis.

4. Reg. c. 4

Secundò, si גפן *vitis* sit, erit agrestis, vt ex Hebræis non pauci putant. Vitis autem agrestis, quæ *œnanthe* dicitur, vt paulo antè vidimus ex Plinio, grati odoris est: & quia agrestis planta, iuxta viam in vallis & septis Hierosolymitano

agro videtur familiaris. Quid autem mirum, si גפן, id est, *vitis syluestris*, amaro sit gustu, odore verò grato, atq; suaui: sicut myrrha, aloë, & nardus amara sunt, & odoris eximij? Sicut ergo, qui animi gratiâ rusticâtur, agros obeunt, quos odoriferæ plantæ, licèt amaræ, conuestiunt: atque ideo qui aliquem ad rusticandum inuitaret, opportunè diceret olere thymum in agris, fragrare nardum, & suaue aliquid aspirare herbas alias, licèt aspectu, gustúque non admodùm gratas: sic nunc sponsus nouam nuptâ inuitat, proposito odore, quem tota via vitis illa syluestris inhalat. In hanc sententiam, quæ cypris potiùs, quàm viniferis vitibus consitam esse vineam existimat, magis inclinat animus; neque tamen alienus est ab illa, quæ in dotali vinea vites agnoscit. Nam, vt suprà diximus, licèt vnum aut alterum vitium genus sit inter mille, quod suauiter oleat, vt etiam experimur in Hispania; illud tamen fortasse familiare fuit Hierosolymis. Quod præter hæc Canticorum loca, probat illud Eccli. 24. v. 23. *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris.* Similitudo autem sumi plerùmque solet ab eo quod notum est, imò & regioni vernaculum.

41 Allegor. *Vineam meam non custodiui.*] Ex superioribus iam ex parte constat quænam sit hæc vinea, nempe pars illa nobilior, quam non habet rationalis natura cum reliquis animātibus cōmunem: quæ ita excoli debuit, vt fructus faceret dignos pœnitētia. Id enim est ornare se ad thalamum diuini sponsi, quod maximè à sponsa curatum oportuit. *Vineam* verò pro occupatione præcipua sumi, iam suprà à nobis ostēsum est. Neque incommodè quis dixerit, sponsum hîc *vineæ* nomine significari; quod indicat sponsa cap. 8. *Vinea*, inquit, *mea coram me est*; & quem suprà vocauit *botrum cypri*. Quæcumque illa sit, certè vberrima est, nempe in tractu Engadditano, & valle Achor, quæ aperit nobis spem, Oseæ 2. quæque perpetuò stillat opobalsamo; quæ quotannis pensitat mille argenteos, id est, copiosissimum fructum. Aliarum vinearum, quibus seuero fratrum imperio, custodiendis præfuit, prouentus nullus est: aut sanè pertenuis, neque vnquam maturus; quique cùm videtur esse plenior, aut gratior, aut exuritur à gelu, aut ab æstu, aut noxio aliquo vento omnino vanescit. Quòd *si quis*, vt dicit Gellius libro 4. cap. 12. *agrum suum passus fuerat sordescere, eumque indiligenter curauerat, ac neque arauerat, neque purgauerat: siue quis arborem suam, vineámque habebat derelictui, non id sine pœna fuit sed erat opus censorium*; quanto supplicio digna existimanda est, & quo ardore in seipsam excandescere debuit, quæ ad alienas vineas distracta infelices, ac steriles, quas spinis, ac tribulis impleuit homo vetus Adam, suam vineam nobilissimi, atque vberrimi fructus feracem, à nouo Adam Christo, dotali sibi munere relictam syluescere passa est? Hanc vineam Ambros. in exhortatione ad virg. monet ne patiatur sibi sponsa Christi eripi ab Achab; vt ex ea hortus fiat ad inanes potiùs, breuésque delicias, quàm ad solidum prouentum, ac diuturnum: sed si opus fuerit, cum optimo Naboth potiùs profundat vitam, ne Tyranno atque impio Regi traditam sibi à patre vineam prodat.

Qui vineā neglgit dignus cen oria nota.

Dei dona magni facienda.

Indica

Indica mihi, quem diligit anima mea.

42. Histor. QVia iam exuere desiderat Gentilis, sponsa, & vinearum custos illuuiem, & sordes, quibus similem se esse dixerat Cedarenis tabernaculis, & assumere speciem, Salomonis pellibus non dissimilem, moræ illius impatiens, ad sponsum conuersa, à quo summa sperat omnia, & ad quem toto anhelat spiritu, orat, vt prodat sese, aut ostendat locum in quem suas sibi meridiationes cõferat; vt & illud meridianum tempus, & illum locum cum ipso obeat: cámque adducit causam honestissima fœmina, ne vaga inter pastores erret, quod neque pudicam, neque tanti viri sponsam decet.

43. Allegor. *Indica mihi, quem diligit anima mea*, &c.] Cùm longo iam vsu amans Dei anima didicisset ex alienis vineis, id est, ex iis quibus pars animæ ignobilior pascitur, nihil se collegisse præter coloris fœditatem, altiora meditatur, & locum illum appetit, vbi cum sponso viuat in meridie. Quod sanè nihil est aliud, quàm auocatum ab alienarum vinearum custodia animum, ad suam sibi vineam velle conuertere. Sed quid sit *meridies*, non omnes eodem modo interpretantur. Hieronymus in illud Abac. 3. *Dominus ab Austro veniet*; & Bern. hîc, locum intelligunt luce plenum, id est, beatitudinem: quia vt in meridie plena lux est, & calor ardentior: sic in beatorum regione fortunatæ animæ clarissima illustrantur luce, & amore inflammantur ardentissimo. Sponsa ergo beatitudinis adpetens viam nosse desiderat, quæ ad beatitudinem deducat.

Meridies, beatitudo.

Alij *meridiem*, pro tempore tentationis sumunt. Ita Sanctus Thomas, Beda, Philo, Carpath. nam sponsa, id est, anima grauiter iactata, & probata igne tribulationis, vmbram desiderat, vbi refrigeretur ab incendio; neque aliam satis esse putat ad extinguendam flammam, nisi in qua cubat spõsus, iuxta quem meridianus æstus timendus non est. Porrò æstum qui in meridie vehementissimus est, tentationem item vehementissimam indicare innuit Psalmus 90. vbi iustis dicitur timendum non esse *ab incursu, & dæmonio meridiano*: & Isai. 4. Deus iustis est *vmbraculum ab æstu*; & Iere 27. *Non timebit iustus cùm venerit æstus*. Metaphora ducitur ab eo tempore in quo maximè inimicus est calor, iuxta illud Ecclesi. 43. *Sol in meridiano exurit terram, & calorem eius quis poterit sustinere?*

Meridies tempus tentationum.

Vbi noster, *vbi pascas, vbi cubes in meridie*, Hebr. est איכה *Echah*, quæ vox non solùm de loco, sed etiam de modo quærit, idque frequentiùs. Quare ex Hebræis plerique *quomodo* interpretantur: iuxta quam versionem sensus moralis, & mysticus egregius esse potest; quasi sponsa, quæ ex sponsi sui grege esse studet, roget [quomodo qui sunt ex grege Dei pascantur; parata quæcumque obire incommoda, dummodo sub tanto Pastore stabuletur, & pascatur; siue spinis sint, & tribulis conferta pascua, siue grex ille cultro sit, & macello destinatus. Qualia passi sunt Apostoli, & Martyres & qui piè viuere volunt in Christo Iesu. Quia verò fidelis anima complãtari vult similitudini mortis Christi, ad Romanos 6. num. 5. & ad eius exemplar crucem, mortémque su- 44.

Crucis amor, & Christi imitatio.

ſtinere;ideo rogat,quomodo Chriſtus in meridie,id eſt,in ferućtiſſimo dolorum, & tormentorum æſtu, ad horam nempe ſextam in duro Crucis lectulo cubuerit;vt ad eius ſimilitudinem animum ſuum, & ſtudium attemperet;ſe denique totam ad Chriſti in meridie crucifixi exemplar fingat & informet.

Libet hîc Donatiſtarum inſaniã adſcribere,qui ex hoc loco tanquam ægroti deliri ſomniarunt,apud ſe in Africa eſſe veram Eccleſiam,quia in meridie cubare dicitur ſponſus: Africa verò ad Auſtrum, & Meridiem ſpectat. Confutat hos acutè,& eleganter Auguſt. tomo 7. libro de vnitate Eccleſiæ, cap. 14. quem tu vide.

Ne vagari incipiam.

45. Hiſtor. VErbum Heb. כעטיה *Cheotijah*, *quaſi declinans ad paſtores alios*: verbum עטה *Atah*, etiam ſignificat *operire*. Vnde quidam exponunt, *ſicut operta*, ſenſu non valdè diſſimili; diſſimili tamen forma: nam mulier velata,maximè in agris, ſcortum ſe eſſe profitetur. Quare Geneſ.38. Iudas ex eo ſuſpicatus eſt Thamar vulgari eſſe pudoris, quia velarat faciem.Senſus ergo eſt: Ne circuiens viros, ſuſpicionem incurram proſtitutæ pudicitiæ. Orig.libr. 4.contra Celſum ait, hoc facere ſolere meretrices extra vrbem, & citat Chryſippum. Sed hoc idem ſignificat etiam *vagari*;vnde impudica fœmina deſcribitur *garrula*, *&* *vaga,quietis impatiens* Prouerb. 7. & Prouerb. 5. *Vagi ſunt greſſus eius*. Quòd verò operta mores prodat meretricios, tunc verum eſſe crediderim, quando ſolæ incedunt in agris, & vagæ: alioquin enim Rebecca fœmina honeſtiſſima non ſe operuiſſet viſo Iſaac; & nos infrà probabimus, decere maximè pudicam, & caput, & faciem operire, ad illud cap.4. *in vno oculorum tuorum*.

Scorta quando faciem velant.

Aliam nunc accipe expoſitionem iuxta LXX.lectionem, qui illud Hebr. כעטיה exponunt,*ſicut operta*. Satis notum eſt, in omni ferme lingua,atque natione fœminam, à qua vir longiùs abeſt, viduam vocari: certè appellare ſe viduas eas,quę ardentiùs amant, & ægriùs ferunt cõiugis abſentiam; quæ etiam interea turpe, atque indecorum putant cultiùs ornari. Sic apud Ouidium Penelope,& Hero,dum viris,aut amaſiis carent,viduas ſe, atque relictas vocant; ſic apud eundem Deïanira de Hercule abſente;

Vidua dicitur, cuius vir abeſt.

Ipſa domo vidua votis operoſa pudicis
Torqueor, infeſto ne vir ab hoſte cadat.

Sic apud Senecam in Agamemnone,Clytemneſtra de ſuo marito;

Decem per annos vidua reſpiciam virum.

Viduarum autem, vt conſtat, proprium erat operire caput, ſicut eſſe in ſeceſſu & tenebris,vt etiam, dum in publicum prodirent,tecto capite, in tenebris, & latebris eſſe viderentur. Quare apud Hebræos vidua אלמנה *Almanah* dicitur,quaſi *ſilens*, *occulta*, & *mœſta*. Sanè vſitatum erat apud Hebræos,vt lugentes, & mœſti caput operirent: cuius rei documenta pauca nõ ſunt 2.Reg.15.v.30. de Dauid, cùm mœſtus fugeret à facie Abſalom, dicitur. *Porrò Dauid aſcendebat cliuum oliuarum ſcandens, & flens nudis pedibus incedẽs,& operto capite.Sed & omnis populus,qui erat cum eo, cooperto capite aſcendebat plorans* Et iterum cap.19.v.4. *Porrò Rex operuit caput ſuum, & clamabat voce magna;fili mi Abſalom.* Eſther cap. 6. de

Caput opertum in luctu.

2.Reg.15.

de Aman; *Festinauit ire in domum suā lugens, & operto capite.* Sic Susanna Dan. 13. operto capite ad iudicium trahitur capitale: iussa est enim à senibus, quò eius speciem pulcherrimam viderent, vt discooperiretur: erat enim cooperta. Quod solemne esse, & quasi legitimum in luctu, indicat Ierem. cap. 14. num. 4. *Quia non venit pluuia in terram, cōfusi sunt agricolæ, operuerunt capita sua.* (Ierem. 14.)

Ex his mihi non videtur difficile, sponsam hoc dicendi genere voluisse significare interim, dum sponsus à suo esset diuulsus amplexu, vitam sibi fore mœstam, & lugubrem; neq; alium futurum esse statum, quàm viduæ, quæ sublatum sibi esse coniugem dolet. Vbi obseruandum, non dicere spōsam, futuram se esse opertam, sed quasi opertam, id est, quasi viduam: quia fœminæ à quibus coniux abest, reuerà viduæ non sunt; sed quasi viduæ. Hæc porrò dicendi figura metonymica est, in qua signum pro re adhibetur significata, id est, caput opertū, pro viduitate, ac luctu.

46. (Caput opertum in pudore.) Huic proxima est alia expositio, quæ hac dicēdi forma, non tam dolorem in sponsa, quàm pudorem ostēdit. Operiri vultum, qui à pudore, seu cōfusione patitur, natura ipsa docuit; & ideo, vt inquit Ambrosius libro de Abraham cap. 1. puellæ in nuptiis faciem velant, quia virginalem modestiam nuptialis illa causa pudefacit. Ait ergo spōsa, iam egressa domo, iam spoliata pallio, & acceptis plagis ab vrbis custodibus, nō posse iam amplius se sine pudore, atque ignominia sponso carere, qui sua liberalitate, atq; humanitate resarciat, quod vigilum iniuria, atque inurbanitas detraxit. Quare orat, vt sese quamprimùm ostendat, quò suo tandem pudori, atque ignominiæ consulat; stat enim nullo, aut loco, aut tempore quiescere, donec illum inueniat. Deinde, quia puella Gentilis tunc, neque dum in Israëliticam familiam adoptata, sine pudore versari non poterat inter greges sodalium sponsi, id est, inter Hebræos, qui Gentilium cōuictum fastidiunt, & congressum horrent.

Ne vagari incipiam post greges sodalium.] Plerique hos sodales intelligunt falsos Prophetas, seu Hæreticos, qui dum simulant seueram doctrinam profiteri, in errorem inducunt. Ita Gregorius, Theodoretus, Bernardus, S. Thomas. In horum caulas incidere veretur sponsa: hi sunt, qui iuxta iter scandalum ponunt; qui expandunt rete super Thabor: neque enim in ea, quæ videtur via, tam sunt, vt pascant, quàm vt insidiētur. Explicuit Hieronymus optimè in illud Psal. 90. *à dæmonio meridiano.* Quòd si *meridies* hîc beatitudo est, quærit sponsa de ea, quæ est ad beatitudinem via. Quia sæpe videtur *homini via recta, nouissima verò deducunt ad mortem*; Prouerb. 14. & multa vitia, eáque grauissima virtutum specie imperitos viæ ad mortem trahunt. Quod optimè docuit Gregorius libr. 32. Moral. cap. 22. & alibi sæpe. Nam in rectoribus, qui verè languor est, existimatur humanitas: superstitio pro Religione, crudelitas, & inuidia pro zelo, atque iustitia; pertinacia pro constantia ponitur. Quia igitur à virtutis via plura sunt, eáque valdè periculosa ad vitia diuerticula, petit sponsa ostendi sibi quomodo ad beatorum patriam rectà, & sine errore perueniat. Sin verò *meridies*, tentatio sit vehementior, orat ostendi sibi, vbi commodiùs vim illam vrētis Solis excipiat, vtique vbi sponsus cubet, in cruce videlicet, id est, mortificatione; in præsepi, ac stabulo, id est, humilitate: nam 47. (Allegor.) (In via Dei duce egemus, & magistro.) (Tentatio vbi vincenda.)

nam *super humilem, & quietum requiescit Dominus*. Et, vt optimè Ambros. libro de Isaac, cap. 4. *Vbi impudicitia, vbi superbia, vbi iniquitas ibi filius hominis non habet vbi caput suum reclinet*. Eo ergo loco, vbi à Christo Diabolus victus, ac debilitatus est, tutiùs cum eo, atque audaciùs congredi possumus.

Si ignoras te, ô pulcherrima, &c.

48. Histor. HÆC verba tribuenda esse videntur puellarum choro, vt putat Psellus: nam sic magis expeditus est orationis textus, & eodem modo ab illis vocatur *pulcherrima mulierum* cap. 5. cui ordine historico succedit hoc primum. Neque vidétur posse vllo modo conuenire spõso, quia si præsens aderat, cur modũ ostenderet, quo absens inueniri posset? Neque sponsa tam de loco, vbi meridiatur sponsus, cognoscendo sollicita est, quàm de eius aspectu. Neque sponsus, si de statiuis meridiationibus sermo esset, duces præberet agnos, cùm ipse præsẽs posset, & monstrare faciliùs, & deducere humaniùs. Cùm ergo dilectum suũ pastorem faciat, cùm de loco, vbi meridianum æstum solitus esset declinare, inquireret, ipsæ quoque filiæ Ierusalem sponsam pastricem faciunt, monéntque, vt quemadmodum sponsus firmum magis, atque adultum pecus in pascua produxit; sic ipsa tenerum, atque imbecillum agat (id enim est *abire post vestigia gregum suorum*) sic enim fiet, vt licèt pastorum tabernaculis, & pecorum stabulis æstiuæ meridiationes plenæ sint, non tamen aberret ab eis, in quibus stabulatur sponsus. Si enim ad pastorum tabernacula teneros hœdos egat, ipsi naturæ quodam instinctu matrum odorati vestigia, ad sponsum deducent.

Porrò hoc sumptum est è pastorum consuetudine, à quibus imbecillum pecus, quod matrem in pascuis assequi non potest, aut domi relinquitur, vel separatim pascitur interdũ à puellis, vt de Alcippe canit Virgilius Eclog. 7. & Theocritus Idyl. 54. Quod munus, credo, obibat Rachel, Gen. 29. & filiæ Iethro, Exo. 2. Et quæ hîc pastorali metaphora æstiuæ stabulationes, aut pastorum tabernacula dicuntur, horti sunt, & domus, aut quæ saltus Libani, aut quæ domus vulgi dicũtur Ieremiæ cap. 39. vbi, vt bene coniectat Hadrichomius in *Ierusalem*, n. 45. ludi, & publica conuiuia obiri solita. Vt enim pastorum æstiua opacari solẽt arborum vmbris, & tabernaculis instrui; sic horti illi, & vmbrosi sunt, & ædificiis conspicui. Porrò hac metaphora fœminarum chorus id videtur velle, vt sicut sponsus secum in tabernacula pastorum, id est, hortos duxit amicos, & socios, sic sponsa eodem fœminas sodales, infirmũ nempe gregem, deducat. Aut, quod videtur verisimilius, pollicetur ille puellarum chorus, qui tenero hœdulorum gregi similis est, deducturum se sponsam ad illum locum, vbi stabulatur sponsus; nempe ad pastorum tabernacula, de quibus nuper. Puellæ tenerum pascunt pecus.

Cæterùm in illo, *ignoras te*, illud, *te*, paragogicum est, more Hebr. apud quos redundare solent aliquæ particulæ, sicut apud Latinos *met*, *te*, & *te*, vt, tute, id est, tu ipse, mihi hoc præcepisti: sic hoc loco, *si tute ignoras*, id est, tu ipsa. Fit tamen apud Heb. dissimili modo, apud quos paragoge est in datiuo לך *lac*, quod bis ponitur 49. te, & Tibi particulæ paragogicæ.

ponitur hîc in vno versu; *si non nosti tibi,&c,egredere tibi.* Et capite 2. item bis, pro surge, & veni, *surge tibi*, &c, *veni tibi*;& alibi sæpissime. Huic similis est Latina phrasis, in qua datiuus etiam redundat, vt, *suo sibi hunc iugulo gladio*:& Hispanè eadẽ phrasi dicitur, *sabete, vete, salte.* Hispana trãslatio antiqua habet, *sino telo sabes.* Hic videtur proprius sensus: nam alius, quem alij probant, quo iubetur spõsa seipsam agnoscere, neque Hebraico textui congruit, neque satisfacit interrogatis ab sponsa, quæ de loco vbi sit sponsus sollicita est.

50. Allegor. *Si ignoras te ô pulcherrima*, &c. *pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorum.*] Probauimus iam in cortice, hæc verba pertinere ad chorum puellarum, quæ animæ sanctæ sunt, vt dicit Gregorius Papa, siue quæ nobiscum in terra sunt, siue quæ iam beatæ in cœlis agunt. Idem Ricardus. Beda & S. Thomas perfectos viros esse volunt, qui in terris sunt. Psellus Angelos esse putat omnes in illud c.5. *Adiuro vos filia Ierusalem.* Hi ergo, vel Angeli, vel sancti viri rationẽ ostendunt, quę sponsam commodè, & facilè ad dilectũ deducat. Hæc verò vestigia gregum sunt, id est, creaturæ, quæ Dei gloriam, & bonitatem annuntiãt: creaturæ etenim vestigia Dei sunt, vt docet S. Thom. 1. par. quæst. 5. art. 5. & q. 45. artic. 7. & nos deducunt ad eum, à quo sunt impressa. Ita Iob cap. 12. *Interroga iumenta, & docebunt te: & volatilia cœli, & indicabunt tibi; loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris.* Tractarunt hoc elegantissimè Basilius Hom. 11. Hexam. Augustinus libro 10. Confess. cap. 6. Gregorius libro 12. Moral. cap. 8. Et sanè magnus Antonius, vt refert Nicephor. lib. 11. capit. 45.

Creaturæ ad Deum deducũt.

per hæc vestigia sponsi cubile, id est, gloriam, agnouit.

Expedit tamen, vt sequamur gregis vestigia, non vt illis hæreamus; quæ deducant ad Deum, non tamẽ nobis pro Deo sint. Multi enim Solis, ac Lunæ pulchritudinem admirati, diuinum illis honorem tribuerunt: & in his non pauci qui ad acerrimum ingenium, singulare quoque studium adhibuerunt ad cognoscendam diuinam naturam. Oportet ergo, vt hos greges ad pastorum tabernacula ducamus, id est, ad eos, quos Dominus Ecclesiæ Doctores præfecit: quorum ductu faciliùs, tutiúsque quàm nostro, ad meridianum sponsi cubile veniemus. Est autem vsurpatum sæpe à spiritualis vitæ magistris, nihil esse periculosius, ac ruinæ propius, quã si quis pastorum, id est, seniorum neglecto consilio, suo se arbitratu, atque prudentia regat. Vide Cassianũ collat. 2. cap. 11. Oportet ergo hœdos nostros cogere ad pastorum tabernacula, id est, illa, quæ nobis videntur esse ad vitam vestigia, ad illorum prudentiam examinãda producere.

In creaturis non hærendum.

Egregius quidem hic sensus, & ad formandos sanctè mores, vel reformandos potiùs accommodatus; sed videtur locus aptissimè sic adsumi posse cõsentaneè ad illa verba, quibus idem sponsus, quid maximè ab sponsa expeteret, significauit Psalmo 44. *Obliuiscere populi tui, & domũ patris tui.* Si enim sponsus in agro est, vbi Solis ardore inclementer vritur, haud dubium, quin domi inter maternas delicias inueniri nõ possit. Admonetur ergo sponsa, vt hœdos, natura sua lasciuum pecus, id est, animæ motus intemperãtes, extrahat domo, atque rurì, à mollibus ad dura trãsferat, spectare iu- 51.

Abnegatio, & mortificatio ad Deum deducũt.

beat seueram aliorum disciplinam, qui sub pellibus agunt; ab illis discat vbi sponsus cubet, quem in pascendis hœdis modum teneat, quãtùm illis dandum sit, vel quietis, vel pabuli: neque probet, aut sequatur alia vestigia, quàm quæ vidétur iuxta pastorum caulas impressã. Docuit hoc sponsus ipse, quãdo Abraham, quem sponsæ instar complexus est, de cognatione sua exire præcepit Genes. 12. *Egredere*, inquit, *de terra tua, & de cognatione tua, & faciã te in gentem magnam*. Et sponsam aliã in solitudinem daturum se dicit, vt loquatur ad cor eius, Oseæ 2. Neque prius pactum iniit connubiale cum populo suo, quàm egressus ex Ægypto, ad Sinai solitudinem progressus est. Et ideo hæ nuptiæ celebrantur extra vrbem in hortis; vt hinc discamus, abiiciendas esse ciuiles curas, quæ animum ab sponsi amore, & tardant, & distrahunt.

52. Hœdorũ natura. Hœdi, pecus est lasciuum, vt diximus, inquietum, & vagum, quod vt suæ gulæ, atque libidini satisfaciat, nihil non tentat, excelsa appetit, ardua, atque prærupta saxa petcurrit, modò aliquid appareat, quod volnptuarios sensus titillet, & capiat. In quibus optimè adumbrantur immoderati, atque præcipites affectus, qui ad auia deducunt, neque intra datos à ratione terminos cohibentur. Hi ergo deduci iubentur ad pastorum tabernacula, ad loca videlicet plana, & tuta, vbi nullus sit casus, aut certè eiusmodi, vt quis ab eo facilè resurgat. Capræ, & hœdi, quia sic se interdum à prominente scopulo, atque præciso suspendunt, vt non tam insistere pedibus, quàm è manibus pendere videantur; *pendentes* vocantur. Sic Maro de capris Eclog. 1.

Non ego vos posthac viridi proiectus in antro
Dumosa pendere procul de rupe videbo.

Et Martialis lib. 13. Epig. 100.

Pendentem summa capream de rupe videbis,
Casuram speres.———

Tales omnino sunt indomitæ nimirum sibi indulgentis animi appetitiones, quæ eò statim aduolant, vnde aliquid se ostentat ad mulcẽdos animos opportunum: vnde frequens est casus, & miraculo censetur proximum, si quando quis inde emergat incolumis. Locus solis Ibicibus dicebatur peruius, per quẽ, vt suæ sibi iræ satisfaceret Saül, & ipse ascendit, & secum traduxit tria militum millia; 1. Reg. 24. *Assumens ergo Saül tria millia electorum virorum ex omni Israël, perrexit ad inuestigandum Dauid, & viros eius, etiam super abruptissimas petras, quæ solis Ibicibus peruiæ sunt*. Quod in Saül perfecit studium vindictæ, id facit quotidie auaritiæ, libidinis, & ambitionis æstus. Id sanè expertus est, qui in lateribus Aquilonis, confragosis vtique scopulis, sedere voluit. Hieronymus in illud Ezech. 43. *Facies hircum pro peccato*; in *hirco*, & quod idem est, in *hœdo*, peccatum illud agnoscit, quod est à superbo, & nimis glorioso sermone, quo quis nempe de se magnificè loquitur, aut honorem sibi, & nomen conciliare studet. *Hircus*, inquit, *ad eloquium, siue sermonem* (refertur) *qui semper de excelsioribus disputat*. Gregorius Pap. in hunc locum immundas cogitationes in hœdis intelligit, iuxta illorum naturam, quæ sic est ad libidinem prona, vt ideò à poëtis appellentur petulci. Ita demum malè in Scriptura sacra audiunt hœdi, vt reproborum dicantur esse symbolum. Motus animi quomodo regendi.

bolum.

bolum. Matth. 25. *Statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris.* Iubetur ergo sponsa, vt affectus intemperantes, quicumque illi sint, non sinat liberè, atque impunè vagari per loca ardua, & opportuna ruinæ; sed deducat ad tabernacula pastorum, quibus, & prudentia est, & vsus ad regendum, & robur ad continendum audax illud, atque lasciuum pecus: neque ipsa suo regat arbitratu, cùm fœmina sit, in qua plerunque prudentia, & robur inest non nisi perrarò. In fœmina autem carnem intelligi, & animæ sentientis facultates, satis est notum.

Equitatui meo in curribus Pharaonis.

53. Histor. ADmonita sponsa à filiabus Ierusalem, vt ad pastorum tabernacula gradum faciat, eò tandem peruenit, vbi expectabatur à sponso. Hic primus coniugum congressus in hoc Epithalamio; vbi sponsa occurrit à vigilibus, & custodibus ciuitatis, siue per iniuriam, siue per ludum, & iocum violata, fusca ac miserabili specie, quasi inter medios cleros iacuisset. Quare solatur illam, & amatoriè blanditur, pollicetúrque omnia, quibus Psal. 67. exornandi dicuntur, qui inter medios cleros dormierunt.

Hunc locum plerique sic accipiunt, vt in eo conferri putent sponsam cum equabus allatis ex Ægypto, dum subeunt iugum; & eo sensu videtur hūc locum Theocritus contulisse in Idyllium 18. quod est Helenæ Epithalamium. Sed vt verum fatear, nunquam mihi persuadere potui sermonem hūc esse de equabus, & curribus Ægyptiis; tum quia non videtur quæ tāta laus per hanc similitudinem explicetur: neque apparet cur hæc prima esse debuerit. Maximè cùm *equæ* nomen pessimè, & contumeliosissimè sonet, propter inexplebilem huius bestiæ libidinem; à qua intemperātes, & luxuriosæ fœminæ, equæ dicuntur: & equire, est maris appetere congressum. Vide Ælian. lib. 4. Colum. lib. 6. cap. 27. Arist. de historia animalium lib. 7. cap. 4. & de generat. animalium lib. 6. cap. 27. Nō debuit ergo in hoc castissimo connubio equæ nomen primum audiri à casta, atque verecunda sponsa, quæ sæpe vocatur columba propter puritatem & candorem. Vidit hoc Nyssenus Hom. 3. in Cant. qui cùm indignam putaret equæ compellationem casta, atque pudica sponsa, illam aliquo modo lenire conatus est. *Verùm fortasse*, inquit, *molesta illis est, qui vitam probis, & puris in exercitiis egerunt, instituta hæc ad equam comparatio: idque eam ob causam, quia plerique vates prohibeant, ne similes equis euadamus: vti cùm Ieremias adulterorum furorem, equorum appellatione declarat in his verbis: Facti sunt equi cum furore quodam in fœminas irruentes. Quilibet eorum vxori proximi sui adhinniit.* Accedit quòd *Pharaonis* nomen ex Scripturæ consuetudine non bene vsurpatur pro Ægypto. Est enim inusitatum in Scriptura personæ nomen pro regione sumi, nisi vbi fuerit alicuius nationis origo, vt *Israël*, *Moab*, *Madian* &c. Equæ libido.

Est ergo huius loci sententia ea, quæ à nobis suprà in Prolegomenis proposita est, spectasse Salomonem, dum hæc scriberet, Psalmum 67. vbi triumphus de Pharaone cantatur. Quàm verò Psalmus ille, 54.

& Epithalamium hoc sibi vicissim respondeant, satis, credo, à nobis ostẽsum est. Adde illis eodem pene ordine, candorẽ, ornatúmque spõsæ in hoc Epithalamio præstari, quò in illo Psalmo describũtur. His igitur verbis sponsus ipse non obscurè prodit, ab illo Psalmo expressa fuisse, quæ hîc fusiùs exposita sunt.

Porrò triumphus hac vocum complexione describitur, *equitatus*, siue *equitationi in curribus*; vbi summa proponitur eorum, quæ in toto hoc Epithalamio latè funduntur; quæ optima rei alicuius exordiendi ratio est. Quæ hîc summatim, & inuolutè proposita sunt, singulatim deinde, & explicatiùs euoluuntur. In hunc ergo modum difficilem hunc locum interpretor: Apparebit in te hodie viuũ quoddam exemplar eius sponsæ, quæ in Psalmo 67. id est, in triumpho de Pharaone, proponitur. Tu te descripsisti nigram, vinitricem, & quæ inter medios cleros aliquãdo dormieris, ego te assimilabo pennis colũbæ deargentatæ, & constituã posteriora dorsi, id est, scapulas, in pallore auri, siue, quia constituã scapulas in aureo reclinatorio, siue, quia aureis monilibus ornabo. Porrò illud *assimilaui*, pro futuro positũ est, Scripturæ more, quæ vbi aliquid propè est, vt fiat, perinde habetur, ac si factum iam esset; iuxta ea, quæ paulo antè diximus ad illud, *introduxit me*.

55. Sed contra hanc explicationem facit, quia non dicitur, *equitatui in curribus*, sed, *equitatui meo in curribus*. Si loquatur Deus, cuius hîc personam sponsus agit, nihil ab ea particula (*meo*) incommodi est; quia equitatus ille, seu triumphus, Dei fuit. Nec nouum est in Scriptura, ab allegoria, id est, à locutione impropria, & figurata ad propriam, & ad rem ipsam orationem redire; vt Ribera docuit in cap. 14. Apocalyps. num. 94. præsertim in allegoria longa; qualis hæc est. Sed quia nunc in cortice versamur, aliter occurrendum est, ad linguæ sanctæ vsum accommodatè. Nam illud (*Iod*) quod ad finem vocis סוסתי *Susathi*, additum est, prò quo noster reddit *meo*, & pronomen potest esse affixũ, & particula paragogica, quæ nihil omnino significat; quæ in formis fœmineis frequentissima est. Thren. cap. 1. vers. 1. reperitur bis רבתי *Rabathi, plena*, & שרתי *Sarathi, Princeps*, pro רבה *Rabah*; שרה *Sarah*: & Oseæ cap. 10. אהבתי *Ahabathi, diligens*. Et ita hîc factum existimo, vt pro סוסה *Susah*, ponatur סוסתי *Susathi*. Et ità sentit Abenezra, & Anonymus super hunc locum, & Pagninus, qui paragogicum esse dicunt illud (*Iod.*) Simile aliquid est in aliis linguis, vt *i*, in fine adhibeatur paragogicè: apud Latinos pro *vt, sicut, velut, vti sicuti, veluti*; & apud Græcos pro [illegible], pro [illegible] frequentissimè ponitur. Vt autẽ paragogicè sumitur (*Iod*) in סוסתי, sic etiam (*meo*) *in equitatu meo*; quod non rarò facit vulgatus, vt phrasim explicet Hebraicam, dum addit, quæ in Latina versione omnino otiosa sunt, vt Psal. 39. *Cuius Dominus Deus eius*; vbi (*eius*) redundat: & suprà, *si ignoras te*, illud (*te*) quod in Hebraico, ornatus tantùm gratiâ ponitur, in Latino textu otiosum est.

Hæc explicatio mihi difficilis non est, quia neque distorta videtur à litera, textúque sermonis, & summam continet illorum, quæ toto Epithalamio diffusa sunt. Quod in longo poëmate, aut alio quouis opere fieri, & solet, & debet, 56

bet; vt lector, seu auditor aliquid sibi propositum in principio, habeat, quò referat reliqua. Siquis tamen, quia hæc noua sunt, communem aliam de curru, equabúsque sequi malit, sic puto, & commodè, & non indecorè interpretabitur; ita vt sponsus Sulamitidem suam non conferat cum equabus, sed curribus Pharaonis, id est, cum geniali ferculo, quod mundissimum esse, atque pulcherrimum statim dicitur cap. 3. Dicitur verò currus Pharaonis, vel quia à Pharaone missus est pro filiæ nuptiis, optimi coniugij symbolis, Ægyptio more, insignitus, vel quia eodem curru quondam Salomon quando Pharaonis filiam sponsam traduxit, vsus est, & deinde in nouorum coniugum vsum genialem reliquit. Eo verò nomine distinguitur à mille quadringentis curribus, quos habuisse traditur Salomon 3. Reg. cap. 4. Ait ergo sponsus, suam sibi sponsam quam in Salomonis ferculum assumpturus est, eidem ferculo longè pulcherrimo futuram esse quàm simillimam. *Assimilaui* verò pro futuro sumitur, quod fieri solere, quando aliquid proximum est, vt fiat; suprà à nobis probatum est.

Quòd si hæc expositio, quia etiam noua, non placet, accipe tertiam, quæ sponsam cum equa Ægyptia, id est, peregrina, componit. Nam sicut Ægyptiæ equæ (nam ex Ægypto & Coa emisse Salomonem equos scriptum est 3. Reg. cap. 10.) Israëliticum currum decorè trahunt: sic ipsa Israëlitæ connubium inibit non indecorè. Quibus verbis significat, bene sibi in omnibus cum sponsa conuenire: vt enim Ægyptiæ equæ aptè subeunt iugum, æqualiter nituntur, sibíque vicissim ita consentiunt, vt inter se ipsas, & cum curru coaluisse credantur: sic coniuges non modò in idem opus cõsentire, sed in eosdem non modò sensus, sed etiam cogitationes conspirare debent. *Currum* verò si prò matrimonio sumas, non dura translatio est, quia inde coniuges dicti, quia eodem se iugo implicuerunt. Et Paulus monet, ne iugum ducamus cum infidelibus. Quàm verò similes sibi hi sponsi sint, ex his Canticis liquet; in quibus eodem propè modo amœbæa, & reciproca laude commendantur. Hîc autem maximè aduertendum est, tunc sponsam putari similem, & dignam sponso, aptámque nuptiali iugo, cùm per multa discrimina, atque incommoda, per nocturnam solitudinem, & plagas sponsum quæsiuit. Vt enim sponsus, vt illam quæreret, stillantes habuit nocturno rore aureos cincinnos, in montibus saliit, & colles trãsiliit; sic ipsa & noctis subiit pruinam, & suos etiam colles, id est, discrimina non leuia supra fœmineam imbecillitatem superauit.

Equitatui meo in curribus Pharaonis, &c.] Si hoc loco sacer scriptor 57.
tantùm velit ornandam esse sponsam ad illud exemplar quod Psal. 67. proponitur (quod mihi valdè verisimile visum est) nihil est hic, quod addamus ad superiora. Quòd si in secundo sensu accipias, quo dicitur inter hos coniuges bene cõuenire, & ita posse trahere commodè, & eleganter matrimonij iugum, sicut elegantes equæ aduectæ ex Ægypto trahunt Salomonis currum, trahi etiam idem locus ad mores potest non ineleganter: si dicas, sponsam debere se sponsi ingenio attemperare, vt eodem quo ille incessu, eodem nixu, atque ala-

Allegor. Sponsa ad coniugis mores se accommodat.

critate & ſubeat iugum, & currum trahat, neque in aſcenſu, id eſt, rebus duris, tarda, atque difficilis, neque in deſcenſu (id eſt, quæ ad voluptatem ſunt) præceps feratur, & immoderata. Et (quod ad Dei præſentiam viri Religioſi cenſent multū habere momēti) cùm Dominus nobiſcū ſit, & nobiſcū laboret, ita iugū à Deo ſibi impoſitū ferat, adiuuante Deo, & adnitente ad opus, tanquam qui placere Deo velit alacritate, & illum leuare onere, ſua tolerantia; ne opus illud, quod etiam à Domino cooperante eſt, ſua culpa diſtortum, atque imperfectum ſit, dum in diuerſa nitens aliò detorqueat currum.

Facit ad hanc explicationem nomen *coniugum*: ideo enim coniuges dicuntur, quia eiuſdem iugi, atque oneris conſortes ſunt. Cùm autem, vt alibi docuimus, hæc contigerint poſt illa quæ per recapitulationem Dramaticè potiùs, quàm hiſtoricè narrata ſunt cap. 5. vbi ſponſa per noctis incommoda, atque ludibria ſponſum quæſierat, bene omnino conuenit inter hos coniuges. Nam, vt ſponſus tranſiliens colles ad ſponſæ fores aduolara, tnoctiſque pruinam pertulerat, ſic etiam ſponſa per tenebras, & plagas, ſimili ſtudio, atque conatu ad ſponſum anhelat.

Anima ad diuinum mandatū intenta.

Aut, ſi mauis cum Theodoreto, comparatur equæ aëripedi, quæ amoris ſtimulis incitata ad ſponſum aduolat; aut quæ incitatæ, atque expeditæ ad curſum ſimilis eſt. Audierat enim interrogantem, vbi ſponſus cubaret in meridie, eo corporis habitu, quaſi aduolaturam ſtatim ad ſponſi ſtabulationē. Et ſatiè ita à nobis de via inquirēdum, & de æterna quiete, vt quidquid incidat impedimenti, & moræ, conſtanter rumpamus, & alacriter.

Poſt confeſſionem illam, qua ſponſa ſe fuſcam eſſe dixit, ſecuta eſt ſpecies illa, & pulchritudo, quā cœleſtes ſpiritus admirantur, & illuſtri cantico in hoc Epithalamio commendant. Qua de re eſt pulchrum illud Auguſtini in Pſal. 95. *Confeſſio, & pulchritudo in conſpectu eius. Pulchritudinem amas, vis eſſe pulcher? confitere. Non dixit pulchritudo, & confeſſio; ſed confeſſio, & pulchritudo. Fœdus eras? confitere, vt ſis pulcher. Peccator eras? confitere, vt ſis iuſtus. Fœdare te potuiſti, formoſum te facere non potes. Qualis autem eſt ſponſus noſter, qui fœdam amauit, vt pulchram faceret?* Vide reliqua.

Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turtures: collum tuum ſicut monilia.

INcipit iam explicare ſimilitudinem ſponſæ cum triumpho de Pharaone. Dictum enim fuerat, illos, qui inter cleros dormirent, habituros pennas columbæ deargentatæ, & poſteriora dorſi eorum in pallore auri; id iam oſtendit, dum ait, genas illas, quas Solis ardor infuſcarat, columbarum inſtar pulchras eſſe, ac cādidas; & collum ſicut monilia. Per *collum* verò hîc intelligo, quæ *poſteriora dorſi* appellantur Pſal. 67. ea ſcilicet quæ ceruici coniunguntur, quæ extrema dorſi pars eſt. Vide quæ ſuprà notauimus Prolegom. 6. Sed quo magis conſtet, quàm aptè ſponſa argenteam columbam referat cum deaurato collo, obſeruandum eſt, apud Hebræos ſponſas, maximè cùm virginalem ſtatum profitentur, id eſt, ante ſolutam ab ſponſo zonam, 58. Hiſtor.

zonam, tunicis vti candidis, quibus in traductione solemni vestem illam iniiciunt polymitam, & floridam, à qua sponsa dicitur circundata variegatè. Colligitur ex illo
Apoc. 19. Apocal. 19. *Venerunt nuptiæ agni, & vxor eius præparauit se, & datum est illi, vt cooperiat se byssino splendenti, & candido.* Probat etiam illud Ezech. 16. *Vestita est bysso, & polymito.* Et Philo de antiquit. Biblicis, vbi agit de filia Iephte, quæ cùm excidisse se plorat à spe coniugij, sic loquens inducitur; *Et alba quam neuit mater mea, tinea comedet eam.* Dum ergo candidata sponsa aureos torques innectit collo, optimè exprimit columbam Psal. 67. descriptam, *penna columbæ,* &c. Et fortasse in Canticis ideo sponsa toties appellatur columba, quia non solùm in pudore, ac fide coniugali, sed etiam in candore, cultúque nuptiali ipsius similitudinem refert.

59. Vbi vulgatus, *sicut turturis, & sicut monilia,* Hebr. בתרוזים *Bacharuzim,* & בתורים *Batorim,* quod alij frequẽtes, à vulgato & Septuaginta vertũt, *in turturibus, & in monilibus:* quasi hîc non agatur de naturali genarum pulchritudine; sed de illa, quæ ab arte, & externo aliquo ornamento conciliata est; quod ornamentum תורים *Torim,* id est, *turtures,* appellatur, quasi facies à Sole fuscata, splendeat & niteat argenteorum turturum fulgore. Sanè Hieronymus statim תורים *Torim,* ornamentum esse significat, dum vertit *murenulas.* Quod verò sit illud ornamenti genus, neque inter nostros conuenit, neque inter Hebræorum magistros; omnes tamen existimant ornamentum esse quod fœminarum genis, & faciei pulchritudinem, & nitorem conciliat. Quòd si ita legas, sensus est, neque inelegans, neque difficilis; si tamen præsens tempus, *assimulaui,* quod nuperrimè antecesserat, & *sunt,* de quo modò, per futurum exponas, quod Hebræis familiare est, præsertim cùm proximum est, vt aliquid fiat; tunc enim præsens tempus adhibent pro futuro. Erit igitur iuxta hæc sensus: Assimilabo te equitatui meo: pulchræ erunt genæ tuæ iis ornamentis, qui turtures dicuntur; & collum tuum pulchrũ item erit monilibus; faciemus enim tibi תורים *Torim,* id est, turtures, seu murenulas aureas, cum argenteis vermiculis. Sed planè legendum est cum vulgato, & Septuaginta, *sicut turtures, & sicut monilia.* Neque difficile est editionem vulgatam cum Hebraico textu, si modò incorruptus est, componere. Hebræa sic habent; *Pulchræ sunt genæ tuæ turturibus, & collum tuum monilibus.* Vulgata, *sicut turtures, & sicut monilia.* In qua versione *si turtures,* ornamẽtum facias, sensus erit: Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turtures, quibus ornatæ sunt, aut sicut turturis pulchritudo, qui genas decorat: & collum tuum sicut monilia, quibus illigatum est. Quòd verò alij *sicut turtures* verterint, alij *in turturibus,* fecit similitudo duarum literarum ב *Beth,* & כ *Caph,* quarum prior *sicut,* posterior *in* significat.

Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turtures.] In genis sedẽ esse pudoris tradit Plinius lib. 11. cap. 37. quia ibi maximè ostenditur rubor. Aptè ergo sponsæ genæ turturibus comparatur, quia turtures pudici sunt, modesti, verecundi. Heb. vt modò dicebamus, תורים *Torim,* est in plurali. Quòd si in singulari cum vulgato *turturis* legas, eadem est sententia: nempe, sicut turturis pulchritudo, atque modestia. Sanè, vt 60. Allegor. Pudor maximũ ornamentũ.

tradit

tradit Plinius, genæ in homine tantùm sunt; neque si in turturibus essent, illæ essent rubore suffusæ, quæ est genarum, aut sola, aut certè præcipua laus; & ita exponunt cõmuniter Sancti.

Allegor. Obediẽtiæ natura.

Collum tuum sicut monilia.] Quẽadmodum in genis apparet verecundia; sic etiam in collo vis obedientiæ: erecto collo, elatio, & peruicacia; inflexo verò, atque submisso, humilitas, atque in obsequendo facilitas significari solet. Quare semper rebellis populus durâ ceruicem habere dicitur. Isai. 48. *Scio quia durus es, & neruus ferreus ceruix tua.* Ita tres Patres apud Theodoretum; qui dicunt sponsæ collum adeò non esse durum, vt flectatur ea facilitate, qua aureum filum molliter lentescens, in monilia, aut in quamlibet aliam figuram flecti solet: facilè admittit iugum, facilè, quoquò trahas, sequitur; dignum sanè, quod aureis monilibus exornetur.

Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.

61. Histor.

DEscripta nobis fuerat sponsæ tenuitas, nigror, & plagæ, quæ ipsa modestè, atque ingenuè cecinit, & cap. 5. vbi huius connubij principium, id est, sponsæ vocatio continetur, & primo hoc capite, quod illi historicè succedit. Nunc quod proximum erat, & consequens, opportunè proponitur nempe vt sponsa, quæ spoliata, & fusca occurrisse inducitur dilecto suo, ornetur sponsalitio cultu adeò splendidè, vt propter eum non solùm columba, sed etiam Regina salutetur: & hoc agi puto vsque ad illud, *oculi tui columbarum.*

Armillæ in similitudinem serpentis

Vsitatum est apud antiquos, circulos, qui ad brachiorum, vel colli ornamentum fiunt, ita efformari, vt in eis serpentis similitudo insit ori extremam caudam insertantis. Ita Clemens Alex. libro 2. Pædag. cap. 12. vbi in mundo muliebri numerat murenulas aureas, & serpentes: quod ornamentum antiquissimum esse probat. Pollux lib. 5. cap. 6. ad brachiorum ornatum serpentes adhibet.

Hinc ortum est, vt murenulæ appellentur monilia à figura magis communi, licèt aliquid aliud expressum in monilibus sit, vt hîc est verisimile; quia rei nuptiali aptius. Quod indicat Hebræa vox תורים *Torim*, quæ sonat *turtures*; qui cùm aurei esse dicuntur, & cum argenteis notis, atque vermiculis, proponunt omnino pennas colũbæ deargentatæ, & posteriora dorsi auro pallentia. Hic locus admonuit me, aliquid hîc esse commune, vel affine cum Psalmo 67. sæpius citato. Quem cùm attentiùs legerem, & ad hæc Cantica referrem accuratiùs, reperi quæ paucis eo loco à Regio Psalte dicta sunt, hîc pluribus à filio ipsius Regio item Psalte esse cantata. Quod iam antè breuiter attigimus, & in Psalmi explicatione postea latiùs persequemur. Septuaginta pro murenulis, *similitudines auri*, verterunt; sed quarum rerum sint istæ similitudines non explicant; verisimile tamen est, esse columbarum, vermiculatas argento. 62.

Vermiculatum opus quid

Vermiculatũ opus varium est, & è sectili lapide, ac ligno artificiosè tessellatum. Fieri autem solet cùm in materia solida ac, dura partes quædam excauantur, & insititiæ crustæ

crustæ spatiũ illud vacuũ,& interrasũ inferciũt. Cùm verò tessellato illo, & sectili ordine variæ ducuntur lineæ,in se ipsas vicissim,& ex se ipsis innexæ;aut in varias rerũ effigies efformatę,mira existit elegãtia,quæ à nobis *embutido* dicitur,aut *obra de taracea*.Hoc opus esse credo,quod S. Scriptura sæpe *interrasile* vocat. Hocverò sculpturę genus valdè suo tẽpore vsitatum tradit Plinius l.35. cap.1. quod vermiculatum appellat.*Nec tantùm parietes toti operiuntur auro; verùm & interraso marmore, vermiculatis ad effigies rerum, & animalium crustis*. Credo autem, quia opus hoc olim elegans, & exquisitæ cuiusdam artis fuit, quidquid ornatum est paulo accuratiùs, & illustriùs, vermiculatũ dici. Quare Lucilius apud Tulliũ l.de Oratore.

Quàm lepidè lexes compostæ, vt tesserulæ omnes
Endo pauimento, atque emblemate vermiculato.

Emblema item vermiculatum alibi idem appellat: & notatio ipsa emblematis satis explicat quid sit opus interrasile,atque vermiculatũ.Quę sanè cælatura nitoris plurimùm, & elegãtiæ addidit sponsæ murenulis.

63. Allegor. *Murenulas aureas faciemus tibi.*] Obedientiæ præmium pollicetur Deus. Debentur enim collo adeò obsequenti, & facili murenulæ ex auro cum argenteis notis.Quòd si in genis, & collo sponsa columbarum candorem,& verecundiam refert;æquum sanè est,vt aureis colũbis argento vermiculatis collũ ornetur.Porrò pro *monilibus*,Hèb.esse תורים *Torim*,id est,*turtures*,alibi à nobis dictum est: siue quia in torquibus turtures essent insculpti, siue quia ex turturibus,aut innexis catenula,aut filo traiectis essẽt cõpositi. Has murenulas præmium esse obe-

Obedientiæ præmium.

dientiæ docet Bernardus. Vt enim ferrea, & indomita ceruix dignissima est, quæ ferreis vinculis constricta, aut ferreo iugo in æternum frangatur; sic quam nutus legitimè imperantis,quamcumque in partẽ, & versat, & flectit, dignissima est, quæ monilibus splendeat.Et si hæc obsequẽtissima sponsa Spiritu Dei agitur,æquũ est,vt Spiritus sanctus, qui ceruicibus tanquam auriga, & moderator insidet, collum suis donis,& virtutibus excolat. Torques enim illi Heb.turtures dicuntur,vel columbæ;quia diuinus Spiritus per *columbam* significatus,illã vt spõsam amat, & ipsius collum vt sponsus tenerè stringit,& amplectitur.

Per spõsæ *collum* Doctores signari tradunt Gre.S.Tho.Beda,& cõmuniter alij.Quia sicut per collũ ex capite ad reliqua vis sentiẽdi,sic ex capite Christo ad populũ per Doctores cœlestis doctrina deriuatur.Hoc verò collum includi, atque muniri debet monilibus columbarũ imagine notatis, quia Spiritus sanctus collũ ambire debet,& Doctorũ fauces,quasi suam verè tubam, inflare. Sit ergo colli huius ornamentũ aureum,id est,charitas,quæ Doctorem vrgeat;sint argẽteæ nitellę, quæ eminere faciant charitatem:vt enim ait S.Thom. hîc,aurũ charitatẽ significat sensus spiritualis:argẽtũ verò eloquij nitorẽ; illud suppeditat Scriptura S. hoc zelus,& oratio,vel etiã concionatoris ars,& ingenium. Eiusmodi ars esse debet,vt auri nitorem non obscuret,sed potiùs accendat;quod in monili præstant argentei vermiculi.Sed quidã, pro dolor! diuinum verbũ adulterãtes,non adferunt ex argẽto igne examinato vermiculos, sed quos ex luto ac stercore poëtarum, aut inanium cogitationũ suarũ,non solùm

Doctor qualis.

audacter, sed etiam impudenter, ad stultæ multitudinis plausum effodiunt, vsque adeò illis diuini verbi maiestas ludibrio est.

Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit, &c.

64. Histor. Accubitus pro mensa. ACcubitus non est hîc cubicularis, vel genialis lectus, sed triclinaris, in quo non ad somnũ, sed ad cibum capiendum discumbitur. Quod indicat Hebræa vox מסב *Mesab*, quæ *circulum*, vel *orbem* significat, & ostendit figuram mensæ, & formam triclinij, quæ clausa tribus discubitoriis lectis commodè accipiebat accumbentes. *Accubitum* pro mensa, seu triclinio posuit Tobias cap. 2. *Statim exiliẽs de accubitu suo, relinquẽs prandiũ peruenit ad corpus.* Neque verò hic accumbendi modus tantùm inter Gentes receptus, sed ad Hebræos ex earum cõsuetudine, vt reor, deriuatus est. Nã quòd olim assederint Hebræi ad mensam, non accubuerint, docet Philo Iudæus libro de Ioseph. dum explicat illud Genes. 43. *Sederunt coram eo, primogenitus iuxta primogenita sua. Iussi sunt*, inquit, *sedere; nondum enim discũbendi mos receptus erat.* Neque tantùm constituta iam Hebręa Republica accumbendi mos receptus, vt indicat Amos cap. 6. & Ezechiel c. 23. vbi cum lectis mẽsæ quoque, & cibi componuntur: sed etiã cùm adhuc in alieno solo apud Ægyptios habitarent. Cuius extant vestigia non obscura cap. 12. Exod. vbi præcipitur Hebræis, vt agnum comedant festinanter, non per otiũ & luxum: & accingant renes, & calceamenta habeant in pedibus, quia nimirum antè discincti, & cubantes, & sine soleis comedebant. (Hebræi sedebant olim ad mensam, non accũbebãt. — Genes. 43. — Hebræi in Ægypto ad mẽsam accũbebãt.)

Quòd enim soleas accubituri deponerent externi, docet Horatius lib. 2. Saty. 8. & Mart. sæpe libro 5. Epigr. 57. & lib. 12. Epigr. 88. & lib. 8. Epig. 58. quem etiam modum seruasse Iudæos verisimile fit ex eo, quod Ioannes Baptista dixit Marc. 3. *cuius non sum dignus calceamenta portare*, id est, dignus non sum, qui illius famulus sim; nam dum domini ad mensam nudis accumbetent pedibus, famuli eorum calceamenta seruabant; vt docuit Mart. lib. 8. Epig. 58. & lib. 12. Epigram. 88. Ad hanc consuetudinem allusisse videtur Ioannes cùm dicit indignum se esse, qui Christi portaret calceamẽta, quę quia eo maximè tempore à famulis soluebantur, ideo eodem propè sensu dixit Lucæ 3. *cuius non sum dignus, vt soluam corrigiam calceamenti.* Ex quo intelligitur, quomodo iuxta Hebræorum consuetudinem, Christus nudis pedibus accubuerit, quos commodissimè vngere Magdalena potuit. (Soleæ in accubitu mẽsæ depositæ. — Marc. 3. — Luc. 3.)

65. His positis, sententiam huius loci inuestigemus, quæ sanè facilis non est, neque apud authores omnes eadem. Mihi duæ occurrunt; prior est, vt sponsa tot cumulata ab sponso suo muneribus velit, quam possit pro sua tenuitate, gratiam referre. Cùm enim hæc rustica fingatur, atque inops; quod suarum virium, atque ingenij est; nardo, siue herbam intelligas, siue vnguentum (nam vtrumque parare, & potest, & solet puellaris industria) compensaturam se dicit sponsi liberalitatem. Hîc autem, *dedit*, pro dabit in futuro sumitur, vt sæpe in his Canticis. Optimè verò hîc sese Salomon accommodat muliebri ingenio, cuius id est proprium, vt pro auro, & gemmis,

mis, flores, & vnguenta, & eiusmodi munuscula ruris rependant.

66. Sponsus, botrus, nardus, fasciculus.

Sed fortasse magis erit ad textum sermonis, si sponsum suum *nardum* appellet: sicut statim *fasciculum myrrhæ*, & *botrum cypri* vocat; hoc sensu: In accubitu meo, id est, nuptiali mensa, non deerunt, vt in aliis plerumque lautioribus mensis, vnguenta, & flores, nardus, myrrha, & botrus cypri; sed pro illis, imò & præ illis mihi est spõsus: nihil enim mihi suauiter olet, nisi dilectus; dummodo adsit ille, de aliis nuptiarum deliciis non laboro.

Quòd verò sponsus ipse nardus sit, docet apertè L x x. translatio, quę *nardo* genus dedit masculinum: quod sanè nullo modo faceret, nisi sponsum nardum esse putaret. Vbi enim noster, *nardus mea dedit odorem suum*; ipsi reddunt, Νάρδος ἐμοῦ ἔδωκεν ὀσμὴν αὐτοῦ, non αὐτῆς.

Existimo autem in illo Geniali conuiuio, & nuptialibus sacris data fuisse sponsæ, quæ pauper inducitur, non solùm ornamenta ad aspectum grata, sed etiam alia ad geniales delicias opportuna, vt vnguenta, & aromata: quæ tamen omnia sponsa ita recipit, & amat, vt multo pluris faciat sponsum.

Quare cùm nardum recipit, aut fasciculum myrrhæ, aut cypri botrum, sibi sponsum gratiùs olere dicit, neque vbi ipse adest, aliquid prætereà esse necessarium. Simile habes cap. 8. vbi cùm sponsa datam sibi vineam commendasset, sponsum tamen suum dixit sibi esse pro vinea. *Vinea mea*, inquit, *coram me est*.

67. Allegor. Pœnitentiæ vis.

Dum esset Rex in accubitu suo, nardus, &c.] Nardus, vt docet Aponius, pœnitentiam indicat, quia amara est, exigua, nigra, odorifera tamen, & magni ad medicinam vsus. Vide Plinium libro 12. cap. 12. Ex hac gratissimum Deo paratur ferculũ, quale Magdalena Christo attulit, non tam dum ex alabastro fracto nardinum vnguentum, quàm dum colliquefactam animam per oculos effudit. De hoc Bern. Sermone 30. in Cantica, lacrymas pœnitentium, vinum Angelorum dicit: *quia in illis vitæ odor, sapor gratiæ, indulgentiæ gustus, reconciliationis iucunditas est*. Idem Bern. Sermone 42. per *nardum* humilitatem intelligit. Audierat sponsa pulchras sibi esse genas, acceperat ornatus aurei promissionem, & nihilominùs infirmitatis suæ conscia respondet, *nardus mea*, &c. Hæc optimè de B. Vigine dicuntur, cuius ea humilitas fuit, vt laudata ab Angelo, nardi tamen mirificum odorem afflarit; & cùm esset Rex in suo accubitu, id est, in sinu Patris, odorem tamen nardi traxerit ad Virginei vteri augustissimum sinum. Vide Rupert. in hunc locum.

Virginis humilitas.

Nihil dulce, si Deus absit.

Quòd si in *nardo* intelligas spõsum, sicut statim in *myrrha*, & *botro cypri*: ita vt sponsa dilectum appellet nardum suum, ostendit anima gnara, quantùm in rebus humanis leuitatis sit; nihil iam sibi esse gratum, aut optabile, nisi sponsum. Et tunc sensus erit: In accubitu, id est, in geniali mensa, vbi omnia lautè atque splendidè parari solent, vbi florum, ac vnguentorum mira varietas, & copia, nihil mihi suauiter olet, nisi sponsus

---

Fasciculus myrrhæ dilectus meus, &c.

68. Histor.

HEb. pro *fasciculo* צרור *Tseror*, L x x. vertunt *alligamentum guttæ*. Est autem vel alligamentum, vel sacculus, in quo aliquid continetur. Quare sumi potest vel pro

ſtacte, & gutta in pixide olfactoria, ſeu vaſculo concluſa; vel pro reticulo myrrheis floribus, aut frondibus farto, quod naribus admouetur: vel tandem pro ramis & floribus in faſcem coactis. Hiſpanè *Ramillete*. Quidquid tamen ſit, pro eo myrrhæ ſiue ſucco, ſiue flore futurum ſibi eſſe dilectum dicit, curaturámque ſe, ne vnquam à ſuo pectore recedat, à quo ſolo, & confirmari, & exhilarari poteſt.

69. In pectore effigies geſtatur amati. Alius ſenſus, licèt nouus, mihi probatur maximè, quia ipſe non inelegans, & huic articulo, in quo ſponſus tribuit murenulas, monilia, & pro mundo muliebri alia ornamenta varia, accommodatiſſimus. Nam inter ornamenta alia veriſimiliter dedit, quod à collo ad pectus vſque demittitur; quod *lunula*, aut *cathema* vocari poſſet; de quo plura ad illud cap. 7. *Vmbilicus tuus*; & Prol. 9. Porrò illud notum eſt, in gemmis, aureíſque ornamẽtis, maximè, in eo quod imminet cordi, & ideo *cor* appellatur, inſcribi nomẽ, aut inſculpi formam eorum, quæ amamus; de quo nos alibi latiùs. Et conſtat ex Oſeæ cap. 2. vbi ſponſa adultera deponere iubetur de medio vberum ſuorum adulteria, id eſt, idola, quæ geſtabat in lunulis ad vbera pendẽtibus. Et Ierem. c. 17. *peccatum Iudæ ſcriptum* dicitur *ſuper latitudinem cordis eorum*; vbi *cor* bulla quædam eſt, aut lamina, in qua nomen, aut effigies idoli viſebatur. Ad hunc ergo modum cùm ornamentum huiuſmodi accepiſſet ſpõſa, in quo dilecti ſui eſſet cælata imago, ait à ſe geſtandam eſſe ſemper inter vbera, quæ ipſi plus animi afferet, ac voluptatis, quàm faſciculus myrrhæ: & ſi illa adſit, aliis ſe, aut firmamentis, aut lenimentis animi non indigere.

Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.

70. Hiſtor. Cyprus quid. INcertum quid ſit *cyprus*; ſed omnes pene negant eſſe inſulam eius nominis, & affirmant eſſe plãtam; ſed quænam illa ſit non ſatis adhuc exploratum; Hebraicè כפר *Copher*. Quidam dicunt genus eſſe quoddam palmæ, quæ in ſolo Ierichuntino abundè naſcitur: vnde Iericho ciuitas appellatur palmarum: cuius botris, id eſt, dactilis, racematim pendẽtibus, ſimilis ſponſus eſſe dicitur. Alij aiunt eſſe plantam illam, quæ *caphura* dicitur, vulgò *canfora*; Hiſpanè *alcanfor*, propter nominum affinitatẽ; maximè cùm Arabica lingua ab Hebraica propagata ſit. Nam inter *copher*, & *canforam*, præter terminationem cætera ferme conſentiunt. Sed eſt longè veriſimilius, & iam pene commune, *copher* ſignificare plãtam illam, quæ ſtillat balſamo; quod indicat locus ipſe Engaddianus, vbi naſcitur planta, ex qua balſamum peritur. Tum etiam, quia nimium deceſceret commendatio, ſi poſt vnguentum myrrhinum aliud ignobile ſuccederet. Hæc verò planta vni agro Ierichuntino conceſſa eſt, id eſt, Engadditano; ex Plin. lib. 12. cap. 35. Iuſtino libro 46. quæ inciſa ſtillat gutta odoris ſuauiſſimi, quæ *opobalſamum* dicitur, id eſt, balſami ſuccus. Scribit autem Ioſephus lib. 8. Antiquit. huius plantæ radicem accepiſſe Salomonem à Regina Saba, quæ in ſolo Ierichuntino felicior fuit quàm in proprio. Dicit autem ſponſa futurum ſibi ſponſum botrum cypri, id eſt, præſtiturum quod proximè dixerat de faſciculo myrrhæ.

Quid

Quid sit Engaddi, & quibus plantis hæ vineæ consitæ sint, suprà diximus ad illud, *vineam meam non custodiui.*

71. Allegor. Omnia dulcia, si Christus adsit. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea cõmorabitur.*] Pro nardo, pro myrrhæ fasciculo, qui cõfirmat, & exhilarat cor, futurum sibi cœlestem sponsum canit sponsa: & eodem spectat, quod statim subditur, *Botrus cypri*, &c. quia pro balsamo est afflicto, atque languenti cordi; neque dolor est vllus vsque adeò grauis, quem non leuet, ac tollat. Omnes pene hæc de Christo accipiunt, eiusque Passione. Est autem optimum Christi symbolum; cyprus perpetuò manans balsamo. Non potuit autem sponsa meliorem locum sponso designare, quàm inter vbera, id est, in corde; ibi enim libentiùs habitat, quàm inter duos Cherubim; in templo vtique vino.

72. A Christo pulchritudo. Illud porrò obseruandum, statim sponsam pulchram, & amicam vocari, cùm dixit, myrrhæ fasciculum sibi futurum inter vbera, id est, cùm Christum amplectitur crucifixum: nam sanguis Christi emundat nos; & qui in cœlo triumphãt, lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni. Bene ergo pulchra dicitur quam istius cypri guttæ proximè irrorant, & mũdant.

Ecce tu pulchra es, &c. oculi tui columbarum.

73. Histor. In oculis præcipua pulchritudo. ORnarat sponsus Sulamitidem murenulis, & monilibus: quare habebat iam ascitam pulchritudinem: nunc verò dicit habere quoque à natura singularem; & incipit ab ea parte, quæ & ex se pulcherrima est, & animi statum, atque speciem prodit. Quare apud profanos in fœminarum laude ratio præsertim habetur oculorum. Ab Homero Minerua γλαυκῶπις, Iuno βοῶπις; Musæ ἑλικώπιδες, & Venus pæta, dicuntur. Dicit ergo sponsæ inesse columbinos oculos, pudicos scilicet, & ingenuos. Est autem cõparatio cum columbis, quæ sunt in Palęstina, quarum oculis nescio quid ridet, & lucet suauiùs, & honestiùs; quæ tam erant gratæ Palæstinis, vt illas omnino, aut violare, aut tangere religio prohiberet. Tibul. lib. 1. Eleg. 1.

Quid referam vt volitet crebras intacta per vrbes
Alba Palæstino sancta colũba Syro?

Ecce tu pulchra es amica mea; ecce tu pulchra es.] Geminatio illa ostendit quantùm sponsus, & probet, & amet sponsæ pulchritudinem; quæ tunc vera est, & non fucata, quando ab interno est, & non ab externo artis lenocinio. Dederat sponso inter vbera sua domicilium, id est, posuerat illum, vt signaculum super cor suum, ab illius iam candore candida, ab illius splendore splendida effecta est. Allegor.

Oculi tui columbarum.] Ab oculis orditur sponsæ laudem, id est, ab intentione, à qua hominum opera habent vt pulchra sint, & lucida. Quia *oculus lucerna corporis est.* Matth. 6. *Si oculus lucidus fuerit, totum corpus item lucidum erit.* Sunt autem columbarum oculi simplices, non torquè aspiciunt, non obliquè, sed amanter, & rectà. *Oculi verò insipientium septemplices sunt*; Eccle. 20. quia cùm à Deo, qui vnus debet esse scopus, in alia omnia, quę à vulgo hominum existimantur cõmoda, declinarint, variè distracti, indecorè, atque transuersim, illa incredibili volubilitate circũspectant. Septuaginta legunt, *oculi tui colum-* 74. Intentio pura.

bæ, in recto; & tunc aliquid amplius,& maius sonat;nempe,in spõsæ oculis non esse tantùm quod in columbarũ oculis elucet, sed quidquid pulchrum est, atq; amabile in columbis,qualis est castitas, & modestia; quòd in amore pro cantu gemit,vt docet Gregorius;quòd in petris sibi nidos construit:quòd residet iuxta fluenta plenissima;quòd putria, sordida, & graue olentia fugit.

Ecce tu pulcher es: lectulus noster floridus; tigna domorum nostrarum cedrina: laquearia nostra cypressina.

76. Histor. Blandimenta amatoria. CArmen amœbæum, in quo laus est alterna, atque reciproca, rei amatoriæ accommodatum est, cuius ea est natura (vt tradit Seruius in illud Virgilij Eclog. 3. *At mihi sese offert*) vt posterior pars semper aliquid addat. Quod optimè sponsa seruauit, quæ iisdem pene verbis laudem in sponsum conuertit; & addit,non solùm suam sibi habere pulchritudinem,sed aliis etiam rebus præstare. Ideo subdit illo præsente omnia sibi quàm ornatissima videri; lectulum conspersum floribus; tigna è cedro, lacunaria è cypresso, & splendere iucundè,& olere suauiter. Huic accinit illud Virg. Eclog. 7.

Phyllidis aduentu nostra nemus omne virebit.

Ideo addidit, *lectulus noster floridus*. Vel his verbis indicat adesse iam diem nuptiarum, cuius symbolum & signum est lectulus floribus conspicuus. Sicut cap. 3. posito ante oculos Salomonis ferculo, illud laudant, atque describunt puellæ Sionides: sic nunc ingressa sponsa nuptialẽ domum, vbi genialis lectus, lectum ipsum commendat, & domum ipsam à floribus, & à contignatione.

Ecce tu pulcher es.] Modesta sponsa, & grata, dilecti sui beneficiis,illum verè pulchrum, & propriis dotibus pulchrum esse respondet. 77. Allegor. Quòd enim ipsa pulchra sit, quòd lectus floridus, & pulcher, quòd domus è cedro, atque cupresso, & firma sit,& suauiter oleat,id totum ab sponsi pulchritudine, atque odore est.

Lectulus noster floridus.]LXX.legunt,*ad cubile nostrum vmbrosũ*; subaudi, *accessisti*: & addit Psellus, quia sponsus accedebat ad thalamum coronatus.Corona verò vmbra dicitur, sicut & arborum frondes. A florido ergo sponso lectus etiam habet, vt floridus sit, consentaneè explicationi superioris versus: vel certè Christus vmbrosus accessit ad lectum;quia ad crucem,quæ illi pro geniali thalamo fuit, coronatus accessit.

Sed si cum vulgato legamus, *lectulus noster floridus*; multiplex esse Abnegatio. potest moralis sensus. Theodoret. per *lectum* S.Scripturã intelligit, vbi sponsus præbet verbi semina: anima verò concipit, & parturit spiritum salutis.Gregorius lectum putat esse floridum, quando animus seclusis aliis curis vni Deo vacat:tunc enim placidè cum sponso in lectulo quiescit. Bern.propè eadem, qui *lectulum* esse dicit Monachorũ claustra: vbi quia summa est humanarũ rerum obliuio, inter flores quies sine perturbatione carpitur. Irridet Quiescit Dominus vbi est rerum humanarum obliuio. autem illorum Monachorum insaniam,qui cùm sua quærant, & quæ sæculares amant, & ambiunt, audent

dent tamen Deum inuitare, atque impudenter dicere, *lectulus noster floridus*; & concludit: *Lectulus non est floridus, magis autem putidus, & tu ill-luc Regem gloriæ trahis? ad pausandum hoc facis, an ad causandum?* id est, vt in huiusmodi lectulo quietem, an vt laborem, & molestiam capias.

Tigna domorum nostrarum cedrina, &c.] In lignis cedrinis, & in cupressinis laquearibus (quia & grati sunt odoris, & ad diuturnitatem firma, vt quæ nec cariem sentiunt, neque hiscunt nimis) intelligitur excellẽs quædam, atque perpetua in omni virtutum genere constantia. Neque hîc prætermittendũ est, cur cupressus reddatur immunis à carie, quia hæc ad rem moralem aptissima. Ait enim de cupresso Vitruuius libro 2. cap. 19. *inesse illi amarum quendam saporem, qui à carie defendit, & vermiculos abigit, qui eam gignunt.* Hæc verò pœnitentia est, & mortificatio, quæ animum nostrum labascere, & in vitia, quæ vera ipsius pestis, & caries est, diffluere non finit. De cedro similia pene Dioscor. lib. 1. cap. 88. qua cadauera à tabe defendi, & ideo mortuorum vitam à quibusdam appellari tradit. Hæc omnia satis exprimunt mortificationis vim, & naturam.

Mortificatio à peccatis defendit.

78. Galatinus lib. 7. cap. 5. ex lecto, in quo nihil erat tetrum, nihil non suauiter olens, quia in eo nihil immundum, nihil non floridum, immaculatam esse colligit, & ab infectione originaria puram Virginis conceptionem. Lectulus enim, vbi primùm Christus requieuit, claustra fuerunt materni vteri, & domus vbi primùm habitauit. Vterum verò maternum domum vocari prolis, antequam suscipiatur in lucem, ipsa canit Ecclesia, dũ de Mariæ visceribus loquitur in Hymno quodam de Christi Natiuitate:

Domus pudici pectoris,
Templum repente fit Dei.

Illa ergo domus quam incarnatum Verbum primùm incoluit, tigna habuit cedrina, & cupressina laquearia; quæ, vt diximus, neque tinea corrodit, neque temerat, aut deformat caries. Dici etiam posset domus, & lectus Virginis materia illa è parentibus sumpta, quam animauit spiritus Mariæ. Quæ cedrina, atque cypressina vocari potuit in eorum sententia, qui statuerunt, è primis parentibus, à quibus posteri communem illam labem contraxêre, seruatam esse particulam quãdam ab ea contagione puram, ex qua Virgo purissima coagulata, atque formata fuit, antequam immaculatæ materiæ infunderetur anima. Quid in ea quæstione dicendũ sit, non disputo, quia alieni negotij est: neque si ea de re mihi foret agendum, cogitationem illam probarem. Illam tamen Damasc. non improbat qui cùm dixisset Orat. 1. de Mariæ Natiuit. *Quoniam itaque futurum erat, vt Dei genitrix, ac virgo ex Anna oriretur, natura gratia fœtum anteuertere minimè ausa est; verùm tantisper expectauit, dum gratia fœtum suũ produxisset.* Quæ verba communi omnium pene gentium sententiæ nõ parum fauent, quæ nihil ex Adami culpa sordidum adhæsisse Virgini in conceptione putant. Statim Damasc. addit verba, quæ illi mem materiam, & omnino puram fuisse dicunt in parentibus, ex quibus coagulata fuit Virginis caro. *O beatos,* inquit, *Ioachimi lumbos, ex quibus prorsus immaculatum semen fluxit! O præclaram Annæ vuluam, in qua tacitis incrementis ex ea auctus, atque formatus fuit fœtus sanctissimus!*

ARGV

ARGVMENTVM IN CAPVT SECVNDVM CANTICORVM.

POSTQVAM *noui coniuges se amœbæis,id est,reciprocis laudibus accipiunt,ex Hebræorum ritu,aut thalamum, id est,velum supra caput oppansum subeunt, aut sponsus pallij sui alas, seu pinnas supra sponsam expandit; quæ obumbratio dicitur. Vnde sponsa sedisse se dicit sub sponsi vmbra. Deinde eodem ritu sponsa in dilecti sui complexu dormit: cui ne vlla fœminarum somnum interturbet, seuera quadam adiuratione edicit sponsus. Ex quo sermone pleno suauissimæ cuiusdam beneuolentiæ,sponsa memor quàm amatoriè,& blandè ab ipso fuerit euocata ad nuptias(quod deinde per ἀνακεφαλαίωσιν narrat cap. 5.)repetit orationem illam, quam audiuit tunc à sponso, cùm ad ipsius fores excubaret, capite rore,& cincinnis nocturna pruina stillantibus.*

CAPVT II.

Sponsus.

1 *EGO flos campi, & lilium conuallium.*

2 *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.*

3 *Sicut*

PARAPHRASIS.

1 NON est, ô sponsa, cur quisquam miretur floridum esse lectulum nostrum, aut domum esse constructam splendenti, atque odorata materia: nam ego sum flos omnium oculis, atque vsui propositus, vtpote qui in campo natus, nullis clauditur septis, & lilium conuallium. Quare à me quidquid est, illud illustre, atque odoratum esse oportet.

2 Neque tibi, ô Sulamitis, species abest meæ quàm simillima: nam à me, qui lilium sum, id habes, vt tu quoque lilium sis, atque ita speciosum, vt quemadmodum lilium spinas; sic tu cæteras filias Ierusalem pulchritudine excellas.

3 Quan

3 Quantùm malus arbor fructu, odore, atque aspectu gratissimo sylvestria ligna, fera, aspera, atque infructuosa, specie, atque vtilitate superat, tantùm dilectus meus cæteros filios Ierusalem.

Sponsa.

3 Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios.

Bene habet: facta sum iam longi desiderij compos. Ecce sub vmbra iam sponsi sedeo, iam thalamum subeo, vbi legitimæ contrahuntur nuptiæ. Aut iam nuptiali ritu, expanso amictu super me, sponsus meus obumbrat mihi: quæ mihi sic accidunt grata, ac si sub abore sederem, vnde fructus carperem gutturi meo dulces.

Sub vmbra illius quem desiderabam, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.

4 O filiæ Ierusalem, desinite iam admirari, quòd tantopere futuras nuptias desiderarim antea, & nunc exultem oblatis. Nam sponsus, & Rex meus in domũ deliciarum suarum introduxit me, quæ mihi pro cella vinaria fuit. Vbi tot cumulauit bonis, tótque ostendit mitissimi sui animi blandimenta, vt quemadmodum hostili animo instructam aciem alij effundere solent in inimicos; sic ipse in me amicam amico animo totam charitatis aciem explicuerit: cuius ego pondus sustinere non potui.

4 Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinauit in me charitatem.

5 Fecit spõsus ad genialem hunc diem cumulatè quod debuit; nunc superest, filiæ Ierusalẽ, vt ad id, quod est nostrarum partium, statim accingamur. Agite ergo, adducite flores & poma, & quæ ars pistoria, aut dulciaria postulat, & ex eis patrio ritu conficiamus ea, quæ nuptiale conuiuium instruere, atque exhilarare possint,

5 Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.

quia iam vis amoris ingentis officium hoc diutiùs differri non patitur.

6 *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.*

6 O diem illum feliciſſimum, in quo ſponſo mihi dulciſſimo licebit frui; quando in eius ſinu ſomnum capere, & in complexu ſic iacere dabitur, vt læua ſponſi manus caput ſuſtentet, dextera verò molliter amplectatur me.

Sponſus.

7 *Adiuro vos filiæ Ieruſalem per capreas, ceruosq; camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit.*

7 Quando iam, ô filiæ Ieruſalem, ſponſa conſequuta eſt quod habebat in votis, & in ſinu meo iam molliter dormit, ſic vobis proſpera cedat in ſyluis ceruorum, caprearúmque venatio, ne obſtrepatis dormiēti, donec ipſa, & ſomno, & ſuo deſiderio plenè ſatisfecerit.

Sponſa.

8 *Vox dilecti mei; ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles.* 9 *Similis eſt dilectus meus capreæ hinnuloque ceruorū: En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum reſpiciens per feneſtrā, proſpiciens per cancellos. En dilectus meus loquitur mihi.*

8 Cùm audio, filiæ Ieruſalem, adiurari vos à ſponſo tam ſeuerè, ne mihi tam ſuauiter in ipſius ſinu recumbenti, moleſtiæ ſitis, agnoſco dilecti mei ingeniū mite, moréſque ſuauiſſimos. 9 Hæc planè vox dilecti mei eſt, amoris, & beneuolæ ſollicitudinis plena. Memini me aliam ipſius vocem, non diſsimilem, neque minoris ſtudij teſtem audiuiſſe; nam cùm ſuperiori nocte in lectulo quieſcerem, ipſe noctu ſuperatis montium iugis, ac ſalebris, inſtar velociſsimi cerui, adfuit ad fores domus meæ, & per portarum rimulas, & cancellos proſpiciens, & tentans, ſi quomodo intrò ſummota ſera poſſet irrumpere; hunc ad me ſermonem habuit, tenerum aliquid & amatorium ſpirantem.

10 Quid iaces in lectulo segnis, amica mea, cùm ad nuptias tot te commoditates inuitent? Surge, propera. Ecquid est quod te domi cunctantem, & in lectulo segniter quiescentem moratur? 11 Iam enim affulgente vere remissa est hyemis asperitas; iam confidente pluuia arridet mortalibus cœli serenitas.

12 Intepescente iam cœlo, flores terra parturiit, iam antè rigente gelu contractior; tempus iam aduenit putationis, & colligendi flores, seu balsamum ex putatione, aut incisione cypri. Iam turtur aduenientis veris nuncium attulit terris. 13 Iam ficus turgentibus luxuriat grossis: iam flores vinea non vite solùm, sed cypro etiam consita latè odorem aspirat.

14 Ergo propera, amica mea, quæ domi te assiduè contines, instar columbæ, quæ hyemis, ac tempestatum metuens in petræ foraminibus latitat. Ostende te iam mihi spectanti auidè, quia facies tua decora; & loquere quod ego abs te libenter audiam, quia vox tua dulcis est.

15 O vos qui meorum studiorum socij estis, aut curarum ministri, agite iam, & ne vulpes istæ paruulæ vineam, ad quam egressura est sponsa, vel quam ego illi do-

Verba sponsi ab sponsa repetita.

10 *Surge, propera. amica mea, colũba mea, & veni.* 11 *Iam enim hyems transit, imber abiit, & recessit.*

12 *Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit: vox turturis audita est in terra nostra:* 13 *ficus protulit grossos suos; vineæ florentes dederunt odorem suum.*

14 *Surge, propera amica mea, speciosa mea, & veni: columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ. Ostende mihi faciem tuam: sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, & facies tua decora.*

15 *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit.*

tis nomine tradidi, aut floribus, in quibus ſpes totius fructus continetur, ſpolient, aut morſu peſtilenti tabefaciant, eas omnino capite: nolo enim eorum, quæ ad voluptatem, ſeu ad vſum ſponſæ faciunt, quidquam petire.

16 Hæc ad me verba ſponſus habuit, ô filiæ Ieruſalem, ex quibus facilè colligo ſponſum totum eſſe meum; vnde etiam neceſsitatem quãdam mihi proponi video, vt ego quoque totà illius ſim. Quando etiam ante initas nuptias (quæ tunc plenè fiunt, quando adueſperaſcente die nocturnæ aſpirant auræ, & vmbræ, quæ à Solari ſplendore ſunt, iam iam deficiunt) tam in me beneuolus, atque officioſus eſt, vt etiam inter lilia me paſcat, id eſt, largis me, & amatoriis officiis oblectet.

Sponſa.

16 *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia, donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ.*

17 Expleri nequeo reguſtandis his, quæ ab ſponſo accepi, dum ad has nuptias me extrahere conatur à lectulo. Sed age nunc, ô Sulamitis (ſecum enim ſponſa loquitur) ad tuam priorem cantilenam reuertere, & tibi in hoc Epithalamio ſæpius vſurpandam, quæ huiuſmodi eſt: Similis eſto, dilecte mi, in me ornanda ceruo, qui in montibus Bether confragoſis, & aſperis currit tamen, neque quidquam eſt, quod incitatam illam velocitatem aut frangat, aut moretur.

17 *Reuertere: ſimilis eſto, dilecte mi, capreæ, hinnulóque ceruum ſuper montes Bether.*

IN

IN CAPVT SECVNDVM COMMENTARIVS.

Ego flos campi.

I. Histor. Christus flos.

IN primo actu huius Dramatis aperuit facer hic author quanto spō-si sui desiderio langueret sponsa. In secundo proponit sponsi merita, atque officia singularia in sponsam. Multi ex antiquis hęc verba sponsæ attribuunt, continuantque putant cum verbis superioris capitis: vbi cùm ex interpretatione Lxx. pro eo quod vulgatus habet, *lectulus noster floridus*, dixisset, *ad cubiculum nostrum vmbrosus accessisti*, dicit se esse florem campi; quasi dicat: ex quo tu floridus adfuisti, id est, coronatus floribus, ego quoque sum florida, aut etiam ipse flos. Quibus verbis innuere videtur se nympham esse pulchram, quę in agris viuat; atque ita statim cum syluarum spinis cōfertur, quasi cum aliis puellis, quæ syluas incolunt. Sed est longè verisimilius, verba esse sponsi, qui dilectæ, ab ornatu, & floribus lectulum commendāti respōdet, se esse florem campi. Hebraicè est הבצלת *Habatselet*, id est, *rosa*; sed aptè *flos* dicitur: quia inter flores eminet. Hieronymus eandem vocem vertit *lilium* Isai. cap. 35. *& florebit quasi lilium*. Abenezra existimat florem esse odoris fragrantissimi, & coloris nigri. Translatio antiqua Hispanica *Albahaca* legit; fortasse propter vicinitatem nominis Hebraici, sed quàm verè, alij viderint; mihi certè nullo modo probatur. Pro *campi*, Heb. שרון *Saron*; nomen proprium campi pinguissimi, inter Cæsaream Palæstinæ, & Ioppem, & sumitur pro quocumque agro fertili, sicut *Tempe* apud Græcos.

Et lilium conuallium.

NOn est hîc scriptor facer oblitus decori, dum inducit sponsum sese laudantem, quia id exigit stylus Bucolicus, & pastorum simplicitas; vt apud Virgiliū, & Theocritum sæpe. Hoc idem de se cecinit facer sponsus Psal. 49. *Et pulchritudo agri mecum est.* Ad hunc verò locum respexisse videtur Ierem. cap. 23. Isai. cap. 4. & 21. vbi Messiam florem appellat. Lilia huiusmodi esse venustissima, docet ipse Christus, quando dixit; *Considerate lilia agri, &c. quia nec Salomon in omni gloria sua, &c.* 2.

Cur sponsus se florem campi esse dicat, & lilium conuallium, obscurum est; neque vno modo ab authoribus explicatur. Mihi vt alia omittam, non displicet explicatio, quam iam produco; & omnino placeret, si ducem haberem vllum, cui adhærerem. Dixerat paulo antè spōsa, floridum esse lectum, in eoq; que amœnitate, atque odore plurimùm sibi placere videbatur. Dixerat tigna domorum esse cedrina, la- Sponsæ nil gratū esse debet præter sponsum.

quearia cupressina, id est, eximij odoris. Cùm autem in sponsi conspectu nihil pulchrum sponsæ videri debeat præter sponsum, hoc ipsum hac dicendi figura sponsus ipse docet, ac si diceret: Tu, ô spōsa, floridum esse dicis lectum, & domus nostræ contignationem suauiter olere, vtpote è cedro, atque cupresso; sed ego tibi flos esse debeo, cui placere, aut olere nihil debet præter me. Cui expositioni fauet, quod statim adiungitur; *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Ac si dicat sponsus: Quid mirum si à te exigam, ô sponsa, vt me pro flore, pro cupresso, ac cedro tibi habeas, neque quicquam tibi aut floreat, aut oleat præter me, quando tu mihi eo loco es, vt aliæ filiæ Ierusalem præ te spinæ sint, & senticosi frutices cum liliorum odore, atque candore compositæ? Quare nihil magnum, aut indebitum aut peto, aut opto, cùm talis tibi videri volo, qualis tute ipsa mihi videris. Cui voci sponsa fidelis obsecuta sæpe canit in hoc Epithalamio, *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Et cap. 8. de suo sponso canit; *Vinea mea coram me est.* Quod perinde est ac si diceret: De vinea non curo, quantumuis illa vber, & amœna sit; quia sponsus meus, quem coràm habeo, pro vinea mihi, & pro omni oblectamento, atque deliciis est.

In cap. 2. Cant spiritualis explicatio.

3. Allegor. EGo flos campi, & liliū conuallium.] Verba sunt sponsi, neque mirū cuiquam videri debet, si se ipsum commendet: tum quia à ratione Bucolici carminis alienum non est: tum etiam quia in hoc Dramate cùm sponsus Christi personam sustineat, oportuit vt Dei naturam, & proprietatem ab ipso Deo cognoscamus, qui neque falli ipse, neque alios fallere omnino potest. Quod etiam in Euangelio fecit, cùm dicit *se lucem esse mundi, viam, veritatem, & vitam.* Faciunt hoc idem interdum Sancti, cùm vident hoc ad aliorum vtilitatem conferre; vt Paulus 2. Corinth. 12. *Veniam autem ad visiones, &c.* Videtur autem sponsus tacitè respondere sponsæ paulo antè quærenti, vbi cubaret, se in campo aperto inueniendum esse, non in horto concluso. Ille enim omnibus peruius, & communis est; hic cùm vnum aut alterum admittat, cæteros excludit. ita Abenezra. Et sanè qui omnibus nati, omnibus debent esse propositi; quare Christus, quia omnibus natus, & omnibus item mortuus, in campo nascitur, & moritur. Et Beata Virgo, quia omnium mater, vt tradit Damasc. libro 4. fidei orth. cap. 15. in campo nascitur inter ouium balatus. Dicitur prætera Christus *flos campi*, vt docet S. Thomas, quia sicut sine alicuius arte, atque opera lilium in agris nascitur, cœli tantùm satu, terræque conceptu; sic Christus sine virili opera ex Virgineo gremio natus est.

Christus & Maria in campo nati, quia nati omnibus.

Sicut lilium inter spinas; sic amica mea inter filias.

Histor. APpellat sponsus dilectam *lilium inter spinas*, non quòd ex planta spinosa nascatur; sed quòd inter alias puellas Solymitidas tanto sit venustior, & amabilior, quanto lilium inter spinas, & pulchrius est & magis tractabile.

Filiæ hoc loco intelliguntur virgines

gines Sionides, quæ cap. 6. dicuntur adolescentulæ; nam cùm Reginas, & concubinas numerasset, tertio loco posuit adolescentulas, & paulo pòst, quas adolescentulas vocarat, appellat filias Sion, *viderunt eam filiæ Sion*. nam à Reginis, & concubinis distinguit.

4. Allegor. *Sicut lilium inter spinas.*] Proprium est eorum qui nuptias ineunt, habere omnia communia, domum, familiam, vsque adeò, vt vna sit caro, & vnus spiritus; quare vnũ etiam nomen eidem propè indiuiduæ naturæ esse debet. (Anima Christo similis esse debet.) Vnde olim apud Romanos, coniuges Caius & Caia dicebantur; & nostra ætate, deposito multi gentilitio nomine, comparis sibi nomen assumunt. Et id fortasse volunt Isai. 4. septem illæ mulieres, quæ apprehendentes virum vnum, supra se illius nomen inuocari postulant, id est, eius connubia expetunt. Sic etiam dilectus *lilij* nomen commune sibi voluit esse cum sponsa. Sed illud interest, quòd spõsus instar lilij est; quod, quia in campo nascitur, omnibus, non tantùm vt videant, odorentur, & tangant, sed & vt carpant, liberum est; at sponsa inter spinas clauditur, ne vel ipsa impunè foras erumpere, aut alij ad illam irrumpere impuniti possint. (Sponsa clausa.) Sic pene Abenezra. Optimum sanè documẽtum sacratarũ Deo virginum; quibus amantissimus sponsus viam spinis omnino sepsit, Oseæ 2. ne ad amatores alios liberè extra spinarum septa se effundant. Spinæ ergo, siue illæ supplicia sint proposita peccantibus, siue incommoditates, ac molestiæ ab externis oblatæ, siue quæ nobiscum perpetuò pugnant, & quæ nobiscum natæ sunt passiones (sicut cum floribus simul nascuntur spinæ) certè illæ illibatam conseruant libij pulchritudinem. (Tribulationes virtutem cõseruant.) Efficiunt enim, ne otio atque desidia lasciuiens caro candorem commaculet, atque odorem perdat; ne succus exuratur ab iracundia, ne vsus, qui sperari potuit, vanescat à superbia. Neque enim hæ pestes animorum facilè perrumpunt spinarum vallos, aut expeditè grassantur inter obiectos stimulos.

Sed quia in cortice diximus, spõsam non ideo lilium inter spinas vocari, quia ex spinosa stirpe nata, aut quasi spinarum aculeis vallata sit; 5. sed quia non aliter superat specie puellas alias, quàm liliorum cãdor, & mollitudo intractabiles, atque horridos spinarum stimulos; (A solo Deo honesta & dulcia speranda.) ideo commodiùs fortasse sic accipies spiritualem sensum: ornamenta aliarũ, quæ alios sibi sponsos elegerunt (quantumcumque illi vel opibus, vel nobilitate cõspicui, vel in largiẽdo profusi, vel in ornanda sponsa liberales sint) spinas esse omnino, quæ sua ipsorum venustate, si tamẽ vllam habere possunt, in ipso etiam deliciarum vsu acerbè pungunt. Quare Christus diuitias huius sæculi spinas appellat Luc. cap. 8. Spõsa ergo illa, quę Christo nupsit, ab eo cultum illum, & speciem habet, quã in lilio admiramur, in quo nihil est, quod laceret, nihil quod non delectet. In illis verò, quæ à terrenis spõsis, & à mundo mundum habẽt muliebrem, nihil est quod non pungat, quod non horreat quod non in sua etiam viriditate deflorescat, & pereat.

Ex hoc etiam loco putat Galatinus & Bellarminus to. 3. lib. 4. cap. 15. sine vlla originaria labe conceptam esse Virginem; vt enim ex spinosa planta sine spinis nascitur rosa, in qua mira est, & ad aspectum iucunditas, & ad odoratũ suauitas: & cùm

cùm in plãta illa nihil occurrat, quod tactu asperum, quod aculeis horridum, atque intractabile non sit; at rosa nihil est mollius, nihil lene magis, atque tractabile: sic cùm ex spinosa stirpe nasceretur Virgo, ex ea nempe terra, cui propter primã, vniuersóque hominum generi communem labem dictum est ab offenso Deo, *spinas, & tribulos germinabit tibi*: ipsa tamen neque cum tribulis, aut spinis concepta est, neque à spinis, seu tribulis cõpuncta, sed tota immaculata, tota desiderabilis, sicut rosa, quæ eius est decoris, & gratiæ, vt nihil hausisse videatur ab aculeato, seu spinoso stipite. Sanè B. Virgo Ecclesiastic. 24. similis esse dicitur plantationi rosæ in Iericho, vbi aquæ quibus irrigantur rosaria, amaræ esse dicuntur, pessimę, atque mortiferæ. 3. Reg. c. 2. vbi versu 19. dicitur: *Ecce habitatio ciuitatis huius optima est, sed aquæ pessimæ sunt, & terra sterilis*. Sed esse aquam illam etiã mortiferam, habes ibidem versu 27. vbi cùm in fontem salem misisset Elisæus, addidit, *Sanaui aquas has, & nõ erit vltrà in eis mors, neque sterilitas*. Non ergo sine causa B. Virgo illi comparatur rosæ, quam alunt, & rigant Ierichuntina roseta; quæ cùm ex plantis sit, quæ in terra pessima nascuntur, & succum trahunt mortiferum ex mortifero fonte, quo rigantur; ipsa tamen nihil habet tetrũ, nihil quod mortem olcat, nihil vicinum, aut affine morti. Hac eadem similitudine vsus est Sedulius lib. 2. Paschal. cùm idẽ ageret, quod nos hîc.

Et veluti spinis mollis rosa surgit acutis,
Nil quod lædat habens matrem obscurat honore;
Sic Eua de stirpe sacra veniente Maria;
Virginis antiquæ facinus noua virgo piauit.

Sicut malus inter ligna syluarum.

Respondere videtur spõsa spõsi siue mãdato, siue voto, ostẽdẽs hac illustri comparatione, nihil sibi pulchrum videri præter sponsum. Cætera enim alia oculorum, aut aliorũ sensuũ oblectamẽta, perinde sunt, atque syluestres arbores, putã, ilices, oleastri, & deformes, atq; nodosi trunci, ac spinosi frutices, si cũ malo odorifera, atque vberi conferantur; quem cùm præsentem intuetur, cætera contemnit, & horret, adeò eum amat. 6. Histor.

Ligna syluarũ dicuntur plantæ syluestres, incultæ, infrugiferæ, vt rhamnus, ornus, ilex; malus verò est arbor grata oculis, saporis iucundi, odoris suauis. Quanto ergo malus syluestres arbores, tãto spõsus reliquos filios antecellit. Hac similitudine sponsa laudẽ refert, sed magno corollario cumulatam, quæ tanto amplior est, quanto malus lilio præstat. Nam in lilio præter odorem, & aspectum nihil est, quod præterea requiras: sed malus spectandi, gustandíque sensum mira afficit voluptate. Neque spõnsus incommodè comparatur arbori malo, quia hæc maximè fauet amantibus, vt in profanis sunt testimonia obuia. Neque abludit illud infrà cap. 8. *Sub arbore malo excitaui te*. Vide Prouerbium, *Malis ferire*. An verò sit illa ratio quã Lipsius tradit in Electis, exquirant alij. In malo aliquid amatoriũ.

Hæc porrò comparatio Bucolica est; Virg. Ecloga 1.

Quantùm lenta solent inter viburna cupressi.

Et Ecloga

Et Ecloga 5.

Lenta salix quantùm pallenti cedit oliuæ,

Puniceis humiles quantùm saliunca rosetis, &c.

Non dissimili comparatione vsus est Isaias cap. 44. v. 4. *Germinabit inter herbas, quasi salices iuxta præterfluentes aquas.*

Allegor. Christus totus optabilis. *Sicut malus inter ligna syluarum.*] Spōsi alij syluestres arbores sunt, infructuosæ, à quibus præter nimiam foliorum luxuriem nihil capias, aut sicubi optimè illis est, glandes producunt, ac siliquas, & si quod aliud est porcorum pabulum: idque plerumque non ad maturitatem adductum, sed crudum, & insipidum, quod & palatum respuit, nec sustinet stomachus. At cœlestis sponsus mali instar est, quia totus quantus est, & est quidem immensus, vsui est nobis; totus desiderabilis; & qui solus omnib. abūdè sufficiat.

Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi.

7. Histor. VBI sponsa nuptialibus ornamentis à sponso comparatis instructa est, nuptiæ fiunt velo supra caput nouorum coniugum suspenso. Quia sponsa meminit arboris vmbrosæ, perstat in eadem metaphora, & dicit sedisse se sub eius vmbra, & interim fructus odoratū gustatúque suauissimos per otium gustasse. Porrò hic videtur innuere sponsa venisse se sub thalamum spōsi, vbi ex nuptiali more fœdus initur coniugale; vnde ortum habet *obumbrationis* nomen. Vt enim ait Elias in Tisbi, explicans vocem חפה Thalamus quid. *Chupoh.* thalamus est vestis, seu velum, quod super caput sponsi, atque sponsæ quatuor virgis, seu vectibus suspenditur, quando fit desponsatio: quale ab Hispanis *pallium* appellatur, vel cœlum. Et in hunc sensum explicat illud Isaiæ 4. Isa. 4. *Et erit super omnem gloriam protectio*, id est, conopæum. Quod satis congruit cum sequentibus; vbi vmbraculum ponitur ab æstu, & absconsio à turbine & pluuia. Neque *vmbræ* nomen huic explicationi officit; nam pallium illud, seu velum suspēsum, *vmbra* nominatur, seu *vmbella*. Hunc ritum seruari etiam hodie docet Dauid de Pomis Hebræus in eo Dictionario, quod edidit anno 1587. in voce חפה *Chuphoh.* vbi addit, sub eo velo sponsæ annulum porrigi. Sponsi verò ita speciosi prodibant ex illa geniali vmbra, vt Solis splendor longè pulcherrimus sponso ex thalamo procedenti cōparetur Psal. 18. *Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.* Psal. 18. Ritus hic indicatur Ezech. 16. vbi Dominus super illam quam sibi desponsarat, dicit expandisse se amictum suum. Et idem Ruth postulauit à Booz c. 3. cùm eius nuptias ambiret; *Expande*, inquit, *pallium tuum super famulā tuam, quia propinquus mihi es*; id est, Ruth. 3. me vxorem accipe. Neque hoc videtur alienum ab aliarum gentium consuetudine. Ait enim Euripides apud Stobæum; *Cùm sub egregij viri pallium veneris, reliqua studia viro sinito.* Verba sunt parentis, qui filiam nubere volētem alloquitur. Ad huius thalami similitudinem videtur fabricatum Salomonis ferculum, de quo infrà cap. 3. quia erat gestatorius quidam & triumphalis thalamus. Quare in descriptione eius nulla pars videtur prætermissa: nam ascensus eius velum est, columnæ argenteæ, vectes, aut virgæ. Quod verò medium dicitur, siue pauimētum, & aureum reclinatorium, proprium est gestatorij, non commune cum vulgari alio.

8. Obumbrare quid. Hinc facilè intelligitur quid sit *obumbrare alicui*, nempe, super sponsam pallium extendere, id est, cum ipsa coniugium inire solemni ritu. Ex quo iam apparet quid sit illud Lucæ 2. Lucæ 2. *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi*: neque enim aliud est, quàm Spiritum sanctum B. Virginis sponsum futurum. Quod magis etiam patet ex Deuteron. cap. 33. in benedictione Benjamin, qui amantissimus dicitur Domini, & de quo quasi de sponsa ibi sermo est; qui etiam Psal. 67. tanquam sponsa in ferculo dormiens inducitur, vt suprà vidimus; nam pro eo quod vulgatus habet, *quasi in thalamo tota die morabitur*; Septuaginta verterunt, *Deus obumbrat super eum.*

9. Hæc, quæ de thalamo, id est, velo supra coniugum capita suspenso dicta sunt, satis mihi videntur dici probabiliter. Sed fortasse allusum est ad consuetudinem, quam nunc seruari audio apud Hebræos, & olim esse seruatam docet Lyra in capite 3. Ruth. & verisimile est ex his, quæ adduximus ex Ezech. cap. 16. & Ruth. cap. 3. vbi enim contractus ineundus esset, seu matrimonialis, seu sponsalitius, sponsus extremam partem pallij sponsæ capiti imponebat. Et sanè Hieronymus Prologo in Oseam, pinna pallij opertam esse dicit Ruth Moabitidem. Quæ optimè dici potest obumbratio: & sponsa verè dicere potuit, si sponsalia tantùm inita, & non matrimonium, *Sub vmbra illius sedi*, id est, sub pallio.

10. Allegor. Vmbra Christi vitalis. *Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi.*] Experta loquitur spōsa, dū malo comparat sponsum suum: iam enim sub eius vmbra sederat, iā gustauerat fructū. Quàm verò dulcem, quàm salubrē fructum illius arboris existimemus, cuius vmbram tam videmus opportunam, & gratam? Refert quidem Plinius lib. 17. cap. 12. quarumdam arborum noxias esse vmbras, quæ subiectas herbas vrunt, & quominus crescant, impedimento sunt. Tales verò sunt quæ à syluestribus lignis funduntur, vtputà à iunipero, abiete, picea, pino. Eiusmodi vmbram habuit Dan. c. 4. Nabuchodonosoris arbor planè syluestris, ac sterilis, sub cuius vmbra sedebant bestię agri. Tales quippe sua potentia in inferioris notæ hominibus fouent, alúntque audaciam in peccando; quam optimè cum Bern. Serm. 46. vocare possumus *vmbram mortis*, quia nimirum ad mortem adducit, nec defendit ab æstu, sed eripit magis Solis splendorem. Qui ad hanc confugiunt, sedent proculdubio in tenebris, & vmbra mortis. Vmbræ quædam noxiæ.

At vmbra sponsi vitalis est, imò ipse totus nobis est vmbra: quo sensu *vmbra* Scripturæ sacræ more protectionem significat; vnde dicimur *sub vmbra alarum protegi*: & de Iosia Thren. 4. *In vmbra tua viuemus in Gentibus*. Vt enim corpus vmbra sequitur, sic etiam vbi corpus Verbū assumpsit, vmbram nobis opportunam obiecit, quæ diuini furoris æstū temperat, & in die belli super caput nostrum obumbrat, Psal. 139. Ambrosius Psalm. 118. existimat Christi vmbram esse legem, quia Christum figurabat; & antiqui Patres ad vmbram Christi sedebant, dum spectabant Templum, Sacrificia, & quæ in veteri lege Christum adumbrarunt. Potest etiam aliter lex dici vmbra Christi: sicut vmbra imago corporis est; sic leges, & instituta authoris sui simulacra sunt; quare ille simillimus erit legislatori, qui se totum eius legibus excoluerit, & quasi informauerit; Hispanè, *se amoldare*. Erit ergo Fräcisco, aut Benedicto similis qui illorū instituta 11. Lex Christi vmbra.

reli

religiosè seruauerit, & Christo, qui Euangelium. Vnde toto errant cœlo, qui Christo conformari se putāt, & Euangelium non amant.

12. Creaturæ quomodo Dei vmbra. Sicut vmbra corpus indicat, cuius aliquam similitudinem exprimit, sic & Dei opera ostendunt esse opificem, in quo sit admirabilis scientia, ac virtus ad producendas tot rerum tam varias, ac elegantes formas. Ad hanc igitur vmbram sedent, qui per creaturas illarū opificem contemplantur; & fructum capiunt suauissimum, non quidē ex vmbra, quæ nihil omnino est, nisi priuatio luminis, & siquid ab ea sumi potest, tenebrosum est, ruinæque obuium; sed ab arbore. In creaturis quid spectandum. Et sicut qui ad vmbrā sedet, licèt aliquid commoditatis ab vmbra capiat, nō tamen intuetur vmbrā, neque eius specie admodùm capitur, sed arborem, à qua locus ille redditur opacus, & à qua prouenit quidquid commoditatis est: sic qui admirandas hasce diuinorum operum formas intuentur, in illis Deum agnoscunt, neque in eis quidquā amant, aut audiūt, nisi quod à Deo est. Qua de re optimè Basilius in tractatu de vera virginitate, non longe à principio: *Sicut is, inquit, qui in Sole magistrū alloquitur, nō curat intueri vmbrā manuum eius, sed totus ex ore docentis pendet, sic, &c.*

13. Euangelium fructus Christi. *Fructus eius dulcis gutturi meo.*] Nyssenus Oratione 4. in Cantic. & Carpathius hîc, Ambrosius in annotat. ad cap. 16. Exod. per *fructum*, sponsi sermonem, seu Euangelium significari putant; & quidem *fructus* nomine sermonem explicari apud Hebræos frequens. Isai. 57. & Malach. 1. fructus labiorum pro sermone sumitur. Eucharistia cibus animæ. Psellus hîc Eucharistiā agnoscit. Siue autē Christi sermonem, siue corpus intelligas, vterque cib⁹ gratissimus est, quíque insulsa, & gustatu aspera facit esse dulcissima: quia donum est illius apis, cuius *opus est initium dulcoris*; Eccli. 11. Aug. in Soliloq. c. 22. *Obsecro, vt omnia mihi amarescant, vt tu solus dulcis appareas animæ meæ: quia es dulcedo inæstimabilis, per quam omnia dulcorantur.* Cibus hic non aliter, atque poëtarū Lotos aliarū rerū obliuionē inducit; gustato enim spiritu desipit omnis caro.

Introduxit me Rex in cellam vinariam.

Cella vinaria non tam est metaphora Canticorum propria, quàm communis, quæ singularem aliquam voluptatem continet, & significat. 14. Histor. Cella vinaria pro loco deliciarum. Imò credo Prouerbiali figura sumi pro maximis deliciis, quæque ita capiunt animum, vt sui ipsius impotentem reddant. Vt enim vinum, quia lætificat cor, pro voluptate sumitur ab effectu, & ebrietas, pro voluptatis abundantia: sic domus vini, aut cella vinaria, aptissimè ponitur pro maximarum deliciarum loco. Et ideo puto Psalmos 8. & 80. inscribi *pro torcularibus*, quia de rebus agūt lætissimis. Psal. 8. Psal. 80. Et 83. qui incipit, *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutū: concupiscit & deficit anima in atria Domini*, eundem habet titulum. Psal. 83. Ex quo apparet, domum Dei *torcular*, vel *cellam vinariam* appellari. Certè Sanctos inebriandos in domo Dei canit Dauid Psal. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ.* Neque aliud esse credo, quæ Zachar. cap. 14. appellantur Zach. 14. torcularia Regis, quàm voluptati, aut animo laxando destinatam domum. Quomodo enim verisimile est, vt Rex haberet torcular, vbi

Regia vindemia calcaretur, aut premeretur, cùm id minimè Regiam amplitudinem deceret? Dum ergo sponsa dicit introductam se esse in sponsi cellam vinariam, sine dubio fatetur cepisse se ex eius consuetudine, & officiis mirificam suauitatē; à qua non aliter, atque alij vino inebriata est. Hanc sententiam indicat Ribera in Epist. ad Hebr. cap. 2. num. 25.

15. Septuaginta verterunt, *Introducite me, & ordinate in me charitatem.* Ita legunt Theodoretus, & tres Patres apud ipsum cum Psello; Origenes, Ambrosius, & omnes pene Græci. Secundùm hāc lectionem sponsa hortatur sodales amoris impotens, se vt inducant, vbi sitim ardentissimam explere possit, & ordinent charitatem, id est, componant ad nuptias, & adhibeant ea ornamenta, quæ faciunt amabilem, & deducant ad sponsum, aut quid simile; nam variè explicatur hic locus. Sed (*introduxit*) magis accommodatè ad textum Hebraicum. Hoc loco multi multa dicunt de ordine charitatis, & de cella vinaria, vbi charitas ordinatur; & ita ordinatur, vt in vnum sponsum feratur ardentissimè, & propter illum ad alia nonnunquam excurrat. ita communiter. Sed quia nunc corticem intuemur, in eo sine periculo audacius aliquid moliamur; sine authore quidem, sed non sine fundamēto.

16. Audacter sponsa, & præter virginalem pudorem dixisse suprà videri poterat expetere se sponsi oscula, & illum esse sibi pro nardo, & botro cypri, quem inter vbera habituram se dixerat. Id iam filiabus Ierusalem non solùm excusare, sed etiam probare vult. Rationem ergo illius, quæ videri poterat intemperantia, eam reddit; quia in cellā vinariam à Rege suo introducta est, vbi hausto suauissimo, atque violētissimo poculo, ac tota prorsus ebria, vix ab amoris imperio obtinere potuerit, quominus in eas voces, atque affectum erūperet. Cella autem spōsi pro apotheca fuit, vbi nō secus atque alij vino, sic ipsa spōsi sui amore inebriata est. Nec verò est cur honestam, & pudicā virginē pudeat profiteri ebrietatem suam; nam licet turpissimum sit, fœminā non solùm teneri crapula, sed etiā vel modicè vinum gustare (vt dicit Plinius lib. 4. cap. 13. Plutarchus in Probl. Rom. c. 6. Tertul. in Apolog. c. 6.) tamen ebrietas illa quæ ab honesto, atque legitimo amore nascitur, omni sobrietate optabilior, atque modestior est. Vinum fœminis indecorū.

17. Vinum, amoris symbolū. Quòd autem amor inebriet, & extatim faciat, dicit Dionysius de diuinis nominibus c. 4. *Est*, inquit, *mentis excessum, extasimq́, faciens diuinus amor, amatores sui iuris esse non sinens, sed in ea, quæ amant penitus transferēs.* Et Aug. in illud Ps. 35. [*Inebriabūtur ab vbertate domus tuæ.*] *Cùm accepta fuerit*, inquit, *illa ineffabilis lætitia, perit quodammodo humana mēs, & inebriatur ab vbertate domus Dei: vnde in alio Psalmo dicitur; calix meus inebrians quàm præclarus est?* Quid ergo mirum, si quæ iam non de cratere, sed, vt aiunt, de dolio, imò de apotheca sitienter biberat, alienata à mēte, aut alienatæ similis, sic vrgeri impotens, atque æstuare videatur?

18. Allegor. Beatitudo. *Introduxit me in cellā vinariā.*] Hāc cellā pro domo gaudij sumi in cortice obseruauimus. Greg. dicit esse Dei fruitionem, & cōtemplationē. Idē pene Bern. Ser. 49. in Cātica. Vide Aug. in illud Ps. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ.* Ex qua cella cùm poculum hausisset Dauid, dixit, *calix meus inebrians.* Quidquid ergo in cibis gratū, quidquid in poculis

cœlis dulce, ac violentũ est, id spõsa inuenisse se dicit in spõsi vmbra, & cella vinaria: atque adeò mirandum non est, si in sponsi, cuius suauitatem iam fuerat experta, amplexum tam ardens, & quasi impotens feratur.

Et ordinauit in me charitatẽ.

19. Histor. ADhuc perseuerat sponsa reddere rationẽ, cur nõ potuerit non amori succumbere. Nam talis spõsi officiis, & blandimentis, aut pulchritudini non cedere, aut eius voluntati inflãmatæ pariter, atque inflãmanti non obsequi, eius esset, qui non officij modò curã, sed etiã humanitatem prorsus, ac mentem exuisset. Id verò optimè explicatur his verbis, *ordinauit in me charitatem.*

Ordino, vox militaris. Quod vt intelligatur magis, obseruandum est, omnium fere consensu hîc metaphoram esse militarem: est enim pro *ordinauit*, Hebraicè דגלו עלי *Diglo alai*, id est, *vexillum eius super me charitas*, id est, instruxit contra me charitatẽ tanquã aciem. Sumitur autem hîc vel pars pro toto, vel signum pro re significata, vexillum nempe pro exercitu. In quo sensu infrà cap. 6. vbi dicitur, *Terribilis, vt castrorum acies ordinata*; Heb. כדגלות *Chidgaloth*, id est, *castra cum vexillis*. Illud item (*in me*) potiùs est habitudo accusatiui, & significat *contra*, quàm ablatiui. Fauent Sep-

Amoris acies. tuaginta, qui transtulerunt, ἐπ' ἐμὲ, id est, *contra me*. Non nego significare etiam על *al*, *in* cum quiete; sed illud minùs sæpe. Eadem præpositio est Psal. 2. *aduersùs Dominum*; & Iudic. cap. 9. *Philistin super te Samson*. Et eius generis quamplurima: nec aliter accepit Ambrosius Psalm. 118. octona 210. versiculo 1. explicans hunc locum: *Bona*, inquit, *statua, vbi plenitudo est charitatis*. Est ergo sensus huius loci meo iudicio facilis, & aptè cum superioribus, inferioribusque consentiens: Non potui quin cederem sponsi viribus, quia amorẽ contra me tanquam exercitum instruxit; id est, charitatis vim totam effudit; cuiꝰ põdus sustinere, neque debui, neque potui. Acies autem, quam ordinauit sponsus in me, & qua munitus animum meum expugnare aggressus est, illa sunt, quæ ad redamandum vehementer alliciũt: in primis ipsi sponsi mei mitissimi mores; studium in me singulare, liberale ingenium; eximia forma; amatoriæ blanditiæ; munera exquisita, dotalis vinea. Et alia quæ hoc capite, & deinceps explicantur latiùs. His omnibus, tanquam armis oppugnauit sponsam, his telis confixit, his charitatis vinculis attraxit, his illam sibi ipsi violenter eripuit. Accedit quòd verbum Græcum τάττω id planè significat. Vnde τάξις dicitur *acies*. Et idem non obscurè innuunt LXX. dum vertunt, *quia vulnerata charitate ego*. Et Symmachus, τετρωμένη φίλτρῳ, quod est quasi instrumentum, & telum amoris.

Hęc mihi magis verisimilia sunt; sed alicui fortasse non inepta videbitur explicatio, quam modò producam. Vsitatum olim fuit, vt nunc etiam in vsu est in omni ferme natione, vt in arce capta victoris eleuetur vexillũ, in quo expressum illius insigne conspicitur; sicut etiam serui dominorum suorum inuri solent, & consignari charactere; vt pluribus ostendimus in illud Isai. capite 44. *& hic subscribet manu sua Domino*. Si ergo iuxta textum Hebraicum legas, *vexillum eius super me charitas*; commodè interpretabere, si dicas, victam esse sponsam beneficiis sponsi; atque ita captam, & possessam, vt charitas, quæ spon-

si vexillum est, super ipsam iam sit erecta, cui satis consonant, quæ sequuntur. Sed magis placet explicatio superior.

20. Allegor. *Et ordinauit in me charitatem.*]Hîc alij mula de ordine charitatis optimè, atque vtiliter, sed, vt pluribus in cortice ostendimus, hîc discribitur illa amoris acies, quam spōsus in dilectam suam ita luculēter, siue violēter instruxit, vt grauiter saucia exclamare cogatur *amore se languere*; siue, vt LXX. legunt, *à charitate se esse percussam.*

Fulcite me floribus.

21. Histor. GRauiter saucia sponsa, & languens ex amore, petit à sodalibus eius languoris cōmodum sibi leuamentum adhiberi. Optimè per *languorem*, vim amoris maximā expressit, & sanè physicè. Notū est

Morbus ex amore. enim, ex amore plurimos non solùm animo laborasse, sed etiam corpore. Vide Greg. lib. 4. Moralium cap. 30. & lib. 3. Dialogorum c. 24. Indicat Amnō, qui ex amore Thamar ægrotasse traditur 2. Reg. c. 13. & Seleuci filius, de quo Plutarchus in Demetrio, & Valerius Maximus lib. 5. cap. 7.

22. Quid verò sibi velit sponsa, dum flores optat, & mala, satis obscurum, & incertum est; nam vocem אשישות *Asisoth*, pro qua noster *flores*, Septuaginta reddunt *vnguenta*, Abenezra, *vas vinarium, cados vinaceos, & modios similæ*; Pagninus, & Isidorus, *phialas*, Vatablus, *vinatia*; & idem Hieronymus, qui hîc vertit *flores*, 2. Reg. 6. & 1. Paralip. 16. vertit, *similam frixam oleo*; & Oseæ 3. *vinacia vuarum*: & ibi Septuaginta, *concoctiones cum vinaceis*, id est, vt ibi explicat Hieronymus, *pemmata, quæ cum vuis passis comeduntur, quas Latini dicunt crustulas, vel placentas, Græci popana*. Si tamen in tāta vocis obscuritate, & varietate sententiarum diuinare licet, existimo hac voce generaliter significari id, quod exhilarat animū, aut aliquid lætum, purà nuptias, victoriam, natalem diem, & similia. Qualia sunt bellaria, mulsum, & quæ opere dulciario, atque pistorio fiunt. Neque, credo, aberraret, qui deduceret à verbo שוש *Sus*, quod *gaudere* significat. Quòd si mauis ab אשש *Asas* deriuare, eadem ratio est: nam in hunc quoque sensum accepit Hieronymus Isaiæ 16. vbi אשישים *Asisim* exponit, *his qui lætantur*. Ex quo factum est, vt Interpretes generale nomen variè accipiant, vt videmus: quia illa omnia exhilarandis hominibus opportuna sūt. Hoc verò loco Hieronymus *flores* reddidit, quia illi aptissimi ad ornandam, & mensam, & thalamum; & verno tempori, in quo hæc omnia geri fingūtur, accommodata. Quòd verò commune nomen rei attribuatur singulari, præsertim vbi illa reliquas excellit, satis notum est. Occurrit exemplum inter Hispanos aptissimum *Sesamum*; quod quia antiquis, id est, optimis Hispaniæ temporibus oblectabat geniales dies, *Alegria* vocabatur: sicut etiā olim placentæ quædam, aut bellaria, quæ quia ex sesamo fiebant, *sesamides* dicebantur; de quibus Athenęus l. 14. cùm & alia etiam bellaria, & mensarum deliciæ, ab eodem effectu, *Alegria* dici potuerint. Sic etiam אשישות *Asisoth*, quod lætitiam indicat, modò *floribus* ab Hieronymo datum est, cùm rebus aliis, quæ sensibus blandiūtur, conuenire potuerit.

אשישות *Asisoth*, quicquid exhilarat.

Quæ in voce אשישות *Asisoth*, obscurè latent, & à multis separatim explicantur, ea pene omnia explicatè, & clarè proponuntur c. 5. Nam cùm

cùm præcessissent flores,& vnguenta,cyprus, nardus, myrrha, & aloë, &c. sponsa dilectum inuitat,vt comedat fructus pomorum; Hebr. מגדים *Megadim*, quod etiam generale nomen est eorum, quæ in suo quæque genere pretiosa sunt; cui sponsus respondit, *Comedi fauum cum melle meo* (vbi Septuaginta, *panē cum melle meo*, id est, placentas,& similam frixam oleo) *bibi vinū meum cum lacte meo.* Quem locum Theocritus in Idyl. 15. respexisse videtur, in quo Arsinoë Ptolomæi filia Venerem,& Adonidem in ferculo traducit genialem in modum. vbi talia munera, apparata, atque dispersa in turbam esse finguntur; qualia nunc,& sponsa parare vult, & cap.5.data sunt.

23. Nunc reliquum est, vt videamus, cur sibi nunc afferri sponsa velit flores,vina, similam, &c. Sanè, vt bellaria apparet,& cætera, quæ cōuiuium exornant,& conuiuis voluptati sunt;quod fœminarum negotiū est, sicut alia grauiora à viris curantur.Dies autē ille in quo fœminę huic dulciario operi assident, iucundissimus est, quia tunc puellari cantu, & plausu peragitur. Docet hoc apertè Ieremias cap.25. *Perdam ex eis vocem gaudij, & vocem lætitiæ: vocem sponsi, & vocem sponsæ; vocem molæ,& lumen lucernæ.* Idem pene Apoc.18.vbi vox *molæ* cum voce quoque *sponsæ* cōiungitur. Quo significatur qua lætitia sponsa cum sodalibus sederet ad molam,& placentas fingeret;& quātum inesset gaudium lucernis,& tædis, quibus nuptialis pompa noctu fiebat.

Iere.c.25.

Apoc.18.

24. Hæc mihi probātur magis, quia textum implent, & varias Interpretum translationes conciliant. Sed neque displicet alia cogitatio, quæ neque à textu aliena est, aut à rerum natura. *Florem* se appellarat sponsus, *& lilium conuallium*; & statim à sponsa *malus* appellatus fuerat; *Sicut malus inter ligna syluarum*, &c. Sicut autem in principio Dramatis significauerat ab osculo tantùm sponsi aduenire posse ægro, ac deficienti animo medicinam; sic nunc in eo languore, quem ab amore patitur, leuandam se tantùm dicit, & fulciendam ab his floribus, quorum sponsus meminerat; à sponso videlicet suo, quem esse florem campi, & lilium conuallium ex ipsius ore nuper audierat. Atque ideo dicit, *Fulcite me floribus, quia amore langueo*; acsi diceret: Statuite me in sinu, atque complexu sponsi. Quod statim magis explicat, describitque quale fulcimentum illud florum, & pomorum stipatio futura sit, dum dicit; *Laua eius sub capite meo, & dextera illius amplexatur me.* Quod nihil est aliud, quàm floribus, ac pomis, de quibus hîc, sustineri, atque fulciri: quia super flores, & poma, id est, supra sponsi sinum recumbit,& quiescit. Quòdsi hûc referas quæ proximè cap.1.dicta sunt; vbi sponsus vocatur nardus, fasciculus myrrhæ, botrus cypri, omnia pene in sponso deprehendes, quæ contineri diximus in voce אשישות *Asisoth*. sed in aliam explicationem magis propendet animus.

Sponsus flos, & malus.

25. *Fulcite me floribus.*] Nihil hîc noui, quod addi ad superiora possit. Vulneraram se dicit à charitate, cui neq; resistere voluit, nec potuit nō succumbere;& in eo vulnere habituram se esse medicinā tunc cùm in cōplexū spōsi veniet. Neque enim alius medicinam afferre potest, nisi qui vulnus intulit, vt de Achille fabulātur poëtæ. Illis verò pomis stipari, atq; illis fulciri floribus desiderat, quibus dum sub vmbra esset, recreata fuit. Qui verò sint fructus suprà

Allegor.

prà vidimus; scilicet verbum Dei, sanguis Christi, quibus desiderium suum sponsa in hac vita sustentat. Quæ verè poma sunt amoris ex arbore malo, quibus etiã profani authores vim inesse philtri crediderũt.

Quia amore langueo.

26. Quę signa amantis Deum, & morbi qui ex amore nascitur.

LANGVOREM, seu morbum ex amote nasci, res est omnino certa, vt docent Medici, & probat à multis sæculis frequens experientia. Quare nihil dicit nouum, aut inauditum sponsa, cùm languere se dicit ab amore. Vt autem aliorum morborum signa sunt, quæ & illorum naturam, & incrementa produnt; sic in hoc animi languentis affectu sua quoque signa, atque argumenta non desunt. Deprehendit olim Erasistratus arteriarum pulsu in adolescente quodam latentem hunc morbum, vt tradit Plutarchus in Vita Demetrij. Quare verisimile est, pulsum quendam esse, vt ita dicam, amatorium, quem iuxta amoris naturam vehementem, & igneam, incitatum, & vehementem esse necesse est; qualem in amãte adolescente deprehẽsum ab Erasistrato tradit Plutarchus. An sit in amante arteriarum motus, an creber, & acer, disputabũt Medici. Certè pulsatio quædam est in animo Deũ amante incitata, & vehemens, quæ æstuare, atque ardere illum ab amore diuino non obscurè significat. Pulsationem voco externam quandã vim, & facultatem in agendo; quæ animum aut ignauum, aut otiosum esse non sinit; quæ si absit, satis ostendit non quidẽ languere animũ ab amore, sed potiùs amorem in animo languere, aut esse omnino mortuũ. Ita putat Gregorius Hom. 30. in Euang. *Nunquam est amor Dei otiosus: operatur enim magna, si est; si autem operari renuerit, amor non est.* Aliud signum, & quasi venarum pulsum, addit August. lib. 13. Confess. *Verus amor*, inquit, *non sentit amaritudines, sed dulcedines; quia amoris soror dulcedo, sicut soror odij est amaritudo.* Quare qui ægro, ac repugnãti animo aliquid facit, ille satis ostendit, extinctas esse prorsus amoris faces. Aliud statim addit eodem loco amoris argumentum, & pulsum; si in causa illius, quem amare se dicit, non lassatur, si difficultates & molestias animo semper alacri, atque integro, & audacter aggreditur, & cõstanter deuorat. *Qui amat*, inquit, *non laborat: omnis enim labor non amantibus grauis est. Solus amor est quod nomen difficultatis erubescit.* Hinc fit, vt nihil metuat, qui amat; amor enim strenuos alit spiritus, & audaces; vt de imbecilla fœmina poëta quidam cecinit,

Amoris morbum Erasistratus deprehendit.

Amor nõ est otiosus.

Amor alacer, & strenuus.

Audacem faciebat amor.——

Et, vt scribit Plutarchus in disputatione quadam amatoria, nihil formidat, nihil admiratur, vibratum etiam contra se impauidus fulmen subibit. Sanè quòd amor faces addat, segnésq; cõpungat, atq; stimulet animos, docuit, in seipso igneam hanc vim expertus Paulus 1. Cor. 5. *Charitas Christi vrget nos*, id est, languere non sinit in officio.

Aliud nobis signum amoris iste 27.
morbus ostẽdit; quia sicut morbus quicumq; alius naturalis corpus inuadit, & vexat, sic etiã morbus iste facet multò vehementiùs carnẽ debilitat, & exhaurit. Docet hoc grauiter & eleganter Ricardus lib. *de charitate vulnerata.* vbi de animo languẽte & saucio; *Desiderio*, inquit, *ardet, feruet affectu; æstuat, anhelat profunda ingemiscens, & longa suspiria trahens. Hæc tibi animæ vulneratæ certa sint signa: gemitus, & suspiria, vultus pallens, atque tabescens.* Lege reliqua.

Amor Dei carnẽ debilitat.

Ex

Ex quo enim aliquis amare cœpit seriò pro eo ac debet, atque ex animo Deum, carnis immoderatū studium abiicit, neque quid postulent voluptarij sensus, aut curat, aut aduertit; quod idé est, atque seipsum abnegare. Eius verò ratio ea est, quia anima non iam in amante, quem animat, est, quàm in amato, vt cap. 1. in principio diximus. Vt auté vbi primùm naturali morte anima secessit à corpore, corpus iam exanime, luridum, pallidum, & exangue est; sic vbi moralis hæc mors (nam amor mors quædam est, vt dicetur infrà 8. cap.) aduenerit, flaccescit caro, & viriditatem illam amittit, quā amor alius inferior, & terrenarum rerum studium attulerat. Sanè à profanis amor mors appellatur, cùm per amorem emigrare dicatur anima in amati corpus.

Amoris definitio. Hinc Plato definit amorem, *esse ardorem animi in proprio corpore mortui, in alieno viuentis*. Erit ergo morbus non tamen leuis, vt plerique corporei, sed lethalis, quando per amoré animus à corpore se vendicat, & exoluit, & ad Deum emigrat. Hæc omnia saluberrimi illius morbi signa complexus est vno pene verbo Medicorum princeps Iesus Ioan. 14. *Siquis diligit me, sermonem meum seruabit*. Quod si quis, vt res ipsa postulat, strenuè faciat, audacter, iucundè, & festinatè faciet, quod obedientiæ perfectæ natura exigit. In obediente auté perfecto; qui bene de obedientia cogitant, mortui hominis intuentur imaginem.

28\. Amor in Deo non otiosus, aut languidus. Hæc signa videntur esse certa amatorij morbi, quo languere se dicit sponsa; quo non leuiùs, aut obscuriùs in his Canticis laborat sponsus: in vtroque apparent indicia, quę modò produximus. Quòd enim amor in sponso non sit otiosus, & iners, ostendit illa sollicitudo, qua sponsam euocat, & nuptiales delicias abundè comparat. Quòd fortis sit, & ardua subeat, docet ille incitatus cursus, quo ad ceruorum similitudinem, salit in montibus, & transilit colles, & capillos nocturno rore respergit. Cùm verò se in corde vulneratum dicit, mortuum se sine dubio confitetur; neque enim plaga, quam cor accepit, potest esse non lethalis. De spōnsa hoc idem probat, & arteriarum pulsus, & corporis mutatio. Audax sanè fuit, quæ imbecillo corpori animos indidit planè viriles: quæ neque tenebras horruit, neque custodum plagas, atque ludibria, quæ lectuli mollitiem, atque delicias abiecit: quę denique, neq; quiescendum sibi esse dixit, donec tandem in sponsi sui cōspectum, & amplexum veniret. Sponsæ strenuus, & constās amor.

De colore habitúque totius corporis minùs dubitandum, cùm deposuerit colorem, quem è patria à Sole propter fratrum suorum imperium, & iniuriā contraxerat; cùm nihil iam à matre, nihil à patria, aut habeat, aut desideret, vtpote quæ Solymitana sit, non Gentilis; quæque in sponsi domum, & familiam admissa, patriæ ac generis immemor, omnia à sponsi liberalitate expectat. Hoc verò est lethali omnino vulnere carnem esse sauciam. Quàm verò sponsi voluntati parere velit, nihilque sibi reliquum facere, quod sponsi consiliis non impendat, ipsa planè docuit cap. 8. cùm à sponso petiit, sibi vt vitæ modum, & rationem ostendat. *Ibi*, inquit, *me docebis*. Sciebat autem spōsa, hāc futuram esse sponsi doctrinam, vt sponsi signaculo suum consignaret

cor,& brachium;quod perinde est, atque à se abiisse,aut,quod idē omnino est,esse iam mortuam. Quare optimè subdttur statim; *fortis vt mors,dilectio:* quia idem ius habet in amantem amor,& mors.

Laua eius sub capite meo.

29. Histor. Sponsa in sinu dormiens. OBseruandum, in Epithalamiis saltem Hebræorum,quasi statum esse,atque legitimum,vt sponsa dormiens introducatur in sponsi complexū. (An verò in aliis nationibus solemne fuerit,nihil certi habeo.)Id colligo ex Psal. 67. vbi Bēiamin *in mentis excessu* esse dicitur; Hebraicè רודם *Rodem*,id est,*soporatus*.Vide Prolegomenon septimum. Et ex Psal. 126. *Cùm dederit dilectis suis somnum*; *Ecce hereditas Domini, filij merces, fructus ventris*. In quo Psalmo allegoria sumpta videtur ex amore,complexúque coniugali,qui plerumque esse in oratione solet. Et ostendunt prima verba Psalmi; *Nisi Dominus ædificauerit domū*,&c. Ædificare autē domū, est filios suscipere.Post somnum ergo sponsæ, id est,postquam in sponsi sinu dormiuit,nascuntur filij,&c. Et spōsam sine dubio descripsit Micheas cap. 7.cùm dixit, *cauendum esse ab ea quæ dormit in sinu.* Et in Scriptura sæpe summa indulgentia, atque blanditiæ significantur per somnum captū in alicuius sinu.Hinc apparet,quàm amanter Ioannes Euangelista susceptus est,qui tanquam sponsa in sinu Christi dormiit; vnde & dilectus dicitur,quod nuptiale nomen est.

Psal.126.

Michea c.7.

Ex his colligo,sponsam à dextris sedere sponsi, in honestiori nempe loco;id enim sponsus largitur amori suo:& Psal.44.Regina,id est,spōsa assistere dicitur à dextris sponsi. Sponsa sedet à dextris. *Astitit Regina à dextris tuis.* Aliter, quomodo læua posset esse sub capite,cùm in sinu spōsi recumbit spōsa,quæ dormiens inducitur,& innixa super dilectum suum,non iacēs, sed assidens? Vide Commentaria nostra in Acta,ad illud cap.2. *à dextris est mihi.*

Illud etiam obseruandum, in amatoriis carminibus, atque Epithalamiis vsitatum esse, vt carmen interponatur sæpius,quod certis interuallis recurrat. De Epithalamiis constat ex Catullo in Epithalamio Iuliæ,& Manlij,vbi solemne illud repetitur; 30. Versus intercalares in his Canticis.

Hymenæe hymen, Hymen hymenæe.

Et eadem paulùm mutata in sequēti Epithalamio, & in Epithalamio Tethidis,& Pelei:

Currite ducentes sub tegmina, currite fusi.

De amatoriis carminibus probat Theocritus, & Virgilius in sua Pharmaceutria.In hoc ergo Epithalamio, & amatorio cantico repetitur ab sponsa illud,*Laua eius sub capite meo*; & alia,de quibus suo loco postea: & ab sponso illud, *Adiuro vos*, &c. quod tunc canit, quando sponsa,aut somni meminit, aut cubilis:vt constat ex cap.3.& 8. Virgines verò suam cantilenam plerumque incipiunt ab his verbis, *Quæ est ista*.

Laua eius sub capite meo.] Optimū symbolum eius,qui Deo familiariter se dat,& ab eo vicissim familiariter,ac beneuolè suscipitur,vt Ioānes Euang. de se ipso tradit capite vltimo. Quod plerumque in oratione fit,cuius symbolum esse somnum docent Bern. Sermone 51.& 52.in Cantica. Greg.lib.5. Moral. cap. 31. Allegor. In oratione Deus familiaris.

cap. 22. & infrà explicans illud, *Adiuro vos.* Sed subiectam esse læuam, quæ caput dormiẽtis sustineat; dexteram verò ad amplexum adhiberi, magni alicuius beneficij momentum habet. Indicat enim omnium officiorum atque donorum cumulum Nam, vt bene Ambros. in Psal. 118. octon. 14. v. 5. *Vtrumque sponsi brachium ad vtilia extenditur; habent tamen sibi aliquid proprium singula manus. In dextera longitudo vitæ est, in sinistra autẽ diuitiæ, & gloria. Prouerb. 31. Læua præsentium remuneratrix, dextera futurorum: læua sub capite sponsæ est, dextera supra, quæ totam complectitur sponsam. Itaque illa quasi fulcrum est quietis præsentis; & ideo filius hominis non habebat vbi caput suum reclinaret; quia, cùm diues esset, pauper factus est.* Hæc carptim ex Ambrosio. Idẽ pene Beda & Glossa, & S. Thomas, qui per *læuam*, huius vitæ prosperitatem, per *dexteram*, æternam vitam intelligit. Vbi notat, ita caput sponsæ sustineri à læua manu, vt tamen non deferatur à dextera; & sinistram esse sub capite, dextram supra: quia hæc inferiora ita subesse debent, vt non auocent ab æternis, non deprimãt caput, sed eleuent potiùs, & nos excitẽt ad amorem eius, qui nobis ea tam liberaliter largitus est.

Deus humana largitur, & cœlestia, & eorum discrimẽ.

Res humanæ quomodo mentem eleuent.

32. Inter spẽ, metũque securitas.

Sanctus Bernardus Serm. 51. per *sinistram*, aduersa, per *dexteram*, prospera indicari existimat: vtrisque verò Deus nos trahit ad se: nam per sinistrã æterna supplicia comminatur, per dexteram, æterna promittit gaudia. Cohibet ergo nos Deus inter læuam, & dexteram, id est, inter spem, ac metum, vt neque deprimamur abiecti, neque eleuemur elati. Quare sponsus cap. 8. & argentea propugnacula promittit, & claustra, seu carcerem minatur è cedro.

Adiuro vos, filiæ Ierusalem, &c.

33. Histor.

DE cantico excitatorio, & consopitorio plura dicta sunt in Prolegomenis. Blanditur nunc spõsus dilectæ, aut dormiẽti in sinu suo, aut quæ se dormire simulat, & aliis virginibus, ne obstrepant, & somnũ interpellent, edicit obtestatione caprearum, ceruorúmque, qui ipsis maximè in deliciis sunt, donec spõsa sibi ipsi dormiẽdo satisfaciat. Obtestatur has nymphas per ceruos, &c. quia cùm essẽt in syluis, ceruos insectabantur venatione, more virginum è Tyro, quibus Palæstinæ proximæ sunt, quæ venationi indulgere solent, iuxta illud Æneid. 1.

Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram.

Pro, *dilectã*, Heb. est, *dilectionem*, sed hoc patheticè; nam quem amamus, amorem nostrum dicimus, & delicias: quo inter profanos nihil frequẽtius Et S. Ignatius ad Romanos epistola 11. *Amor*, inquit, *meus crucifixus est.*

Aliter locum hunc Septuaginta verterunt; *Adiuraui vos, filiæ Ierusalem, in virtutibus, & in viribus agri; si suscitaueritis, & resuscitaueritis charitatem, quoad vsque velit.* Ex his quidam verba esse sponsæ volunt, quæ hortatur adolescentulas, vt ament sponsum, in quo tot sunt ad amãdũ illecebræ, tot lenocinia, non quidẽ ab arte, sed ab optimo, suauissimóq; ingenio. Virtutes autem, & vires agrorũ plantæ sunt, & flores, & ipsa soli fœcunditas. Erit ergo sensus secundùm versionem Septuaginta, vt loquatur sponsa, & adiuret ado-

lescentulas, vt excitent amorē suū, nec dormire, aut torpere sināt, quoad vsque ipse velit, id est vt charitatem suā sponsi voluntati subiiciant. Desiderat autem sponsus ab omnibus amari: venit etenim ignē mittere in terram, & quid vult, nisi vt accendatur? Lucæ 12. Ita Origenes, Theodoretus, & tres Patres. Et sanè sensus hic facilis est; & quæ in toto hoc capite continentur, sine offensione currunt: proponuntur enim rationes multæ, quibus spōsus amari debeat. Quòd si spōsa de se in tertia persona loquatur, nihil à vulgato deuiat, est enim sensus: Oro vos, vt me adeò dilectam frui sinatis suauissimo hoc sponsi complexu. Est autem vsitatum in Scriptura, vt tertia persona sumatur pro prima. *Memento Domine Dauid*, id est, mei. *Audite vxores Lamec*, id est, meæ vxores. *Iste pauper clamauit*, id est, ego pauper. *Quem dicunt homines esse filiū hominis?* id est, me. Sic etiā hoc loco, *ne suscitetis charitatem*, id est, me charā.

Regula sæpe aliquis de se in tertia persona loquitur.

Illud præterea notādum, Hebraicè pro, *ne suscitetis*, esse אם *im*, id est, *si*, & Septuaginta vertisse, *si suscitaueritis*. Sed idem prorsus est cum sensu vulgati. Nam particula (*si*) habitudinem dicit iuramenti cum execratione, vel cōminatione, quādo aliquid negamus, vel prohibemus; vt Psal. 89. *Si introibunt in requiem meam*, scilicet, non sim Deus. Psal. 88. *Si Dauid mentiar*. Psal. 89. *Si introiero in tabernaculum*, id est, non introibo. Sic hoc loco; si mihi dormienti obstrepatis, infeliciter vobis succedat venatio, aut agri prouentus. Et quidem hæc expositio expeditissima relinquit, quę sequuntur; à vulgata tamen recedendum non est.

Particula si iuramentum indicat cū execratione.

35. Allegor. *Adiuro vos.*] Verba hæc sponso suprà tribuimus: sponsæ enim in suo sinu dormiēti, id est, humanarū rerum oblitæ, atque in ipsum vnum spectanti prouidet, dum studet, vt somnus ille, & quietus sit, & lōgus. Hîc spectare licet, atque admirari quàm cœlestis spōsus somnū illum amet, quàm nō molestè ferat gestare in vlnis illam, quæ sæculi blandimentis repudiatis nihil sibi esse, aut voluptatis, aut studij voluerit, nisi quod natum est ab sponso. Illa verò adiuratio *per capreas ceruósque*, siue vt LXX. legunt, *per virtutes agrorū*, cōminatio est, imò verò prædictio eorū, quæ futura sunt. Ac si dicat sponsus futurum, vt nihil filiabus Ierusalem prosperè succedat, ceruus pereat, steriles sint capreæ, ager sterilis sit, & quod ipsæ seuerint, alij metāt: neque sit cumulus stās, aut germen faciens farinā; & eiusmodi alia, quibus Deus punire solet illos, qui ab hoc sancto amplexu sanctas animas distrahunt, aut quominus in virtute proficiant, scandalo, atque impedimento sunt. In sacris verò literis multa, quæ speciē habent execrationis, potiùs sunt Prophetiæ, aut prædictiones futurorum; quia nimirum his rebus, quę prohibentur fieri, talia supplicia, aut contingunt, aut debentur.

Abducere aliquē à Dei complexu graue.

In spōsa quæ somnū capit in spōsi cōplexu, optimè significatur anima, quę, vt se alterius alligaret arbitrio, à se ipsa defecit, terrenásque curas longè valere iussit. Est enim somnus mortis quædam imago: in eo enim sopiti sunt, & quasi sepulti corporei sensus; & si qua dormienti occursat terrenarū rerū species, illa vana est, & ludicra, quæ eludit potiùs quā satiat inhiantē animū. Talis autem est abnegatio, quæ nos in vlnis, & gremio collocat Dei, quæ animū auocat à sensibus, & sæcularium rerū obliuionem inducit; neque iā quicquā habet cum propria voluntate cōmercij. Ita ferme Basilius

Abnegatio, & rerū humanarū obliuio.

sius interrogatione 6. in regulis fusiùs disput. *Nihil est*, inquit, *sui ipsius abnegatio, nisi summa rerum omnium vitæ superioris obliuio, atque à suis ipsius voluntatibus recessio.* Huiusmodi somnum plurimùm amat Deus, edicítque aliis denuntiatione seuera, ne illum vlla ratione perturbent.

37. *Angeli pro nobis solliciti.* Bern. Serm. 52. per *ceruos, capreasq;* intelligi putat congregationem animarum sanctarum, aut Angelorum, quibus quàm simillima est sponsa, dum ab aliis curis abducta, in sponsi complexu mysticum capit somnũ. Amat verò sponsus animas in tali statu vsque adeò, vt & ipsas gestiat habere in vlnis, atque aliis edicat, ne obstrepant quiescentibus. Idem pene Gregor. Sed si ita statuamus per *ceruos* significari Angelos, pia admodùm cogitatio est, quæ meditatur hac adiuratione id à puellis peti, ne molestiæ aliquid afferant Angelis, qui magno studio, & fortasse diuturno eò sponsam adduxerunt, vt in sponsi sinu quiescat; neque priuent illos & magna voluptate, & sui laboris fructu. Videant hîc qui aliis scandalo sunt, quàm grauiter Deum, à cuius complexu sponsa diuellitur, & Angelos, quorum etiam opera effectum est, vt aliorum oblita, vnũ sponsum amet, & curet, irritent, & offendant.

Vox dilecti mei, &c.

38. *Histor. Rationes cur Deus amari debeat.* SIue superiora verba sponsi sint, siue sponsæ, quocumque accipias modo, existimo in his, quæ deinde succedunt, explicari causas, cur spõsus amari debeat, id est, vires illas, quæ aciem charitatis contra sponsam ordinatam instruunt. Et in primis sui Cantici quasi thema proponit, esse sponsum, tum in largiendo munificũ & velocem, tum in amando effusum; & adhæc inesse eximiã speciem. Quæ omnia complectitur his verbis: *Ecce iste venit saliens in montibus, trãsiliens colles: similis est dilectus meus capreæ, hinnuloq; ceruorum.* Quæ verba non semel repetit in hoc Cantico, & eisdem cap. 8. hymenæum concludit.

Prima ratio sumitur ex sponsi humanitate, qui adstat dormienti spõsæ, neq; patitur eius somnũ à sodalibus perturbari. Et quia postea ceruo veloci comparat, allusum esse videtur ad illud de Nephthali, qui Gen. 49. dicitur *ceruus emissus, dans eloquia pulchritudinis.* Vnde huius cerui eloquium, quo remouet à dormienti strepitum, pulchrum est. Vocem itaque illam amat sponsa, & sponsum indulgentissimum facit, plusquam amabilem. 39.

Secunda ratio est, velocitas in largiendo, quæ explicatur caprearum, ceruorúmque pernicitate, quos neq; salebræ, neque dumeta, aut saxa prærupta ab anhelato suo, atque incitato cursu remorantur. Quod amoris constantis, atque indomiti argumentum est. 40.

Tertia ratio est, quia auidè spectat ad fores respiciens per cancellos, dum sponsa suum nomen imploret, vel vt suæ volũtatis significationem edat. Huius enim diuini sponsi auris non vocem solùm, sed etiam cordis præparationem audit; Psal. 10. Item, quia pro foribus excubat nocturno rore madidus, vocátque ad delicias oratione molli, & amoris plena, vt statim magis explicabimus ad illud; *Ecce iste venit.* 41.

Quartò, quia vigilantissimè custodit sponsus, ne quid sponsæ, aut pulchritudini officiat, aut quominus in amore crescat, impedimento sit. Vnde ab sponsa tanquam à vinea, vel horto septis, cancellisque 42.

conclufo, vulpeculas arcet; vel quidquid communibus vineis, atque deliciis damno poteſt eſſe, arceri iubet.

43. Quintò, quia ſponſæ verbis blanditur amatoriis, amicam, ſponſam, & columbam appellans; & quia ad caſtum illum, & diuinum complexũ omnia inuitant, veris opportunitas, vernus ager, &c. Quam loci cœlíque temperiem ſemper ſecum affert ſpõſus. Vnde tandem ſponſa concludit; ſicut dilectus ſibi ſe totum impendit, ſic ſe quoque velle totam viciſſim ſponſo impendere omnino, ac ſuperimpendere. Illud eſt enim; *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia, donec aſpiret dies*, id eſt, qui me his voluptatibus cumulat, his amplectitur officiis, interim dum nox appetit, in qua ad ipſius domũ, & gaudium traducat. Ex his conſtat huius capitis ſecundi ſententia. Sed quia in his ſunt aliquæ adhuc ſalebræ, ideo ſingulatim ad illa redeamus.

Vox dilecti mei, &c.

44. Hiſtor. QVidam ex recentioribus exiſtimant, dormientem, & ſomniantem ſponſam hæc loqui, dum obuerſatur ſpecies ſponſi inſtar cerui velociſſimè currentis, & clamantis, *Surge, propera amica mea*. Sed vereor ne interea magis ipſi ſomniarint, quàm ſponſa, quæ hoc loco, ſi vſquam, vigilantiſſima eſt. Et certè ſi hîc ſponſa dormiens, ſomniánſque loquitur, cur negemus ſomniare c. 5. quando poſtquam dixerat, *Ego dormio*, &c. refert alia verba ſponſi non valdè diſſimilia, quæ eodem tempore dicta ſunt, vt ſtatim videbimus, & ad eãdem orationem pertinent? Tunc verò decorum non ſeruaſſet ſacer ſcriptor, ſi ipſa ſe dormire ſentiret, cùm illi, qui ſomniant, vigilare ſe putent: neque obſeruaſſet ſingula, quæ eo capite 5. commemorantur; neque adoleſcentulæ prudentes, & ſobriæ, quales fuiſſe oportet eas, quæ ſponſam etiam ſobriam ſequebantur, prudenter reſponderent ſomnianti ſponſæ, *Qualis eſt dilectus tuus*, &c. Deinde, quia ſi hoc canticum eſt, & à cantante ſponſa profertur, ſtupidi eſſet ingenij, neque, quid rerum natura poſtularet, attendentis, prudentiſſimæ fœminæ dormienti cantum aptare modulandum, & ita longum. Quare aptiùs videor hunc locum interpretaturus, ſi vigilantem audiam ſponſam diuino Spiritu afflatam hæc ſonantem; *Vox dilecti mei*. Agnoſcit autem hîc non ſolũ vocẽ ſponſi, ſed magis eius viſcera per ſuauiſſimam illam vocem exprompta. Vox enim pro iis, quæ voce continentur vſurpati ſolet, ſicut tempus, & locus pro iis quæ in tempore, & loco ſunt. Ac ſi dicat: Hæc vox dilecti, qua vetat, nequid ſponſæ in ſinu ſuo quieſcenti moleſtum ſit, ſponſi ſuauiſſimi ingenium prodit. Hæc propria vox eſt ſponſi, neque enim aliud mitiſſima illius natura ſonare poteſt.

Hîc obſerua, nominatiuum ſæpe in Scriptura ſacra abſolutè poni, vt docuimus in illud Iſai. cap. 11. *In die illa radix Ieſſe* Et hic dicendi modus, in quo hic nominatiuus abſolutè ponitur, frequentiſſimus eſt. Iſai. 40. *Vox clamantis in deſerto*; & ſtatim, *Vox dicentis*. Ierem. cap. 4. num. 15. *Vox annuntiantis*: & iterum Iſai. cap. 66. *Vox populi, vox de templo, vox Domini*. Vide quæ diximus in cap. 40. citatum Iſaiæ. Sic etiam in his verbis, *Vox dilecti mei*, abſolutè ponitur *vox*. Regula. Nominatiuus abſolutus.

Vox dilecti mei.] Ex his verbis ſpõſa commendat mitiſſimam naturam 45. Allegor.

iam

iam antea sibi multis argumentis cognitam; acsi dicat: Noui vocem sponsi, cuius id est proprium, vt mihi in omnibus studiosè consulat, & assiduis de me officiis mereatur; huiusmodi voces ab illo sæpius audio amoris plenas, & officij. Porrò in cortice multa habes, quæ ad spiritualem sensum plurimùm faciunt.

Ecce iste venit saliens in montibus, &c.

46. Histor. ANtequam explicationem huius loci aggredior, operæ erit non vulgare pretium, examinare paulo accuratius textum Hebraicū, rémque Grammaticam, quæ nobis ad huius, quem versamus, loci, totiúsque capitis intelligentiam, multùm afferent lucis. Et primùm illud *venit*, Heb. בא *Ba*, temporis est præteriti, sicut & id, quod statim ponitur. *En dilectus meus loquitur mihi*. nam Hebr. est ענה דודי ואמר לי *Anah dodi, ve amar li*, id est, *respondit dilectus meus, & locutus est mihi*. Et ita vertit Pagninus, Vatablus, Genebrardus, & omnes recētiores cum Chaldæo, & ex Hebræis Rab. Salomon, & Anonymus. In hoc Proœmio sequentis exhortationis, seu inuitationis, reliqua sunt participia pręsentis. itaque adverbum sic reddo: *Ecce iste adfuit saliens in montibus, transiliens colles, assimilans se capreæ, hinnuloq́; ceruorum. Et ipse stans post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos respondit dilectus meus, & locutus est mihi*. Hæc iuxta rei Grammaticæ leges, à quibus si res tota exactè pendatur, non recessit vulgatus, qui secutus non tam Grammaticaliter singularum vocum constructionem, quàm earum pondus, atque sententiam, elegantissimè scriptoris sacri mentem expressit. Est satis frequens inter Latinos, vt in rerum præteritarum narrationibus tempus adhibeant præsens; maximè cùm alicuius rei celeritas, aut sollicitudo significatur; vbi tamen plerumque verbum aliquod præteriti temporis antecedit. In historicis exempla sunt obuia: in præsentia adducam vnum aut alterum ex authoribus maximè Latinis. Terentius in Heauton. act. 1. scena 1. Regula. Præsens pro præterito.

Vbi comperi ex his, qui ei fuêre conscij, domum reuertor,
Assido, accurrunt serui, soccos detrahunt.

Et in Andria, act. 1. scena 1. explicatur sollicitudo, ac celeritas Pamphili, ex amore nata: nam cùm dixisset in præterito;

Interea hæc soror ad flammam accessit imprudentiùs;

statim de Pamphilo dicit, in tempore præsenti;

Accurrit, mediam mulierem amplectitur.

Cicero eodem loquendi genere non dissimilem affectum expressit Act. 5. in Verrem, in Philodamo vehemēter sollicito. *Quod vbi intellexit, vocat seruos, imperat*, &c. Idem omnino fecit noster Interpres in exprimendo amore, ac sollicitudine sponsi: nam cùm posuisset in pręterito illud; *Ecce iste venit*, alia, quæ consequuntur ad exprimendam celeritatem, & studium, posuit in præsenti; nempe, *stat, loquitur mihi*. Nunc ad textum redeo.

Non recesserat sponsus, qui proximè dixerat, *Adiuro vos*, nisi dicamus plurimùm temporis esse interiectum, donec sponsus, & lustrasset montes, & se ad conspectum sponsæ retulisset; quod Dramaticum hoc agendi genus non admittit. Docet 47.

ergo

ergo hîc sponsa, quid sponsus dixerit, fecéritque cùm ipsam in lecto quiescentem ad hortos, id est, ad nuptias vocat, de quo infrà c. 5. & in Prolegomenis suprà. Ait igitur illũ, qui tanquam pastor à Salomone inducitur, nuptiarum cupidum venisse per montes, transiliisse colles, & instar cerui ad suas vsque fores aduolasse. Repetit verò hoc sponsi studium admonita ab illa adiuratione senera', quæ non minoris studij, atque indulgentiæ testis est', qua spõsus cauet, ne quisquam dormienti sponsæ molestus sit. Suadet, vt credam, quia antelucana illa spõsi sedulitas, & ad hortos vocatio, neque omitti debuit, quia res omnino grata; neque exhiberi potuit in Dramate, quia tempus importunum. Commodum ergo fuit, vt sicut vocationem illam sponsa retulit cap. 5. sic nunc celeritatem, & in superandis arduis montium iugis constantiam commemoraret, quæ dati beneficij magna pars, & amoris non leue testimonium est.

48. Allegor. Beneficia Dei amorem excitant.

Ecce iste venit saliens in montibus.] In cortice, & Prolegomenis obseruauimus, repeti hîc ab sponsa orationem illam, qua à lecto, atque desidia ad hortos, & nuptias euocata est: interim verò describit ordinatam illam charitatis aciem, quam sponsus instruxit, & à qua vulnerata est. Sunt autem in his amoris castris potentissima tela in primo capite proposita; neque enim parum momenti est in eo, quòd vinearum custodem, & à Solis æstu fuscatam nõ repulerit, sed potiùs dealbauerit, cultu ornauerit nuptiali, ad tigna cedrina, cupressináque laquearia induxerit, ad suam vmbram sedere fecerit, fructúmque porrexerit gutturi suauissimum. Hæc, inquam, magna sunt; alia nunc commemorat, quibus se tunc oppugnatam fuisse dicit, quando blanda, atque amatoria oratione ab sponso vocata fuit, de quo infrà cap. 5. Quam orationem, & sedulitatem artificiosè hîc repetit; & quæ hîc dicuntur ad finem vsque capitis, ad illam vocationem spectant.

Ecce iste venit saliens in montibus.] Magnam vim habet ad capiendum animum alacritas in largiendo, atque celeritas. Sunt quidem beneficia ac munera, tela in primis grauia, sed celeritate quasi amentata grauiùs torquentur. Sunt ergo sponsi officia ex se potentissima; sed quia in montibus salit, & colles transilit velocitate mirabili, vt illa præstet, multo potentiora. Quo loco docemur, à nostris obsequiis abesse omnino debere omnẽ cunctationem. Vt enim donum pulchrum reddit in dando alacritas, & promptitudo, sic etiam tarditas, vel minuit maximè, vel facit omnino, ne donum sit. Qua de re optimè Seneca lib. 2. de Benef. c. 5. & 6. vbi perquàm bellè demonstrat, quantùm beneficio ponderis addat in largiendo celeritas. *Verissimum*, inquit, *existimo quod ille Comicus dixit. Quid? tu non intelligis tantùm de gratia demere, quantùm mora adiicis? Inde illæ voces: Fac, si quid facis.* Et paulò pòst. *Omnis benignitas properat, & proprium est libenter facientis, citò facere. Qui tardè dedit, & diem extrahens profuit, non ex animo fecit. Tardè velle nolentis est. Multùm celeritas fecit, multùm abstulit mora.* In hac porrò beneficiorum acie, quam sponsus in dilectam instruxit, quantùm sit in celeritate momenti, quàm altè accipientis animo amoris vulnus infligat festina liberalitas, optimo statim explicat exemplo, & ad institutum satis accommodato, quo ostendit interesse plurimùm hócne, an illo modo beneficium idem largiare. *Sicut in telis*, inquit, *eadem ferri vis est; sed* Alacritas In largiẽdo, atque celeritas.

sed in infinitum interest, vtrùm excusso lacerto torqueamur, an remissa manu effluant. Gladius idem, & stringit, & transforat, quàm presso articulo venerit, refert. Idem est quod datur; sed interest, quomodo detur. Quos verò montes transierit, quæ impedimenta superarit, vide Gregor. Homil. 22. in Euang. & Ambrosium Sermone 6. in Psalm. 118. & infrà ad illud, *super montes Bether.*

49. Studium Christi salutis nostræ. *Similis est dilectus meus capreæ.*] Cōfert sponsum cum ceruis, & capreis, tum propter celeritatem, de qua suprà, tum quia cerui serpentibus infensi, & capreæ oculis acutissimis sunt: quare illi ἔλαφοι dicti ἀπὸ τοῦ ἑλκῦν ὄφιν. i. *ab extrahendis serpentibus*: hæ δόρκαδες, *dorcades, ab oculorum acie.* Tunc autem celeritatem attribuit, cùm dicit, *saliens in montibus*: perspicacitatem verò cùm addit, *prospiciens per cancellos.* Et sanè diuinus sponsus in eo ceruis quàm simillimus est, quia currit, vt è latibulis halitu suo serpentes extrahat. Notum verò est ceruorum spiritu serpentes è cauernis suis extrahi, laceratique. Vide Plinium lib. 8. cap. 32. & lib. 28. cap. 9. August. Psalm. 41. Properat ergo diuinus hic ceruus, vt serpentem antiquum ex animis suo halitu trahat; *in hoc enim apparuit Filius Dei, vt dissoluat opera diaboli.* 1. Ioan. 3. Neque aliter ac ceruus ad fontem properat, vt grauem, ac diuturnam sitim extinguat, anhelat sponsus, vt salutis nostræ sitim, qua maximè vrgetur, leuet. Et hanc ob causam ceruo dici similem existimat Ambr. in Psalm. 118. octona 6. v. 1. Theodoretus, & Psellus.

Ceruus serpentib. infensus.

En ipse stat post parietem nostrum.

THEODORETVS hîc metaphoram agnoscit sumptam ex vineæ custodia, cui ita sollicitus vinitor, aut custos inuigilat, vt ab ea nunquam, aut mentem dimoueat, aut oculos. Neque sanè mihi displicet, modò vineam intelligat in agro Engadditano, quā melius appelles hortum, aut viridarium. Et certè infrà capite 4. sponsam appellat hortum conclusum. Clauditur ergo hic hortus, vt est verisimile, septis non semper è lapide, sed, vt fert communiter res topiaria, ex arundine, aut ex materia vitili decussatim transuersa, ex qua fiunt necessariò quidam cancelli, atque reticula, per quę quasi per fenestellas, & transennas perspici quidem potest hortorum species; at fructus tutus est à spectatorum manibus. Hæc septa paries dicūtur, quia hortum claudunt; item cancelli, quia opus illud reticulatum est. Significat ergo sponsa, post hunc parietem dilectum suum per cancellos, id est, per illas quasi maculas in reti relictas, obseruare quid sponsę accidat; non secus ac custos per cancellos, & rimas obseruat, ne quid hortis accidat aduersi. In hoc ergo sensu subauditur nota similitudinis more Hebræorum, ita vt sponsa dicat; spectat me sicut vineæ custos per cancellos inspectat vineam sibi commissam. 50. Histor.

Quæ dicta sunt, apta fortasse; sed longè mihi probabilius est, vt in Prolegomenis obseruaui, hic à spōsa repeti orationē sponsi, qui cùm ad fores excubaret, ad quas transiliens colles aduolarat, capite prui- 51.

na madido, & cincinnis nocturno rore ſtillantibus, de quo capite 5. aſpiciebat identidem per cancellos, & feneſtras, id eſt, portarum rimas, illa verba amatoria ingeminans, quæ hîc repetit ſponſa. Et fauet quod LXX. ἕστηκεν, id eſt, *ſtetit*, legunt in præterito; quod aliquid iam præteriiſſe ſignificat.

52. Allegor. Deus ſe nobis vltrò offert. *En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum.*] Properauit ſponſus, & ardua montium iuga ſuperauit, vt ad ſponſæ fores accederet, per cancellos adſpiceret, atque omnes aditus, & rimas perquireret, quà ſe lucémque ſuam in ſponſæ animum inſinuaret. Eò enim ſpectat lõga illa oratio, quam ſe per parietẽ, ac per cancellos ſponſa audiuiſſe dixit. Quis ardenter nõ amet illum, qui tanto ſtudio, tam blandè, ac tamdiu foris adhuc, neq; dum admiſſus ab ignaua, atque torpenti anima, alloquitur tamen, vocátque ad nuptiales delicias, ad ſponſæ dignitatem ac gloriam? Hic, credo, proprius eſt huius loci ſẽſus; alij ſunt ſanè pulchri, qui apud alios videri poſſunt, & de quib. nos non nihil in cortice.

53. *En dilectus meus loquitur mihi.*] Maximè commendat Chriſti charitatem, nóſque ad redamandum vehementer impellit, quòd cunctantem animam, leuiſſimáſq; moræ cauſas nectentem, amicam tamen, columbam, ac formoſam appellat; quæ voces planè indicant, quã ipſe nos ardenter amet, & quomodo eius deliciæ ſint nobiſcum eſſe. Quis ergo erit tam ingratus, & excors, qui non occurrat tanto deſiderio? qui tantam ſitim nõ expleat? qui ad hanc vocem non ſtatim aduolet? Ex *columbæ* nomine, ad optimam coniugij formam, ſiue vulgaris, ſiue myſtici; multa ſumi poſſunt ex his, quæ in cortice notauimus.

Tota hæc oratio, quæ ſanè gratis eſt, & ad capiendos animos, illecebras, & quaſi machinas admouet potentiſſimas, optimè cum Euangelico tẽpore conſentit: in quo ſummota hyemis inclementia, veris iam mitior, atque iucundior arridet tẽpeſtas. 54. Deus emollitque aſpera ſibi Ante aureum illud ſæculum incarnati Verbi, non facilè homines, aut in familiarem conſuetudinem, aut in myſtici connubij ſocietatem aſpirabant, aut admittebantur: quia Dei maieſtas, quæ in altis habitat, & in tẽpli adytis, quę paucis, idque non niſi perquàm rarò peruia ſunt, ſtabile ſibi, ac certum domicilium locarat; omnes non à congreſſu ſolùm, atque conuictu, ſed etiam à conſpectu deterrebat. Quare totum illud tempus hyemale videbatur, & frigidum, non tam opportunum captãdis agrorum deliciis, quàm petræ foraminibus, & cauernæ maceriæ. At Chriſto iam in terris nobiſcum, & ex nobis agente, hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit: aperta quippe terra à cœleſti rore Saluatorem germinauit. Aperiri autem terram (vt in Commentariis noſtris in Iſaiæ cap. 45. oſtendimus ad illud, *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem*) aut tempus tũc dicimus, quando intepeſcente cœlo, quæ fuerant frigoribus contracta ſoluuntur, atque laxantur. Vnde Aprilis dicitur ab aperto tempore, iuxta illud Ouidij;

Euangelici tẽporis ſuauitas.

Aprilem memorant ab aperto tempore dictum.

Sed poſtquam vox turturis audita eſt in terris, talis affulſit ſpecies, qualis in hoc capite deſcripta eſt.

55. Hæc verò Chriſto debemus Seruatori, qui & ipſe nobis valdè ſe præbuit familiarem, & amabilẽ, & quæ priùs aſpera videbãtur, & horrida, ſic emolliuit, vt nihil ibi horroris,

roris, nihil acerbitatis appareat. Perfecit quidem natus in summa paupertate Christus, & per summam acerbitatem, atq; ludibrium crucifixus, quod suo mellificio laborat, & assequitur apis, de qua Eccli. 11. *Breuis in volatilibus est apis, & initium dulcoris habet fructus eius.* Fructus, inquam, apis dulcis est, & quæ amara sunt, & insipida, ita condit suauiter, vt dulcia reddat, & palato grata. Origenes Homil. 2. in Isaiam, Christum Regem apũ appellat; cuius eę sunt partes, vt apes in sua qualicunque Republica côtineat, & in mellificij opere moderetur. Quare quæ ex Regis imperio, atque præscripto mellis opus instituunt, è floribus etiam, atque ex succis amaris dulces elaborant fauos. Horum è numero fuit mellificator egregius Paulus, qui ex Christi ignominia gloriam libauit, & ex Crucis acerbitate singularem voluptatē, & inexploraras carnalib. delicias expressit. De gloria est illud ad Cor. 2. cap. 1. *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* De suauitate verò ad Gal. cap. 6. *Sicut abundãt passiones Christi in nobis, ita & per Christũ abundat consolatio nostra.* Mons Sina, iuxta nominis sui notationem, senticosus erat, & dumis horridus; at cùm Deus ibi vepribus insedit, & in rubo apparuit, spinarum obtudit aculeos, & montem propter asperitatem illam inaccessum, mollem reddidit, & tractabilem. Quare cùm Moyses, qui in illo tractu gregē pascebat, contra spinarũ stimulos calceamētis pedes muniisset, vocatus à Deo, qui sedebat in rubo, calceamenta deponere iubetur, quasi iam nihil horreret in spinis, postquam Deus spinosæ plãtæ insidere voluit.

Christi exemplũ omnia redd it suauia ac mollia.

56. Sustulit itaque Christus Euangelij tēpore quidquid rigebat, & quidquid durum videbatur in hyeme: & quod intractabile cēsebatur in agris, ita vt contrà quàm ferebat vulgaris Hebræorum parœmia, de spinis tribulationis fidelis animus vuas colligat, & de tribulis ficus. Sanè de hoc felicissimo tēpore loquebatur Ioël cap. 3. cùm dixit: *Fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum,* vt ex spinis nempe vuæ colligantur, & ficus. Ita Rufinus in illũ locum. *Loca,* inquit, *quæ erant vepribus occupata, faciet opportuna culturæ.* Verè ergo Christus ait hybernam solutam esse glaciem, & in terris apparuisse flores; quia ipse, qui Sol est mundi, tempus aperuit, & qui flos est campi, & cum quo est agri pulchritudo, germinare fecit in agro quodam sterili florum elegantiam. De felici Salonini pueri natali, adulatorio carmine canebat Maro Eclog. 4.

Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.

Et Eclog. 7. videtur imprudens hoc tempus Euangelicũ, & locũ, quē versamus, apprimè descripsisse in sua Phyllide, ante cuius aduentum cãpus dicitur sterilis, & macer; post verò lætus, & abundans:

Aret ager, vitio moriens sitit aëris herba,
Liber pampineas inuidit collibus vmbras;
Phyllidis aduentu nostra nemus omne virebit.

Hæc nos de Christi natali, atque aduentu verè possumus, quæ de aliis falsò ausus est prædicare Virgilius. Hæc pro tota oratione qua spōsa ad mysticum euocatur connubiũ; in quib. videor summam quandam fuisse complexus eorum omnium, quæ in ea traduntur: non nihil tamen speciatim nobis obseruandum est.

En dilectus meus loquitur mihi: surge, propera amica, columba mea.

57. Histor. NOn est verisimile, hęc esse spōsæ verba eo tempore dicta, quo dormiens inducitur; neque enim, qui tam seuerè edixerat, ne quisquam interpellaret quiescentem, credendus est iubere, vt statim surgat, properétque, quasi id agat, vt molestum onus ex vlnis excutiat. Item, quia otiosa esset prorsus hæc oratio, quo tempore sponsa iam erat extra domum in hortis; ad quos hac tam longa oratione inuitatur, imò, vt textus ipse indicat, in sponsi sinu. Cur ergo tā molliter, atque acriter vocaretur à sponso? ex qua petra, vel cauerna maceriæ euocaretur illa columba, quæ iam ex suo nido, id est, ex secessu virginali prodierat? quò spectare poterat tam grauis oratio, nisi vt sponsa actum ageret? id est, quod egisse traditur cap. 5. & 1. Refert ergo sponsa eam orationē, qua à suo dilecto iussa est lecti relinquere mollitiem, & portam aperire. Summam totius orationis complexa fuerat cap. 5. hîc totam orationem accuratiùs repetit, atque minutiùs; simúlque & temporis clementiam, in quo res agebatur, & loci amœnitatem, in quem esset deducta, artificiosè describit.

Neque ab Hebraico textu aliquid est contra nostram sententiam: nam vbi vulgatus habet; *En dilectus meus loquitur mihi*, Hebr. est אמר לי *amar li*, id est, *loquutus est mihi*; vbi liquet sermonem præcessisse, quem sponsa repetit. Et ita vertit Vatablus, Genebrardus, & Pagninus; & ita putat Isidorus clarius, & ex Heb. Rab. Salomon, & Anonymus, & docet omnino Chaldęus, qui verba illa sic interpretatur: *In matutino tempore dilectus respondit, & dixit mihi.* Quomodo verò bene hunc locum conuerterit vulgatus, nuper ostendimus.

En dilectus meus loquitur mihi: surge, propera amica mea, columba mea.] 58. Allegor. Columbæ proprietates.
Sponsa hîc columba vocatur, & alibi sæpe aliquid dicitur habere columbinum: cuius ea omnino ratio est, quia in columba illustre quoddam symbolum est fœcundi, casti, atque honesti cōnubij. Quod Columba honesti coniugij symbolū. facilè quis sibi persuadebit, si columbæ turturísve naturam exploret: nam turturem de genere colūbarum esse communis est sententia Ita Athenæus lib. 9. & Arist. Spectatur enim in illa primùm cōiugij fides; de qua Plinius lib. 10. cap. 34. *Primò*, inquit, *illis pudicitia, & neutri nota adulteria. Coniugij fidem non violant, communémque seruant domum; amor vtrique sobolis æqualis.* Addit ad hæc Ælianus lib. 3. cap. 2. si fortè hæc volucris alienum appetat congressum; incurrere aliarum odium, ab illísque circunsideri, & marē quidē à maribus, & à fœminis fœminam discerpi. Magna quidem sunt hæc; sed audi aliquid maius de turture, qui, vt dixi, de genere columbarum est. Secundas nunquam iterat nuptias, vt author est Aristoteles; & si quando contingat mori, aut capi coniugem, viduam agit, solitariam, & lugubrem vitam; præscribítque rationis expers auis, quomodo rationis particeps fœmina coniugis desiderium ferre, & illi parentare debeat. Et, vt refert Mirum de turture. Author de natura rerum, & cum eo Grapaldus, ea videtur omnino fugere, quæ mœrenti animo aliquid viden-

videntur afferre posse voluptatis; nam aridos ramos, vbi sedeat, expetit, virentes fugit; & cùm aquam amet claram, & elimem, resideátque iuxta fluenta plenissima, Cant. 7. tamen non prius è riuulo bibit, quàm turbet aquam, & limosam reddat. Quod sanè Grapaldo scribenti non crederem, nisi viri, quibus ego omnino credere debui, id affirmassent; qui longa multorum annorum experientia, cùm perpetuò ruri agerent; obseruasse se dicunt, viduam, & solitariam turturem nunquam sedere nisi in arido ramo, neque bibere vnquam nisi ex aqua alis antè turbata. Vtrumque dixit Baptista Mantuanus in Parthenci. eámque rationem esse dicit, quòd aquam non bibat nisi turbatam, ne dum sui imaginem in aqua limpida, dum se ad bibendum inclinat, contemplatur, consortis sui capti, vel mortui excitata memoria, dolor quoque nouus excitetur. Sic autem Mantuanus:

Sicut vbi amisso thalami consorte per agros
Sola volat turtur, nitidis nec potat in vndis:
Ne comitis prisci tristetur imagine visa:
Nec viridi posthac fertur considere trunco.

Accedit quòd columba munditiem amat, si quid tetri odoris est, illud horret, & fugit; gratum odorem sic auidè sequitur, vt propter illum sæpe domicilium mutet. Vide Basilium epist. 175. ad Iulittam. Sanè propter hæc auis ista Deo omnium charissima esse traditur Esdræ lib. 4. cap. 5. vbi etiam scribitur, quid ex omnibus tam plantis, quàm animantibus sibi potissimùm elegerit Deus. Propter hæc credo sponsam toties appellari colũbam, aut aliquid dici habere colũbinum.

In *columbæ* nomine, atque natura, B. Virginis candorem, ac puritatem exprimi quidam arbitrantur, indicarique sine vlla originalis culpæ macula fuisse conceptam. Ita Galatinus lib. 7. cap. 5. & Psellus apud Theodoretum ad illud Cant. 6. *Vna est columba mea, perfecta mea.* Ex quo loco Bellarminus to. 3. l. 4. c. 15. immaculatam Virginis conceptionem odoratur. Quod eo videtur esse probabilius, quòd cum *columbæ* nomine capite quinto nomen quoque coniungitur *immaculatæ. Aperi mihi soror mea, amica mea, immaculata mea.* Coniectura est, quia columbæ naturalis est mũditiæ amor, & studium puritatis, vt capite quinto diximus ad illud, *Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum*: cùm tamen nomen eius aliquid importet tetrum, & grauiter olens, quia ab eadem radice deducitur, ex qua *cœnum*: tam enim *cœnum*, quàm *columba*, à radice Hebræa יון nascitur, à qua יון *Iauen* dicitur *lutum*, יונה *Ionah*, *columba*. Columba ergo sic cœnum horret, vt qui præcepta de re rustica tradunt, aquam iubeant esse quærendam puram, & illimem, vbi alendæ sint columbæ, & excitanda columbaria. Varro de re rustica lib. 3. c. 7. *Aquam* (inquit) *puram esse oportet, quæ insiuat, vnde bibere, & se lauare possint columbæ: permũda sunt enim hæ volucres.* Sic etiam B. Virgo commune videtur habere nomen cum cœno, quia *homo* dicitur, sicut alij omnes, qui nomen traxerunt ab Adam (qui *terram* sonat) & naturam ab ipsa origine cœnosam, & grauiter olentem, propter familiare naturæ, & quasi naturale peccatum. At peccatum non minùs horret cœlestis illa munditiës, quæ à cœlo potiùs videri pos-

ſet, quàm è terra profecta, quàm columba cœnum. Et licèt alij in cœno naſcantur, & plerique deinde in cœno volutentur; hæc tamē cœnum, neque tetigit vnquam, neque, à quo purgari deberet, vſquam habuit. Deinde columba vocari exiſtimatur B. Virgo, quia ſicut nullo ætatis articulo fel habet columba, quia illi naturale eſt, vt felle careat; ſic Maria non à natura, ſed cum natura, quam immaculatam accepit, neque fel habuit, neque radicem amaritudinis, quæ peccatum eſt. Ex eo præterea quòd ex foraminibus petræ, & cauerna maceriæ columba vocatur, argumentum etiam ducit Galatinus ſuprà, vt probet B. Virgini nihil adhæſiſſe de communi contagio. Putat autem vocari petram, ſeu petræ foramen, aut cauernam maceriæ, conceptæ Virginis principium, & fundamentum. Quo loquendi genere vſus eſt Iſaias cap. 51. dum de Abraham, & Sara Iudaici generis parentibus ait; *Attendite ad petram, vnde exciſi eſtis, & ad cauernam laci, de qua præciſi eſtis.* Sic ſanè putat Galatinus. Ego hanc poſſe videor rationem reddere; cur petræ cauitas, ſeu maceriæ cauerna, in quibus concepta dicitur Virgo, & inde primùm ad cœleſte vocata connubium, nihil alliuerit ſordidum, nihil ad nauſeam Virgineo cōceptui. Nam etiamſi originariam illam maſſam, ex qua coagulata fuit, & concreta materia, quam deinde puriſſimus animauit ſpiritus Mariæ, attigerit, afflaueritue ſerpens antiquus, at ex ea nihil traxit ſerpentinum, ac fœdum cōcepta Virgo: ſicut nihil trahimus ſerpentinum, aut ſordidum è ſaxo in quo reptauit coluber; quia in eo nullum reliquit coluber, aut pertenue veſtigium, quod neque horrent, neque faſtidiunt, qui ſedere volunt in ſaxo, aut illud ad illuſtrem aliquam fabricam excidunt, ac poliūt: quia ab eo ſerpentis ſiue afflatu, ſiue reptatione nihil fabrica, cæteroquin illuſtris, accipit incommodi. Et quidem Proueb. 30. nihilo magis dicitur offendi, aut notari à ſerpente ſaxum, quàm à naue prætereunte mare, aut aër ab aquila volante. *Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro, viam aquilæ in cœlo, viam colubri ſuper petram, viam nauis in medio maris.* Iure igitur ex petræ foramine ad myſticas nuptias, cùm primùm eſſe cœpit rationalis natura, vocata eſt Maria, quia non magis à ſerpente antiquo violata eſt, etiamſi prognata ab iis, quos ſerpentis halitus infecerat, quàm ſi inſediſſet petræ, per quam reptaſſet coluber.

Adde his, quòd non videbatur bellè conuenire cum Diuino conſilio, aut Virginis dignitatem, & officium decere, vt quæ contritura dicebatur caput ſerpentis, illa in ipſo conceptionis articulo, id eſt, cùm primùm viuere, aut animari cœpit, à ſerpente, cuius futura eſſet mors, & exitium, vinceretur, acciperétque plagam, quæ licèt ad temporis momentum, non poterat non eſſe grauis, & fœda. Accedit, quòd contritura dicitur ſerpentis caput, id eſt, primum ſerpentinæ fraudis appulſum, aut flatum à ſerpentino halitu peſtilentem; id enim *caput* plerumque valet. At ſi primo dæmonis appulſu eſſet indecoro illo vulnere fœdata, non diceretur eo ſaltem, quem attigimus, ſenſu, ſerpentinum contriuiſſe caput. Scio aliquibus videri negotium illud de conterendo colubri capite, datum eſſe potiùs Chriſto, quàm Mariæ, ac legendum eſſe, *ipſe conteret caput tuum*

tuum. Qua de re non est modò mihi disputandum. Satis nobis in præsentia sit, hunc esse communem Sãctorum sensum, & in magis correctis Editionibus, & nunc ad extremum in Sextianis, *ipsa conteret*, legi, non *ipse*.

Iam hyems transiit.

59. DEscribit tempus opportunum nuptiis, quãdo omnia vernãt, & mitiori iam cœlo suas sibi delicias ager fundit, & quæ hyems glaciésque contraxerant, ea soluta, & hilaritatem afferunt eximiam, & vt voluptati indulgeant animantes hortantur.

Tempus putationis aduenit.

HEbraicè זמיר *Zamir*, quod etiam significat *cantillationem auium*; Septuaginta verterunt τομῆς, Ambrosius eodem sensu legit *tempus secandi*; Symmachus κλαδεύσεως: quem videtur sequutus Hieronymus, cùm vertit, *putationis*. De vitium putatione plerique accipiunt, quod quàm parum aptè consentiat cum veris ineuntis, aut potiùs iam adulti temperie, statim dicemus. Nisi fortè dicamus, in Palæstina vites sub vernum tempus solere putari, secus atque in aliis locis. Quod in regionibus frigidis fieri aliquando debere docet Columella lib. 4. cap. 10. & 14. Sed sanè Columella cap. 10. de vitibus recèns plantatis, cap. autem 14. de infelicibus, &, vt eius verbis vtar, macerrimis vitibus agit: nam omnino damnat putationem, quæ fit germinante surculo. Quod etiam communiter iam nostri temporis vinitores sentiunt. Sed vineæ, ad quas inuitatur sponsa, non erant infelices, & macræ: iam germinarant surculi; imò vites odorem dederant, qui si vllus est, non tam à foliis, quàm à racemis iam florentibus exhalari solet.

Quidam durè accipiunt *putationis* nomen, cùm id non adeò possit ad hortos allicere sponsam, præsertim cùm hîc tantùm festiua, atque iucunda proponãtur, vt verna agri species, intepescens aura, cœli serenitas, cantus turturis, &c. Quare Gregorius Nyssenus Oratione 5. & Psellus de floribus intelligunt, ita vt sensus sit, tempus esse legendi flores, texendi serta, aptandi fasciculos. Neque parum fauet sentẽtię Nysseni vox זמיר *Zamir*, quæ etiam *ramum*, & *propaginem* significat, ex sententia Hieronymi, qui ita vertit eandem vocem Isai. 25. *Quasi calore sub nube torrente propaginem fortium marcescere facias*. Alij vocem זמיר *Zamir* exponũt *cantillationes auium*; quę mirè afficiunt, & permulcent aures, & certè id vt plurimùm significat. Vnde lingua Arabica, quæ fluxit ab Hebræa, *Zambra* dicitur chorus canentium. 60. Putatio pro collectione florum, aut aromatũ.

Facit ad hanc coniecturã quod statim sequitur, *vox turturis audita est*. Quasi ea vox probet aduenisse iã cantillationis tempus. Meminit verò præsertim turturis, quia rusticis, & nymphis, qualis sponsa inducitur, magis notus est; & quia sponsa ipsa columba dicitur; vnde ab auicula sibi cognomini, & pene sorore euocari videtur ad syluas. Quæ explicatio non est omnino reiicięda. Fortasse hîc cãtus, & putatio idẽ sũt, ita tamẽ vt cãtus non sit auium, sed eorũ, qui dum arbores putãt, laborem illũ cantando leuant: quia ante illud tempus hyemis asperitas agris quasi quoddam silentium indicit. Virgilius Ecloga 1. sicut hîc Salomoni,

mon, & frondatorum cantum, & turturis gemitum coniunxit.

Hinc alta sub rupe canit frondator ad auras;
Nec tamen interea raucæ tua cura palumbes,
Nec gemere aëria cessabit turtur ab vlmo.

Sed omnino cum vulgato, & cum omnibus ferme Patribus legendum est, *tempus putationis.* Nec tamen id alienum est ab agri deliciis, imò fortasse præcipuum, quod ingenuã puellã in agrũ euocet. Quod vt mihi suadeã, suppono, sponsi vineam, ad quam inuitatur sponsa, in tractu esse Engadditano, & consitã cypris, aut inter vites cypros, quę balsamo stillant, esse satas, vt latiùs probatum est ad illud capitis primi, 1. *vineam meam non custodiui.* Erit ergo sẽsus: Tẽpus putationis aduenit, id est; tẽpus, quo arbores cypri incisæ opobalsamo stillant. Nam arbores illas Engadditanas osse, aut vitro incidi docet Plinius lib. 12. cap. 25. Ægesippus lib. 4. cap. 17. Imò existimo putationem hoc loco pro ipsa lacryma, seu gutta sumi. Colligo ex Genesi cap. 43. vbi pro
Genes. 43 eo quod vulgatus habet, *de optimis terræ frugibus*; Heb. est מזמרה *Mezimrah*, id est, *de incisione*, vel, *putatione* (nam eadem radix est) id est, ex his quæ arbore incisa manant. Et statim explicat quid sit illa incisio: *Modicum*, inquit, *resinæ, & mellis, & terebinthi, storacis, & stactes.* Sumitur verò hic *putatio* pro his quæ ex putatione proueniunt; quo genere dicendi vsus est Plinius suprà cùm de hac arbuscula
Regula. Actio pro actionis subiecto, aut effectu. ageret; *Sarmenta quoque*, inquit, *in merce sunt, amputatio ipsa, surculúsque venit.* vbi *amputatio* pro his, quæ amputantur, vsurpatur: quæ dicendi forma, neque à Latinis, neque ab Hebræis aliena est. *Messio* pro frugibus sumitur Iob. capite 29. *Tritura* pro frumento Isai. 21. *Vindemia* pro vino Deuteron. 7. Isaię 25. Et Hispanè, *cosecha, porel tigro cogido, y desquilo por la lana desquilada.*

60. Putatio vitiũ quo tempore. Accedit quòd opus aliquod certum, fieríque solitum stato, quasi legitimo aliquo tempore, pro ipso tempore vsurpari solet; vnde *Messis* pro æstate, *vindemia* pro autumno, *ieiunium certum*, illud nempe quod *expiationis* dicitur, vt docuimus cap. 27. Actuum, pro tempore quo cessat nauigatio, capiuntur. Act. 27. Sic existimo putationem hîc à sponso pro veris amœnitate sumi. Sed vitiũ putatio, vt paulò antè diximus, non incidit in illum temporis articulum; nisi fortè quando nimiùm est iners, & rei rusticæ imperitus agricola. Qui si in illud tempus putationem differret, rustico conuitio à viatoribus malè accipiebatur, tanquam ignauus, & sui muneris oblitus. De hoc Plinius lib. 18. cap. 26. cùm agit de equinoctio, id est, de veris initio; *Sciat* (nempe vinitor iners) *inde natam exprobrationem fœdam putantium vites per imitationem cantus alitis temporarij, quem cucullum vocant. Dedecus enim habetur, opprobriumque meritum, falcem ab illo volucre in vite deprehendi; vt ob id petulantiæ sales etiam cum primo vere ludantur.* Hunc cucullum apparere ineunte vere tradit Aristoteles lib. 9. histor. capite 49. & Oppianus primum nuncium veris cucullum vocat. Cur ergo existimemus notam esse veris vitium putationem, quæ in vere contingit rarò, & non nisi ab ignauo vinitore? Adde quòd hîc non tam agitur de ineunte, quàm de adulto iam vere, quando florere dicuntur vineæ, & odorem dedisse:

dedisse: quod non tam ad veris initium pertinet, quàm ad Solstitium, id est, initiũ æstatis, vt ait Virgilius Eclog. 7. vbi loquitur de Italico cœlo, quod non longè à Palæstino differt: dicitque initium æstatis annunciari à gemmantibus vitibus.

Solstitium pecori defendite, iam venit æstas
Torrida, iam læto turgent in palmite gemmæ.

Hæc mihi videntur valdè, & tempori, & loco, & textui consentanea. Siquis verò dicat, vniuersaliter *putationem* pro quacunque collectione vsurpari, siue florum, vt dixit Nyssenus, siue etiam fructuum, non admodùm pugnauerim: quia horum appetente vere copia est, cùm hyeme squalidus sit, & pene mortuus ager.

61. Allegor. *Iam enim hyems transiit*, &c.] Retardare poterant sponsæ desiderium quominus rus egrederetur ad sponsi stabulationem, & imbrium incommoditas, & hyemis asperitas, quibus aptè significantur illæ molestiæ, atque incommoda, quæ horrent animi delicati ac molles; & quæ *crucis* nomine explicat Euãgelicus sermo. Hæc tamen spõsi diuini cura ita depulsa sunt, vt neque in nuptiarũ tempore quidquam rigidum, ac turbidũ sit, cùm iam hyemale frigus excesserit, & cessante pluuia aduenerit serenitas; neque in loco desint ineunte iam vere, quæ nuptiis solent esse opportuna. Adsunt enim flores, & vinearũ odor, & quæ hîc pluribus cõmemorãtur. Hęc verò Christi sudori & morti accepta referenda sunt: ab his habet anima, vt quæ dura priùs videbãtur, ac tactu horrida, mollissima iã sint. Quis enim crucẽ horreat, quam Christus subiit? quis in eo cubili, vbi moriens Christus dormiit in meridie, nõ placidè dormiat? Ab hoc habemus opobalsamum illud, quo cyprus copiosissimè ad nostram medicinam, & voluptatem stillauit. Tempus enim putationis aduenit, ex quo fluunt aromata, durum quidem patienti Christo, ac turbidum; nobis verò omnino serenum, & gratum. Quis non amet toto viscerum affectu illum, cui tanti stetit nostra commoditas? Quòd si ad beatitudinẽ vocatur sponsa, vbi nihil ab hyeme horridi, atq; austeri, nihil ab imbre turbidi, aut lutulenti est, planè hinc nascitur singularis amoris causa, visque potentissima ad amandum illum, qui talem nobis æternæ quietis thalamum iamdudum tam ex animo, tam luculenter instruxit.

Christus omnia nobis læta reddit, & fausta.

Vox turturis audita est in terra nostra, &c.

Constat verni temporis esse indicem turturis gemitum. Docet Plinius lib. 18. cap. 28. vbi veris initium docet significari palũbi gemitu, Solstitij finem, eius incubatiõne. Et idem ait hyeme discedere, vt hirũdines. Quod idem docuit Cicero 2. de Finibus, & Arist. 8. de historia animalium cap. 3. & 12. & lib. 9. cap. 7. Meminit verò præcipuè turturis, quia symbolum est sponsæ; & volucris hæc est rusticis nota. 62. Histor. Turtur veris nuncius.

Vox turturis audita est in terra nostra: tempus putationis aduenit.] Putationem, collectionem florum purãt esse Nyss. & Psellus; nos nõ longè ab horũ sententia, collectionem balsami, quo stillat copiosè cyprus incisa, id est, Christus, qui totus oleum effusum est. Hîc ergo spõsus hortatur amicam, ne tam pulchram occasionem perire sinat, & quando ipse tam in largiendo profusus est, ne Allegor.

ipsa sit in accipiendo negligens; & vt è virtutum floribus coronam sibi texat, aut balsami quantumcumque voluerit, colligat, quo Christi odorem quoquouersùs adspiret. Hoc enim clamat turturis gemitus, qui tunc maximè auditus est in terra nostra. Hoc erit iucundissimũ Christo, qui tãto suo sudore hortum nobis conseuit, & affluentem floribus, & abundãtem balsamo. Neque ideo diuinus ille turtur gemit, quia cyprus, id est, arbor balsamo perpetuò sudans toto corpore decorticatur, & inciditur; sed quia salubris ille, atque cœlestis liquor tam parcè colligitur, tam negligenter seruatur.

Christus libenter se omnibus impendit.

Ficus protulit grossos suos.

64. Ficus cùm primùm fundit fructum, depulsæ iam hyemis argumentum est. Hîc verò grossus est, quem verum fructum non esse, sed veri quasi procemium quoddam dicit Nyssenus Oratione septima in Cantica. Idem pene Hieronymus in Mich. cap. 7. vbi ait, fructus illos ineptos esse ad vescendum, quos facilè excutit ventus, si sit immoderatus. Ambr. lib. 7. in Luc. c. 3. *Ficus*, inquit, *ab initio germinat poma pro floribus; in aliis flos decutitur, & poma nascuntur, in hac poma decidunt, vt poma succedant.*

Histor. Grossus quid.

Quòd grossi sint ad cibum inepti, facilèque decidui, omnium pene cõsensio est. Certè Cato de re rustica cap. 94. docet quemadmodum grossi retineri possint, ne cadant. Sit sanè hoc verum, quod docet Nyssenus, & Ambr. sub alio cœlo (nec enim puto tot, & tantos viros hoc fuisse dicturos, nisi longo experimento didicissent) sed certè grossi in Hispanico solo multis in locis, & maturitatem suam habent, & esui inhabiles non sunt. Imò in Palæstina esse maximè dulces, expetitque adeò, vt illorũ suauitas, & auiditas in Prouerbiũ abierit, probabile fit Mich. 7. vbi Deus studium suum vidẽdi bonos expressit eo studio, quo grossi desiderari solẽt. *Præcoquas ficus desiderauit anima mea*, id est, sicut præcoquas ficus: nã similitudinis nota ab Hebręis omitti solet. Et Oseæ 9. *Quasi vuas in deserto inueni Israël: quasi prima poma ficulnea vidi patres eorum.* Et Isaiæ cap. 28. multo clariùs, vbi pro temporaneo, Heb. est בכורה *Bicurah*; eadem nempe vox quæ suprà apud Micheã, & Oseam. Significat primum ficulneæ fructum, & ita vertunt LXX. qui Punica Dialecto, quæ ab Hebraicis ducta est, *Albacora* dicitur, valétque idem, quod apud Hispanos *Brebas*. Sic ergo Isaias c. 28. cùm vellet ostẽdere, qua auiditate Assyrij terminos Israël inuaderent, qua facilitate diriperent; *Sicut temporaneum*, inquit, (id est, grossum) *ante maturitatem autumni, quod cùm aspexerit videns, statim, vt manu tenuerit, deuorabit illud.* Quare neque temerè dicturus videor, si ab sponso putem euocari sponsam, proposita grossorum suauitate, qui in deliciis sunt, vt vidimus, & maximè palatum oblectant. Maturos autem esse grossos eo tempore in Palæstina, mihi difficile non est, quandoquidem sub æquinoctiũ vernum in ea regione hordeaceæ fruges maturæ sunt ad messem, à qua non longè abesse solet grossorum maturitas. Meminit autem sponsus ficuum accommodatè ad agrum Hierosolymitanũ, vbi hæc arbor in hortis frequẽs, & cùm pacis, & otij commoditas adest, homines sub ficu, & vite requiescere dicuntur. Existimo autem in hortis Engadditanis non solùm esse cyprum, licèt maior ibi sit opobalsami,

Grossorũ suauitas.

Michea 7.

Oseæ 9.

Isai. 28.

balsami, quàm aliarum rerum prouentus; sed etiam ficum, & vitem, & Punicam malum: quia in hortis ea præcipua commendatio est, si sit ex arte topiaria arborum, herbarúmque disposita varietas; vnde sæpe harum plantarum mẽtio fit. Hinc constabit, qualiter vineæ dicantur florere, & odorẽ emittere; quod sanè non tam habent à vitibus (quarum laus à fructu pene solo) quàm à succo cypri, & ab aliarum arborũ odore præcipuo. Sanè in vineis plantatas esse ficus Christus docuit Lucæ c. 13. *Aborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua.*

Vineæ florentes dederunt odorem suum.

65. EX flore, & odore colligimus, nõ esse vitem; sed aliam arborem, scilicet cyprum, de qua suprà. Illud verò סמדר *Semarad*, pro quo vulgatus habet *florentes*, incertum est quid significet, cùm tantùm reperiatur in his Canticis. Communiter dicitur significare vuam tenerrimam, cùm primùm flos excidit, ita vt sit idem, quod *vineæ germinantes*. Sed videtur aliquid significare communius; vnde Septuaginta verterunt κυπρίζουσαι, id est, *cyprizantes*; vbi apertè docent odorem, & florem cyprorum esse, non vitium.

In foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.

66. SPonsa propter pudorẽ virginalem, tum propter hyemis tempestatem immitem domi latere intra claustra fingitur; imò & cubare in lectulo lotis pedibus, & deposita tunica, vt ipsa fatetur cap. 5. Quam sponsus ex abditis domi penetralibus euocat, vt liberum spiritum ex libero, ac sereno cœlo trahat.

Ostende mihi faciẽ tuam: sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora.

QVi molli in alios sunt animo, & amoris facibus inflammato, nihil non amant, quod ad illos quoquo modo pertineat. Quare in aspectu, & forma oculos pascunt; voce oblectant aures, & vel ipsas captant vmbras, & mutas effigies, in quibus vel obscurum aliquod agnoscunt rei amatæ vestigium. Hæc plana sunt, neque nudus hic cortex alia indiget expositione. Quomodo verò facies decora possit esse, cùm adhuc sponsa intelligatur nigra, quãdo hæc audit; aut vox dulcis, cùm sit inurbana, & valdè agrestis, & absona; dicemus statim in morali sensu.

Surge amica mea, &c. *in foraminibus petræ*, &c.] Timida fingitur spõsa, quæq; loci, ac temporis asperitatẽ subire nõ audeat. Ideo sicut columbæ, vbi tẽpestatis horror, aut suspicio est, in suis se foraminibus continent, neque audẽt pluuio se credere cœlo; sic anima, quæ nondũ experta est, quantùm sit iucunditatis in illis, quæ cũ natura sua dura sint, ac amara, à Christo tamen habent non modò vt tolerabilia, sed etiam vt optabilia sint. Horret cœli aperti, solisque duri, quam grauem putat esse, inclementiam; nõ audet sub dio pernoctare cum spõso; cubile amat, & ibi se fouet, atque indulget, sicut in suis lustris nonnullæ feræ, & reptile animantium genus in suis cauernis hyberni temporis incommoda declinãt. Ex hoc ergo recessu, atque mol- Allegor. 67. Vitæ mollities abiicienda.

litie sponsam euocat, affirmans à se satis esse prouisum, nequid sit in his nuptiis, quod timere possit: nā licèt cum crucifixo spōso, & quem infixū in limo profundi tempestas demersit, ineunda sint ista connubia, & in eodem præsepio, ac cruce, tanquā in geniali thalamo conuiuendum, aut etiā commoriendū, & simul qualecumq; est, matrimonij huius subeūdum iugū; tamē quidquid in eo iugo oneris esse potuit à facie olei, quod à cypro copiosè ex putatione manauit; ita cōputruit, vt nulla pars ad fidelem, amantémq; animā ex ea quæ videri poterat, molestia perueniat. Quare gustato, atq; explorato, quàm non sit amarum vti se gelu, atque æstu in cōplexu, aut conspectu spōsi, vltrò ipsa spōsum ad agros, & vineas inuitat c. 7. adeò nonhorret.

Iugum Christi suaue.

68. *Ostende mihi faciem tuam.*] Ostendimus alibi hanc orationem à sponso habitam, cùm sponsa neque prosiliisset à lecto, neque sponsum ingrediendi cupidū admisisset; de quo capite 5. Ex quo liquet, tunc colore fuisse nigram, cùm ostendi sibi faciem spōsus iubet. Id ergo agit amās, & liberalis sponsus, vt sponsam, quę inter medios cleros dormierat, nigrorémque traxerat, nuptiis minùs opportunum, cādidam reddat instar niuis. Ita pene Orig. Hom. 4. in Cāt. qui ideo putat sponsum velle ostendi sibi faciem, vt videat, an aliquid veteris hominis in ea resideat, quod abstergi debeat. Quod sanè acutum in hac amoris acie telum est: nā offert sponsus vltrò, quod viri sancti cum gemitibus assiduè postulant. Psal. 10. *amplius laua me.* Quòd si qui Christi sanguine mundati non sunt, faciem habēt non suam, sed eorum, quibus se peccando similes fecerunt. Id videtur cupere sponsus, vt facies, quæ ad inanium, & sordidarum beluarum deformitatē abierat, reformetur, talísque occurrat, vt diuinæ imaginis, ad quam formata est, splēdorem aliquem ostendat. Quam expositionē insinuant tres Patres apud Theodoret. Optimum sanè documentum iis, qui in meditatione se, suáque diuinis oculis proponunt; id enim agunt, nisi otiosam illam operam assumunt, vt si quid est in animo sordidum, detergant; si quid impressum ab aliena forma, id prorsus exurant, & ad imaginis diuinæ nobilitatem, splendorémque restituant.

Oratio nō otiosa.

Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.] Mirum sanè quòd faciem illam decoram appellat, quam esse nigram sponsa ipsa fatetur, & vocem dulcem, quæ tamen nihil videtur esse potuisse magis absonū, rusticum, & inconditum. Quid enim absurdius, quid agrestius, quàm clamanti molliter sponso, & nocturnam pruinam, quæ stillabāt cincinnorum fimbriæ, obiicienti respondere non inurbanè modò; sed etiā crudeliter, depositam esse iam tunicā, idest, iacere se in lecto; atque adeò sibi durū videri lectū relinquere, & vestes resumere; lotos iam esse pedes, neq; sibi furorū esse gratum, si rursus inquinentur? 69.

Si nigra fingatur spōsa (vt quibusdā placuisse diximus in cortice) propter persecutionē Tyrannorū, ita vt tota illa, quę videtur esse deformitas, externa omnino sit, quę internā pulchritudinē potiùs illuminat, quàm contaminat, nō dubiū est, quin gratissima appareat cœlesti sponso. Sed quia aliquid fœdū esse fingitur in ea rustica, atq; alienigena puella, quod detergit, ac corrigit sponsi benignitas, aliter occurrendum est, dicendúmque iuxta sacræ Scripturæ consuetudinem (de qua pluribus in cortice, & cap. 1. in illud, *Introduxit me Rex*) faciem decorā videri, quia breui

Spes peccatori oboritur veniæ & gratiæ.

breui futurum est, sponsi liberalitate, vt pulchra sit. Ac si sponsus velit timorem, siue pudorem eripere, quo impedita sponsa tam decori sponsi recusaret oculos subire, dicatque, vt oblita nigroris à custodia vinearum adsciti, securè prodeat, persuasa se iam esse candidam. Bono itaque animo esse iubet, quando tam prompta, atque expedita est Dei liberalitas, cui facile est subitò honestare pauperem. Quis iam quantumcumque suorum scelerum fœditate, ac multitudine niger de salute sua, ac sponsæ dignitate desperet, cùm Deus tam amanter vocet, ac inuitet, quam tantopere superioris vitæ turpitudo fœdarat?

Sed de *voce* adhuc quærendum, cui nullo modo videtur inesse suauitas potuisse, cùm sponsum inurbanè repulerit, & eam ob rem mulctata esse dicatur, sublato pallio, & acceptis plagis. Sed est nō difficilis solutio: quia cùm spōsus dulcē esse dicit spōsæ vocē, nondū agrestē se, & inurbanā ostēderat, cùm in lecto pigritiās causas obtendebat ineptissimas. Quæ tamen iam antè sponso sæpe responderat humaniùs, & alia amoris sui documēta dederat non obscura. Iam ex Hermon, & Sanir, id est, è natali solo in Solymitanam vrbem, sponsi domum ascenderat: iam cœperat sordes ex patrio, ac peregrino puluere collectas abstergere; iam pedes abluerat. Sed erat adhuc in vita illa vrbana, id est, spirituali, rudis, atque nouitia, atque ideo durum videbatur lecti relinquere mollitiem, aut leuiores etiam molestias suscipere; quas pro Christo perferre in deliciis numerant, & beneficii loco feruentes animæ, & in virtutis studio longiùs progressæ. Ab ea, siue ruditate, siue languore spiritus nata est absurda illa, atque importuna vox, *Expoliaui me tunica mea*, &c. Sed in illa infirmitate, rudíque tyrocinio spiritualis vitæ voces sunt aliæ, quas elicit, & sponsi amor, & supernarū rerū desideriū, quæ sitientes spōsi aures vehemēter oblectāt; vt in his qui à sæculo paulo antè ad Religionis claustra confugiunt, experimur quotidie. Ad has credo cœlestem sponsum respexisse, dum sponsæ vocem dulcem appellat; neque enim verisimile est, vocem illam sponso videri gratam, à qua ipse pruina madidus, & tanta auiditate pulsans fores reiectus est; neque tam acriter, & sui desiderio, & longa aberratione, plagísque mulctasset, nisi in illa voce aliquid sonaret, quod ad eius aures absonum, & ingratum accederet. Adde quòd, vt nuper diximus, vox hæc inurbana tunc audita non fuerat: quare de quauis alia potiùs, quàm de hac loquebatur spōsus, cùm dulcem esse canit.

Sed vide singularem Dei humanitatem, amorísque naturam, qui in eo quem amat, siquid incidit minùs quàm pro dignitate, aut officio de eorum, aut dissimulare solet, aut minuere; quod tamen in aliis neque fortasse tegeret, neque ferret patiēter. Quod licèt minùs ex animo accidat, adsunt tamen aliæ suauitates, vel cōmoda quæ deterunt, aut eleuant quidquid aliunde prouenire potuit molestiæ. Probat hoc quotidie parentum in liberos amor, & indulgentia, à quibus libenter, & cum arrisu audiunt impeditam vocem, titubantem, & blæsam; & in illa infantili balbutie aliquid semper sonat, quod ament, & mirentur. Quòd si quid est in illis vitiosum, ac fœdum, honestiori ipsi notant, aut minùs certè indecoro vocabulo, naeuum, qui in corpore macula

71. Eorum quos amamus, leuiora videntur errata.

est,in filio gemmam aiunt esse, vel lumen; pætum vocant paterno blãdimento, quem propter distortos, atque peruersos oculos alij meliùs appellant strabonem. Qua de re Horat.lib.1.Sat.3.Cice.lib.1.de natura Deorum, & omnium optimè Plato lib.5. de Republica.

Ad hunc ergo modum intuetur Deus,quos agnoscit filios,& quam habet sponsam:cùmque ab his sæpe audiat, quæ minùs aut Regiam sobolem,aut sponsam deceant, quæque ipse minùs probet, imò puniat aliquando seuerè;quia tamen ab illis habet sæpius,in quo se oblectet, illorum simpliciter vocem sibi iucundam esse dicit; quia aliorum meritorum magnitudo,& assiduus officiorum cursus obscurat, atque obterit si quid interea leuiùs peccatum est.

Capite nobis vulpes paruas, quæ demoliuntur vineas.

72. Histor. ALia ratio, cur sponsus amari debeat,est,quia sollicitè inuigilat nostris commodis, scilicet vt sua in nobis beneficia non solùm tueatur,sed etiam augeat. Habebat sponsa vineam sponsi dono egregiè sanè,& instructam,& vberem,hanc ne populentur,& perdant vulpeculæ cauet sponsus,eo vel maximè tẽpore,quo gemmãt arbores: nã tunc tota plantarum vbertas,& exuri facilè,& extingui solet. Meminit potiùs vulpecularum, quia Palæstina

Vulpibus abundat Palæstina. illis mirè abundat; quare in ruinis Ierusalem Threnorum 5. habitare dicuntur vulpes:& Samson trecentas vulpes breui venatus esse commemoratur Iudic.cap.15. Sunt autẽ vulpes arboribus infensæ,& noxiæ, quia maturis fructibus insidias, & arborum truncis pestilenti morsu perniciem,& tabem moliuntur.

Quidam illud *paruulas*, non *vulpibus* adiungunt,sed *vineis*,hoc sensu.Capite nobis vulpes,quę paruas, id est, teneras, demoliuntur vineas. 73. Ita diuidere, exponeréque videntur Ambros.Sermone 11. in Psalm. 118. v. 8. Hieronymus in illud Ezech. cap. 13. *quasi vulpes in desertis*; dum dicunt arcendas esse vulpes à vineis,dum teneræ sunt: & apertè Philo Carpathius. Sed communis explicatio magis est apta rerum naturæ,à qua abesse non debet allegoria; neque enim vites florentes populantur vulpeculæ, quæ non tam frondes, aut flores captant, quàm vuas iam maturas:neque aptè vineę teneræ,ac florentes paruulæ vocantur;aptissimè verò vulpes, quæ exiguæ sunt inter alia animalia, quæ gregibus insidiantur, aut agricolarum labori,ac fructui nocent, quales sunt apri, leones,vrsi. Atqui, dices,cur sponsus ideo capi vulpeculas iubet,quia vinea floret,si florenti vineæ vulpis infesta non est? Respondeo,hoc esse prudentis patrisfamilias prouidum consilium:nam cùm in vinea florente sese iam ostẽderet spes vbertatis; ne postquam erumpentes tunc vuæ maturescerent,in illas sagax illud animal insiliret,extingui iubet maturè,ne postea nihil proficeret sera prouidentia.

Fortasse hoc loco sponsus significat,quo tempore commodiùs capi vulpes possunt, & occidi,nempe sub messem: quo tempore Samson trecentas cepit vulpes, Iud. cap. 15. Ita putat Serarius in illum locum c.3.vbi in hunc sensum explicat illud,*nam vinea nostra floruit*. Neque 74. Principiis obstandũ.

ratio

ratio deest huic opportuna cogitationi: nam eo tempore, quo à Samsone trecentæ captæ sunt vulpeculæ, & quod hoc loco à sponso designatur, nempe quo vineæ florent, & ficus protulit grossos suos, scilicet sub æstatem, & messem (*cùm enim ficulnea ramus tener fuerit, & folia nata*, Christo ipso teste Matt. 24. num. 32. *scimus quia propè est æstas*) eo inquam tempore vulpes paruæ sunt, & quæ facilè cursu capi, aut in foueis, & latibulis comprehendi, & opprimi possunt. At postquam adultis aliquid roboris, & sagacitatis accessit (id est, sub autumno, quando vua matura est, & proxima vindemiæ, quo tempore damnum timeri potest) non ita facilè: quia aut cursu effugere canum velocitatem, aut calliditate eludere venatorum artem, atque consilia didicêre. Neque sanè sine causa præcepisse videtur prouidus sponsus, vt vulpes capiantur pusillæ, quia grandes postea nõ ita facilè capiuntur. Et facit ad hanc explicationem, quod in textu Hæbraico bis ponitur vulpium nomẽ, hoc modo. *Capite nobis vulpes, vulpes paruulas.* Ac si dicat: capite vulpes, vulpes, inquã, patulas; ne postea cùm adoleuerint, commodè fieri nõ possit. Hæc mihi explicatio valdè placet: quia prouidum sponsi consiliũ ostendit, & rationẽ aliquam indicat non ineptam, cur pusillæ vulpes capi iubeantur.

75. Allegor. *Capite nobis vulpes, &c.*] Sponsi sine dubio verba sunt hæc, quibus exitum in hortos, & commodum, & tutum esse dicit sponsæ. Hortum descripserat elegantem, & placidũ; nunc sibi curæ futurum esse dicit, ne ipsius species ac fructus deflorescat ac pereat. Vt spõsa infrà cap. 8. sponsum sibi dicit esse vineam, neque velle se ab alio capere voluptatem, aut fructum; *Vinea mea*, inquit, *coram me est*: sic, puto, nunc sponsus affirmat spõsam sibi esse pro vinea, in qua se oblectet. Et sanè populum Israëliticum suam sibi vineam appellat Isai. cap. 5. seu certè, quod in eandem pene sententiam incidit, agit hîc de dotali vinea, qua Hebræorum more, vt cap. 1. diximus, spõsam sibi coëmit. Illa verò est vel sanguis Christi, iuxta id Act. 20. de Ecclesia, *quam adquisiuit*, inquit, Paulus, *sanguine suo*: certè virtutes, & dona, de quibus Oseæ cap. 2. *Desponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & in misericordia; & in miserationibus.* Hęc ergo vinea, siue spõsa sit ornata virtutibus, & initiata iam Christi sanguine, destinatáque ad thalamũ, seu virtutes ipsæ, ac sanguis, florere tunc incipient, quando primùm in animo virtutum flores, id est, signa, atque prognostica properantis iam fructus sese aperiunt. Quæ quia Christi sanguinis effectus sunt, Christi etiam sanguis in animo florere dici non incommodè potest. Sicut ergo in flore aliquid est tenerum, cui semper timet prudens agricola; quia fieri potest, vt à vento excussus, aut exustus gelu vim amittat vbertatis futuræ: sic etiam in anima, vbi tener est adhuc virtutis flos, vel incipit fructum Christi sanguis producere, vt in hac sponsa non ita dudum à Gentibus euocata, nisi cura adhibeatur assidua, & diligens, exuri solet, aut vanescere, si glacies immineat; quod Solis recessu plerumque contingit aut si Aquilonis perflet vehementior vis. Id ergo agit teneræ, & nunc primùm germinantis vineæ sator, & custos Deus, vt sua in anima beneficia tueatur, quibus quotidie ab inimicorum insidiis, & tentationibus impendet ruina. Et ideo vernale tem-

Prouidẽdum diligenter virtuti, cùm adhuc est tenera.

pus

pus aduocat, gemmanti tunc vineæ, & florenti accommodatum, à quo, & hyemis rigor abest, & æstatis ardor, affulgétque mitior quædam, & magis opportuna téperies. Eandem etiam ob causam arceri, & capi vulpeculas iubet, in quibus alia continentur siue impedimenta, aut incrementa virtutum, siue nocumenta ad earum iacturam.

76. A minimis cauendum. Hîc verò notanda est sponsi cura prouida, ac solers, qui vult exiguas etiam vulpes capi: nam in re spirituali à minimis quoque cauendum est; maximè si eius sint naturæ, vt augeri possint. Hæ verò in ipso statim principio, antequam aliquid roboris assumant, opprimēdæ sunt; tunc verò maximè, quando vinea floret, id est, quando quis primùm vitam spiritualem aggreditur; in illis enim quasi virtutum incunabulis graue est quodcumque incommodū, vel offēsio, licèt ab imperitis existimetur leuis: facilè enim excutit, aut exurit tenerū illū florē, in quo futuræ vbertatis spes continebatur. Diximus aliqua in literali sensu, quæ huc valdè faciunt, vt quòd opprimendæ sunt vulpes, quando paruulæ sunt, neque cùm ætate aliquid accessit calliditatis, & roboris. Nam licèt cùm paruulæ sunt vulpes, id est, ineunte vere, nocere vribus non possint, quia nondum vuæ maturuêre; tamē ad vuarum incremēta, suum quoque vulpeculę incrementum accipient, fructúsque postea populabuntur, & perdēt. Principiis igitur obstandum, ne mora conualescat malum, & quę principio facilè, deinceps, aut nullo possint modo, aut non nisi difficili depelli, aut frangi. Est hæc sentētia apud Sāctos frequentissima; ex omnibus pauca hęc accipe Chrysost. Homil. in Psal. 6. *Quando ergo paruam animi perturbationem susceperis, ne eam neglexris, quòd parua sit, sed considera quòd id, quod ex ea alitur, maxima mala parit. Etenim postquā in domo aliqua paruam stuppa accensam viderimus, conturbamur, & tumultum mouemus: non enim attendimus initium; sed ex initio finem considerantes, mouemur, & cōcurrimus, vt totum caminum extinguamus. Hoc igne vehementiùs animam exedit vitium. Oportet itaque præuenire. Nam si fuerimus negligentes, id correctu euadet difficilius. Hoc viderit quispiam euenire etiam in nauigio, & conturbari nautas, non quando mare iam superare, sed quando id facturum esse viderint. Ne simus ergo in paruis peccatis socordes, sed ea reprimamus cum magna vehementia, vt liberemur à maioribus, & bona futura consequamur.* Greg. lib. 21. Moral. in 31. cap. Iob cap. 7. in verba illa. [*Etsi in manibus meis adhæsit macula.*] *Quomodo*, inquit, *macula in manibus, id est, culpa in actionibus inhæreret, quam censura disciplinæ non sinebat in cogitatione proficere? Neque enim culpa ad opus prodire permittitur, si intus, vbi nascitur, extinguatur. Si autem tentationi in corde nascenti festinè non resistitur, hac eadem qua nutritur mora roboratur, & existens foris in operibus, vinci vix praualet; quia ipsam intus membrorum dominam mentem captiuam tenet.* Hyeron. ad Eustoch. de custodia virginitatis: *Dum paruus est hostis, interfice: nequitia, ne zizania crescant, elidatur in semine. Audi Psalmistam dicentem: Filia Babylonis misera: beatus qui retribuet tibi retributionem tuam, quam tribuisti nobis: beatus, qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram. Quia enim impossibile est in sensum hominis non irruere innatum medullarū calorē, ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui vt cœperit cogitare sordida, statim interficit cogitatus, & allidit ad petrā: petra autē Christus est.*

Quidam

Quidam hæc verba sponsæ tribuunt: neque sanè deest coniectura, quam sequantur. Audierat sponsa pulchram esse vineam, réque ipsa eo temporis articulo, quo hæc repetuntur, experta fuerat. Hîc verò non alienam recolit orationem; sed suā orditur, ac dicit, curaturā se, ne quid ex tot sponsi sui beneficiis intereat. Quare dandam esse operam constantem, & sedulam, ne vulpes paruulæ in illam tam officiosè, & luculenter instructam sponsi possessionem irrepant; quò decor ille tanta sponsi prouidentia, atque sudore quæsitus, à noxio vulpecularum morsu, vel halitu illibatus conseruetur. Quod sanè præstare accuratè debent, qui diuinum munus amant, & colunt, ne quod pretiosum est, propter aliquam leuem offensionem amittant. Omnes ergo animi sui vires sponsa fidelis aduocat, oratque Angelos custodes vineæ, vt excubent sedulò, ne quid vinea detrimenti capiat à vulpinis artibus: imò vt capiant illas, dum adhuc paruæ sunt, & extingui possunt; ne vsu, atque ætate confirmatæ plus negotij custodibus, & plus periculi vineæ moliantur. Hæc videtur non inepta sententia, licèt magis apta videatur prior.

Dei beneficia conseruanda.

Dilectus meus mihi.

78. *Histor. In amore vicissitudo.*

HIc concludit sponsa debere se totam sponso suo propter commemorata officia; ac si dicat: Si sponsus totus de me cogitat, & totus est in me, tota in eius amore esse, & vnum illum tota spectare debeo. Suspicor autem hanc esse cantilenam omnibus hymenæis communem; quia est accommodatissima coniugum amori mutuo significando; quæ hîc sæpe repetitur, postquam cōmemorata sunt sponsi aliqua beneficia. Neque absimilis est hæc cantilena illi Romanorum siue cantico, siue solēni in cōnubiis formulæ, *vbi tu Caius, ego Caia.* de cuius interpretatione vide Plut. in Problem. Rom. qui cēset his verbis spōsos pacisci, omnia vt communia sint, vt sponsa omnia ab spōso recipiat, & eidē omnia vicissim reddat: & relictis etiā parētibus sibi omnino & in amore respondeant, & prorsus adhærescant, iuxta diuinum præceptum Gen. 2. Quod etiam docuit Plato in lib. 5. de Republica. *Curat quisque maximè id, quod maximè diligit: scit enim amatus, vt par pari referat hominem debere pro homine.* Sed meliùs, & breuiùs Cyprianus Sermone de Ascensione. *Homo, cuius Deus est, quid amplius quærit? Sufficis tu Deo, sufficiat tibi Deus.* Ita etiā Theodoretus, qui adducit illud 1. Cor. 6. *Corpus autem non fornicationi, sed Domino: & Dominus corpori.* Sic ergo sponsa non omnino par redderet, si sui sibi aliquid retineret.

79. *Dilectus meus mihi, & ego illi.*] Commemoratis sponsi tot ac tam illustribus meritis, id est, acutis telis, quibus charitatis aciem sponsus instruxit; ostendit iam sponsa, quomodo tanto officiorum, ac amorum ponderi succubuerit. Et quidem vulneratam se à charitate dixerat priùs iuxta LXX. versionem, qui pro, *quia amore langueo*, reddiderunt, *quia vulnerata charitate ego.* Nunc verò quid vulnus illud effecerit in animo sic affecto, ostendit: illud verò est, vt sponso in officio, atque in amore respondeat, & tota sit sponsi, sicut sponsus ipsius totus est; vt sint similes, quoad fieri potest: coniuges enim matrimonium, etsi dissimiles inuenerit, similes facit. Quare si sponsus

Allegor. Anima Deo in officio respondere debet.

dicitur Salomon, id est, pacificus, sposa Sulamitis dicitur, id est, pacifica, licèt peregrina, atque alienigena fuerit: lilium vocatur sponsus; lilium item vocatur sponsa: debet ergo sponsa officia temeriri, si similis videri vult. Vnde si per cancellos sponsus intuetur sponsam, per cancellos item sponsa suum intuetur sponsum. Cancellos autem dico legem, & Euangeliũ: nam nisi per hæc Christum intueamur, nihil minùs quàm Christum intuebimur; quod enim per alios cancellos nobis se spectandum præbet, id est, quod à nostra propria voluntate proponitur, & non à lege, aut à voluntate Christi in Prælatis expressa, Pseudo-Christus est. Sponsa ergo datam sibi legem à Christo libenter suscipit, neque ab ea dimouet oculos; & tunc verè per cancellos prospicit. Et quemadmodum sponsus, vt ceruus currit, transiliens colles, id est, difficultates superat, vt sponsam ornet; sic ipsa, vt sponsi voluntati seruiat, quidquid difficultatis inciderit, alacriter adeat, & constanter superet. Denique sicut sponsus ad eius commoditatem se demittit, sic ipsa totam se ad sponsi mores, & voluntatem fingat; neque enim
Religiosus verum Deum intuetur. aliter verè dicet, *Dilectus meus mihi, & ego illi*. Dicit verò Ambros. in Psalm. 118. octon. 8. v. 1. hoc præcipuè cadere in eos, qui totos se Deo consecrarũt, putà Sacerdotes, Religiosos, & c. illi enim, renũtiato sęculo, vni Deo viuũt, in eo aquiescunt, & si quid aliud est, alienum putãt.

Qui pascitur inter lilia.

80. Histor. Amantiũ blãditiæ. EXplicat sponsa quis sit dilectus suus, nempe pastor; neque è vulgo pastorum, sed cuius pascua sint amœnitatis, & venustatis plena. Proprium est amantium, qui & amorem suum valdè amant, & aliis probare student, dilectis affingere quæ dulcissima sunt gustatu, auditúque, ac visu pulcherrima, illisvel inesse cantant, vel vt insint precantur. Vnde frequens est in illorum ore, vel cùm de absentibus sermo, qui nunquam ipsis inrempestiuus inducitur; vel cùm præsentibus blandiuntur, *nectar, ambrosia, mel, rosa*, &c, *quod hyblam sapit, Atticósque flores*. Et eò vsque amantium procedit insania, vt etiam audeant arffirmare non solùm amatos esse v.g. floridos, sed floridum reddere locum in quo cubãt, quem calcant pedibus, quem vident oculis. Ex hac consuetudine dixit Virgilius Eclog. 4.

Ipsa tibi blãdos fundẽt cunabula flores.

Et Ecloga 7.

Phyllidis aduentu nostra nemus
omne virebit.

Et Eclo. 5. de Daphni iam mortuo.

Pro molli viola, pro purpureo narcisso
Carduus, & spinis surgit paliurus acutis.

Hinc illud Persij Satyra 1.

——è tumulo, fortunatáque fauilla
Nascentur violæ.——

Et idem Satyra 2.

—quidquid calcauerit hic, rosa fiat.

Bucolibum ergo morem sequuta sponsa, atque amatorium, affirmat à dilecto suo nimiùm fortunatum gregem pasci inter lilia, vel quæ vltrò fundit ager gratificatus sponso, vel quæ ipse roseo vultu euocat, vel calcatu producit.

Porrò illud *pascitur*, Hebraicè actiuum est. Fortasse passiuè exposuit noster Interpres, vt ostenderet molestum non esse laborem illum sponso, cùm sit

Formosi pecoris pastor formosior ipse;

& ex

& ex ea cura mirificã hauriat voluptatem. Pasci enim, oblectari est: vnde dicimus, *animum pascere, & oculos pictura*. Pascitur ergo inter lilia, id est, oblectat se; Hispanè, *se entretiene y solaza*.

Est qui contendat, *lilia* hîc pro rosis sumi, aut alio genere florum, quia non putat lilia in propria significatione gregibus opportunum esse pabulum. Vt enim illa odore sint grato, non tamen faciunt ad illorum stomachum, atque ideo neque cogente fame adigi possunt, vt illa carpant. Hoc fortasse verum, non tamen idcirco in alia significatione, quàm propria sumendam esse puto *liliorum* vocem; nam licèt lilia gregibus alimento non sint; at pascua, quæcunque illa sint, maximum habent ornamentum à candenti lilio. Quare quæ pulchra sũt, vallata dicuntur, aut intexta liliis, vt de ventre sponsæ dicitur Cant. 7. qui fœcundus dicitur, & pulcher; *sicut acervus frumẽti vallatus liliis*. Neq; prætetea sponsi pecus dicitur hoc loco liliis, sed inter lilia pasci, id est, in pascuis vberrimis, quæ liliorum candor intertexit; ita vt illis nihil desit, quod permulcere palatum, nihil quod videndi, aut odorandi sensum oblectare possit.

Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.

82\. OBscurus est hic locus, & variè explicatus. Quidam referunt ad illud; *Dilectus meus mihi, & ego illi*: & tunc sensum esse putant. Quandiu temporis erit vicissitudo, ita vt dies vmbræ, id est, nocti, & vmbra diei succedat, tamdiu noster constabit amor: vel, quandiu dies aspirabit (nam Sol oriens spiritum, siue auram excitare solet, ex Arist. Problem. sect. 25. quæstione 4. & Plin. lib. 2. cap. 47. Seneca lib. 5. quæstionum naturalium cap. 7.) seu quandiu vmbræ erunt instabiles (quia variæ sunt pro Solis vario motu; vnde LXX. verterunt *κινηθῶσι*, id est, *moueantur*) & quia hæ nunquam instabiles non erunt; sic etiam noster amor nunquam non erit stabilis. Ita videtur sentire Bernardus Sermone 7. in Cantica, dum dicit hîc circunscribi æternitatem.

Alij referunt ad illud, *qui pascitur*; sed hi variè. Quidam ad meridiem; ita Iustus Orgiletanus: & tũc sensus est, pasci sponsum donec vmbræ pene euanescant; quod in meridie contingit. Eo verò tempore à pascuis abducuntur greges. Et quidem dicit Seneca suprà; *Ad medium diem venti languescunt, nec vnquam vsque ad meridiem aura producitur.* Alij tamen verisimiliùs, & ad nuptiarum institutum accommodatiùs de Solis occasu interpretantur, quia exponunt de vitæ fine. Sic S. Thomas, Beda, Theodoretus, Carpathius, Greg. Papa, & Ambr. & alij hîc. Dicit verò sponsa, à dilecto suo tandiu pasci se (id est, oblectari) inter lilia, & ipsum quoque liliis (quæ pro omni genere florum sumuntur) donec veniat fructus, id est, nox, quando fient nuptiæ. Hîc verò à nobis sunt multa explicãda.

Quemadmodum matutino tempore aspirare solet aura, sic etiam inclinato iam die, & appetente nocte. Ita Arist. docuit Problem. c. 25. sectione 4. vbi dicit, *flatum incipere, aut ortu, aut obitu Solis.* Et sectione 26. quæstione 54. dicit, *Zephyrum ventum saluberrimum, & temperatissimum aspirare cùm Sol ad occasum vergit.* Idem Plin. lib. 2. cap. 43. Vespertinam verò auram, tãquã rem consuetam, & notã, posuit Virgil. signũ

83\. Ventus aspirat inclinante die.

imminentis noctis lib. 7. Æneid.

Aspirant auræ in noctem.———

Quod magis in vsu esse apud Hebræos arbitror, quibus cùm Moyses ostenderet, quo tempore Dominus Adamum violatæ legis coarguerit, *venisse* dicitur Gen. cap. 3. *ad auram post meridiem*; pro quo Septuaginta, *ad vesperam*. Idem Chaldæus, Symmachus, & Aquila, *in vento diei*. Theodotio, *in spiritu qui est versùs refrigerationem diei*. Vide Hieronymum in quæst. Heb. super Genesim. Pagninus, & Vatablus, *ad auram diei*. Aug. legit, *ad vesperam*. Et sicut etesiæ dicuntur venti anni, siue anniuersarij, quia certo anni tépore aspirant; sic puto ventum diei; siue matis, diariũ, eum ab Hebræis appellari, qui est sub vesperã. Et ita hoc loco interpretatur Abenezra.

Genes. 3.

84. Secundò, *inclinari vmbram*, pro quo Septuaginta vertunt, *moueri*, & Hebræi *fugere*, satis indicãt hîc sermonem esse de vmbra pomeridiana; nam ante meridiẽ non videtur moueri, cùm contrahatur potiùs, & videatur stare; quando altissimum cœli locum Sol obtinuit; secus est quãdo Sol iam occĩbens in opaci corporis latus directò incurrit, & eius oppositu vmbras proiicit longiores, iuxta illud Maronis;

Et Sol crescentes decedens duplicat vmbras.

Et certè de vespertina vmbra est illud Psal. 101. *Dies mei sicut vmbra declinauerunt.* Et Psal. 108. *Sicut vmbra cùm declinat, ablatus sum*: nam tunc producitur longiùs, & cùm videtur statum meliorem consequuta, propè est vt euanescat, & in cõmunem mũdi vmbram, id est, noctẽ, se condat, nullo sui cursus relicto vestigio.

Psal. 101.

Psal. 108.

85. Tertiò obseruãdum, totum diẽ in hortis poni; nã multo manè vocata est sponsa, & nocte reducta est domũ, vbi sponsi coronati indulgẽt cum sodalibus choreis; & his ludis, voluptatibúsque, quibus & fallunt, & sustinent illum amorem, cui peracto illo diurno spatio, satisfaciẽt. Illa verò dici possunt non incõgruè *lilia*, id est, præuiæ voluptates, quæ nuptias antecedunt, sicut & flores fructum; quę etiam vmbræ possunt aliter appellari, id est, nuptiarum symbola, quibus inclinatis, atque submotis corpus succedat. Vt enim ex dicendis constabit, in ferculo, & vestibus, toto denique hoc Epithalamio optimi coniugij forma, & vmbra describitur.

Ad extremum notãdum, ex hortis nuptiali pompa non priùs sponsos domum reduci, quàm nox admoneret: erat enim solemne tum apud externos, tum etiam, vel maximè apud Hebræos nocte nuptias inire. De externis satis cõstat ex Homero Iliad. Σ. vbi in Achillis clypeo, cùm nuptias describit, & hymenæum, lampades adhibuit: & ex Catullo; 86.

Nocte per actæ nuptiæ.

Vesper adest, iuuenes consurgite; Vesper Olympo
Expectata diu vix tandẽ lumina tollit.

Et Virgil. in Pharmaceutria.

———*tibi deserit Hesperus Oetam.*

Hinc nata consuetudo gestandi faces, & tædas ad pellendas tenebras, & exhilarãdam noctẽ. Vtriusque Cicero meminit pro Cluentio, vbi noctem cum nuptialibus facibus coniunxit. De Hebræis certum est, & ostendunt parabolæ decem virginum, quæ cum lãpadibus occurrunt sponso, & sponsæ, quæque media nocte audiũt; *Ecce sponsus venit* & seruorum, qui accẽsis lucernis expectãt dominũ, quãdo reuertatur à nuptiis. Et Genes. 29. Laban vespere Liam dedit Iacob, aliàs deceptus non esset, credens esse Rachel.

Ex

Ex his constat, quid sibi sponsa velit, quando vmbræ fugerint, nempe, vt perficiantur nuptiæ, quæ noctem quasi pronubam, & sociam habent; in qua sponsum, quem tunc habebat in animo, in sua etiam haberet potestate. Pascit autem se, & suos inter lilia, id est, manet in hortis, donec appetat nox, quæ sponsos in genitricis suæ cubiculum adducit.

87. Allegor. *Qui pascitur inter lilia.*] Adspiratio dici, & vmbrarum inclinatio nuptiarũ tẽpus indicant, vt in cortice pluribus diximus: quia hę nocturno celebrantur tempore; ante quã voluptates erant aliæ, quæ sponsæ traductionem præcedebant. Nunc accommodatè ad superiora in spirituali sensu dicendum est, sponsum interim dum sponsa hæc moratur in terris, nec dotes illas accipit, quibus Beatorum animæ ornantur in patria, pasci inter lilia, id est, præbere sponsæ delicias alias, quibus etiam foueatur spes, & patriæ cœlestis desiderium sustentetur. Illæ verò variæ, & cœlestibus proximæ, ex liliis, id est, rebus candidissimis ac purissimis capiuntur.

Deus in hac vita gaudia etiam impertit spiritualia.

Porrò, illud *pascitur*, actiuæ significationis est, vt legunt LXX. & Hieron. lib. 1. contra Iouinian. post medium: & docet satis ratio Hebraica; & quidem apud Latinos aliquando actiuè significat. Si ergo in hac lacrymarum valle, si in loco vastæ solitudinis, dum adhuc exulat ab spõsi domo, & nuptiali thalamo, inter lilia pascitur fidelis anima; quib. se deliciis, quo pabulo oblectabit in terra viuentiũ, in domo voluptatis, in aureo ferculo veri Salomonis?

Liliũ mysticè quid. Multi multa dicunt de his liliorũ pascuis, in quibus se oblectat, & fortunatum gregem pascit sponsus: vnum tamen ex omnibus adducam Ambrosium, quia is omnium penè sententias complexus est. Sic autem Ambros. Serm. 14. in Psal. 118. *Bona*, inquit, *pascua, diuina sunt Sacramenta. Carpis lilium, in quo sit splendor æternitatis; carpis rosam, id est, Dominici corporis sanguinem. Bona etiam pascua, libri sunt sacrarum Scripturarum, in quibus quotidiana lectione pascimur, in quibus recreamur, ac reficimur, cùm ea, quæ scripta sunt, degustamus, vel summo ore libata frequentiùs ruminamus. His pascuis grex Domini saginatur. Bona etiam Christi pascua, qui pascit in liliis, hoc est, in splendore Sanctorum.* Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum lilia vocat virginum choros, qui sanè candidissimi sunt, odorísque gratissimi; vnde castissimus sponsus mirificas capit voluptates. Quod etiã in Hymno, quem in virginũ feriis canit Ecclesia, dixit Ambrosius ad hunc respectans locum;

Qui pascis inter lilia
Septus choreis virginum,
Sponsas decorans gloriis.

Reuertere: similis esto, dilecte mi, &c.

LOcus hic difficillimus est, quia non satis apparet, cur hæc dici potuerint ab sponsa. Quidam dicũt sponsum velle hoc loco ad gregem redire, & cùm iam discessum moliretur, ab sponsa reuocari. Ita innuit Bernardus. Alij reuerà discessisse antè, cùm languida ab amore sponsa somno correpta est; & nunc referre se ad tabernaculum sponsæ: quem cùm iam ab eo languore, atque deliquio recepta properantem videret, iubet reditum maturare. Hæc recentiores. Beda dicit rogari sponsum, si abiturus sit, vt alios do- 88. Histor.

ceat, & pascat, vt statim redeat. Ex antiquioribus Theodor. & tres Patres cum Psello, atque Carpathio aiunt, precari sponsam, vt dilectus ad pascua reuertatur, vt omnes eius conspectu fruantur, atque illustrentur, usque suam suauitatem, & amorem impertiat.

In re vsque adeò incerta quid afferam, explorati nihil habeo; quod verò videtur magis cum textu congruere, dicam, vt in re tanta necesse est, & timidè, cùm à tantorum Patrum expositione recedam: & quia cum illis non sentire omnino audacis est, non libenter. Minimè tamen existimo id mihi non licere, cùm in cortice literæ nunc opus nostrū sit, id est, in Grammaticali sensu, à quo ipsi ferme abstinuerunt: quare contra illorum authoritatem directò nihil moliri videor. Et primùm mihi alienū videtur à re nuptiali, atq; amatoria, spōsum abiisse ab sponsa adeò sibi chara, quámque sui desiderio languentem, exanimatámque videtat; præsertim cùm ex ipsius sinu, & complexu lāguoris sui leuamentum peteret. Neque prætetea ratio Dramatica permittit, vt sponsus edicat omnibus, ne somnū interpellent dilectæ, & deinde non interiecto alicuius sermone fingatur abiisse, & ex remoto loco sponsam accersere, quam excitari vetuerat, his verbis, *Surge, propera*, &c. quæ sponsa audire se simulat. Quòd si hæc quis fieri dicat, cùm in Salomonis ferculo redeunt sponsi ab hortis, minùs aptè cadunt in illum temporis articulum.

89. Quare expeditam magis, & accōmodatam eius loci sententiam arbitror, si consentaneè ad ea, quæ suprà dixim⁹, intelligamus hîc propositas esse causas, cur sponsus omnes ad sui amorem vehemēter alliciat; quas adumbrat egregiè cerui celeritas montes transilientis, à quo sponsa primùm à languore recreata suū sibi canticum inchoauit; nunc verò vocem illam suam sæpius intercalatam repetit, vt vnde exorsa est, eodē terminetur cantilena. Quod etiā fecit in fine totius Epithalamij, in quo summa est omnium, quæ de sponsi natura, atque ornamentis dicta sunt: nam in ceruo pulchritudo est, atque elegantia, & à natura quædam innata suauitas (vnde vt hîc sponsus comparatur ceruo, sic Prou. 5. spōsa dicitur cerua esse charissima) & illa tanta festinatio, atq; velocitas, qua ardua superat cursu, & prærupta saltu, vim incredibilem amoris ostendunt. Ad quæ facilè referas omnia quæ toto hoc opere fusiùs commemorantur.

His ergo positis, dupliciter exponi potest locus hic obscurus; primū, vt sponsa secum ipsa loquatur, ac sibi imperet, vt ad illam cantilenam iterum redeat, à qua nuptiale hoc carmen exorsa est; iterérque sæpius illud, *Similis est dilectus meus*, &c. Quod vt mihi persuadeam, facit Epithalamij perpetua quędam, & legitima ratio: in quo semper est aliquid, quod ex interuallis redeat, quale est in sponsa, *Dilectus meus mihi*; & in sponso, *Adiuro vos*, &c. vt suprà notauimus. Tum etiam, quia pro *Reuertere*, Hebraicè est, סב *Sob*, quod *circuire*, ac *gyrare* significat. Illud verò est, redire ad illud punctū; vnde linea in circulo, aut filum dicitur in Cantico. Quare carmen illud qui *circulare* appellaret, non ineptè dixisse videretur. Et quidē huiusmodi carmen ab Hispanis dicitur *Sabuelta*, ab Italis *Retornelo*.

Fauet huic sententiæ, quòd cùm sponsa alloquitur sponsum, penè solemne est addere *dilecti* nomen,

nomen, in quo impensè delectatur; hîc verò tantùm dicit *Reuertere*, sine illa familiari nota. Vnde nihil est quod nos cogat illud *Reuertere*, ad sponsum referre, ita vt absentem reuocet spõsa: neque obstat quòd סב *Sob*, id est, *Reuertere*, sit generis masculini; nam interdum masculinum genus pro fœmineo ponitur. Vide Pagn. in obseruationib. in linguam Hebraicam regula 20.

Quòd si sponsum alloquatur spõsa, non admodùm contrà pugnauerim, modò præsentem, vt Bedæ hoc loco placet. Et tunc orat sponsa, vt pergat esse beneuolus, seque etiam, atque etiam iisdem & augeat ornamentis, & habeat in amoribus. Et, quia illud *reuertere*, Hebræis est, *circuire*, circunspectet ne quà ad se aliquid perueniat mali, quod vel amori incommodet, vel officio. Id videtur etiam sentire Lyra.

Videtur autem hîc allusum esse ad consuetudinem populi Israëlitici traditam Num. cap. 10. qui, cùm eleuaretur Arca, dicebat, *Surge Domine, & dissipentur inimici tui.* Quibus verbis precabatur populus, vt sterneretur via, & sublatis impedimentis liberum expediretur ad cursum. Deinde cùm deponeretur Arca, quasi Dominum ab eo cursu reuocaret, dicebat, *Reuertere Domine.* Sic ergo sponsa dilectũ reuocat, non quasi absit; sed ea forma loquendi sponsi in se studium, ac beneficia commemorans. Et sanè iuuat hanc explicationem, quòd (vt suprà diximus) Psal. 67. cuius initiũ à capite Numerorum 10. sumptum est, sibi in his Canticis proposuit Salomon.

Potest verò aliter accipi, licèt id magis ad spiritualem sensum pertineat, vt spõsa edocta multa se amori impedimenta opposuisse, quorũ aliquid cap. 5. commemorat, & infirmitatis suæ cõscia sibi ipsi parum fidens, oret sponsum, vt quamuis vagetur super montes Bether, id est, inter salebras, & anfractus, & mille alia impedimenta, quę ad omnia officia pronum, & festinantem retardare potuerint; ferat nihilominùs hæc patienter; & quo est animo ad hæc perferenda planè indomito, & lenitate ad condonandum admirabili, deuoret has molestias, transiliat hæc obstacula, ac tandẽ quamuis per *Bether*, id est, confragosa, atque aspera, ad se tamen rectà, festinatóque perueniat. 91. Allegor.

Super montes Bether.

QVidam codices habent *Bethel*, sed Hebraicè *Bether*, & ita omnino dicendum; quia ita est in Bibliis à Sixto emendatis, & ita vidẽtur legisse Septuaginta, qui vertunt κοιλώματα, id est, *concauitates*, quo nomine significãtur asperi mõtes, & interrupti salebris; peruij tamen capreis, hinnulisque ceruorũ, in quibus sponsus vagari dicitur, id est, ardua subire, ac anfractuosa, vt lilia paret, quibus gregem pascat. 92. Histor. Bether.

IN CAPVT III. CANTICORVM

ARGVMENTVM.

CVM *primùm noui coniuges geniale ferculum ascenderunt, sponsa cantu significat, quàm auidè olim desiderarit has nuptias, statuerítque abiiciendum esse lectulum, atque mollitiem, & omnino quærendum esse sponsum per vicos, & plateas. Quod cùm non minùs aggrederetur audacter, quàm studiosè concepisset, in custodes ciuitatis incurrit; à quibus cùm nihil de sponso certum didicisset, ulteriùs progressa sponsum inuenit. Quem nunc se tenere dicit amplexu, neque commissuram, vt à se abeat, donec ad genitricis domum ventum sit; vbi peragenda sacrorum connubialium extrema scena. Deinde puellæ Sionides in coniugum gloriam, & delicias intentæ, laudant primùm eorum comitatum, qui non longè differt à Regio: deinde ferculum Salomonis, quod accuratè describunt. Tandem iubentur à sponsa, vt oculos à ferculo ad sponsum coronatum, qui in eo traducebatur, conuertant.*

CAPVT III.

Sponsa.

1 *IN lectulo meo per noctes quæsiui, quē diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni.*

2 *Surgam, & circuibo ciuitatem, per vicos, & plateas quæram, quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni.*

3 *Inuenerunt me vigiles*

PARAPHRASIS.

1 IAM dudum per noctes multas desideraui socium habere tori, quē diligit anima mea; desideraui, inquam, illum, & nondum hactenus desiderij mei compos fui.

2 Tandem aliquando statui apud me, abiiciēdum esse lectulum, atque desidiam. Et mecum ipsa dixi: Surgam, & circuibo per vicos, & plateas, & quæram, quem diligo; neque tamen diu vagata reperire potui.

3 In eo studio, ac cursu quærendi spon

ſponſum, in vigiles ciuitatis incurri, à quibus percontata, an quem diligit anima mea, vidiſſent, nihil ab illis certum accepi.

4 Cùm à ciuitatis cuſtodibus paululùm eſſe digreſſa, ecce occurrit mihi, quẽ deſiderabã; tenui eũ, neque ab amplexu meo iá abire patiar, donec in matris meæ cubiculum deducam. (Matrem verò meam appello, quæ ſponſi mater eſt, quia deinceps mihi futura eſt pro matre.) Vbi quod extremũ eſt nuptialib. ſacris, peragetur.

5 Sicut adiuraui vos antea filiæ Ieruſalẽ, ne dormientẽ in cõplexu meo dilectã excitaretis; ſic etiã nunc, dum in geniali ferculo traducimur, in ſinu meo dormituræ edico ne moleſtæ ſitis. Sin verò aliquid contra meũ imperium, & ſponſæ quietẽ moliamini, nihil vobis ex voto cedat ex his, quæ in ceruis, capreíſque cãporum voluptatis, aut cõmodi vobis propoſuiſtis.

6 Quæ eſt iſta, quæ in ferculo Salomonis aſcendit de deſerto? quæ ſic olet ſuauiter propter nuptiales delicias, & opere ſeplaſiario fragrãtes, vt conferri poſſit cum virgula fumi, quẽ ſurſum attollunt accenſi paſtilli, ex myrrha, thure, atque omni odorato puluere compoſiti?

7 En, videte quemadmodum Salomonis geſtatoriũ lectulũ, in quo noui traducuntur coniuges, ſexaginta circunſtant militari more viri fortiſſimi.

8 Omnes accincti gladio, pugnãdi periti, & ad pugnandum alacres, nequid à nocturnis inſidiis (nam noctu ſpõſi domum reducuntur) cõiugum lætitia, aut dignitas patiatur.

les, qui cuſtodiunt ciuitatem: Num quẽ diligit anima mea, vidiſtis?

4 *Paululùm cùm pertrãſiſſẽ eos, inueni, quẽ diligit anima mea: tenui eũ, nec dimittã eũ, donec introducam eũ in domũ matris meæ, & in cubiculũ genitricis meæ.*

Sponſus.

5 *Adiuro vos filiæ Ieruſalẽ, per capreas, ceruóſque camporũ, ne ſuſcitetis, neq; euigilare faciatis dilectã, donec ipſa velit.*

Adoleſcentulæ.

6 *Quæ eſt iſta, quæ aſcẽdit per deſertũ ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij?*

7 *En lectulũ Salomonis 60. fortes ambiũt ex fortiſſimis Iſraël.*

8 *Omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi: vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos.*

9 Rex Salomon, qua fuit magnificentia, atque in suos liberalitate, pro suorum connubiis hieroglyphicum quoddã ferculum fabrefecit, in quo spectarẽtur à curiosis, atque attentis oculis optimi connubij illustria symbola, in hunc modum. Materia fuit cedrina comportata ex Libano.

9 *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani.*

10 Cuius latera instruxerant argenteæ columnæ, quæ purpureum velum, quod ferculi tectum futurum erat, suspenderent. Reclinatoriũ, vbi scapulas acclinarent noui coniuges, fecit ex auro. At quis dignè commẽdet, quæ media, id est, interiorem ferculi partem consternunt? Satis nunc sit dixisse ornamentum illud interius esse huiusmodi, vt charitas, id est omnino amabile dici iure optimo potuerit. Hæc verò molitus est Salomõ propter filias Ierusalem, vt in geniali pompa gloriosè traducerẽtur, quas huius munditiei, atque elegantiæ amantes esse nouerat.

10 *Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate cõstrauit propter filias Ierusalem.*

11 O filiæ Sion, quæ tã auidè Salomonis ferculi speciem, & elegãtiã contemplamini, à ferculo tantisper ad eum, qui intus Regio more sedet, oculos cõuertite: videte ergo meum Regem, meum Salomonem (nã hic mihi pulchritudine ac gloria pro Salomone est) coronatum diademate, quod parauit illi mater in hunc diem desponsationis suæ, qui ipsi festiuissimus, & gloriosissimus est. Aut sanè si vobis non licuit videre Salomonẽ Regem nuptiali gloria cũ Ægyptia Pharaonis filia in ferculo gestari, spectate iã in meo sponso illius diei, ac pompæ viuam quandam imaginem.

11 *Egredimini, & videte, filiæ Sion, Regẽ Salomonẽ in diademate, quo coronauit eum mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.*

IN

IN CAPVT TERTIVM COMMENTARIVS.

1. Senſus hiſtoricus.

In curru traducũtur noui coniuges.

IN capite primo ſcriptor ſacer deſiderium ſpõſæ, quo in abſentem ſponſum ferebatur, luculenter deſcripſit. In ſecundo ſpõſi in dilectam blandimenta, atque officia complexus eſt. In tertio iam propiùs accedit ad nuptias; componit enim coniuges in curru, quo de more, cum plauſu, atque ſymphonia domũ reducebantur. Quod à Romanis ſolitum eſſe fieri liquet ex Apuleio Apologia 2. cuius moris meminit Pollux libro tertio Onomaſt. cap. 3. & Suidas in voce Ζεῦγος. Quod etiam in vſu fuiſſe apud Hebræos docet Rab. Dauid in radice פרה *Parah*. vbi nomen *currus* ponitur; אפריון *Aparion*, quod hic adhibuit Salomon, quod *fœcunditatem* ſonat, & *lectum*; ſatis accommodatè ad nuptiarum ſacra. Hoc ergo loco ſponſa fingitur ſimul cum ſponſo vehi in curru, ſeu ferculo, quod inſtar thalami eſt, imò thalamus quidam mobilis, & geſtatorius. Admonita ergo ſponſa ab hoc lectulo, ait ſibi aliter aliquoties contigiſſe, vt ſæpe in lectulo quæſierit ſponſum, neque tamen inuenerit: quem dum tempore non admodùm opportuno quærit, in cuſtodes ciuitatis incurrit; iam tamen ſibi nihil eſſe timendum, cùm ſecum in eo geniali lectulo dilectum habeat, qui à ſe nuptiali lege effugere non poteſt, donec ad aliud cubile, quod genitricis opera conſtratum eſt, ventum ſit, De quo infrà cap. 8.

In lectulo meo quæſiui, quem diligit anima mea.

2. Hiſtor.

QVemadmodum cap. 2. fuſiùs explicata fuit ſponſi oratio, quam ad ſponſam habuit pigritantem in lecto, quæ breuiter fuerat aut propoſita, aut indicata cap. 5. ſic modò ab ſponſa poſt orationem illam nuper expoſitam luculentiùs, breuiter proponitur, aut indicatur id quod poſt orationem, & nocturnum egreſſum, dum ſponſum quærit, à cuſtodibus pertulit: quod deinde multo fuſiùs, atque illuſtriùs in cap. 5. perſecuta eſt. Non quæſiuit ſponſa dilectum ſuum, quaſi ſe clãculùm ex lecto ſubduxerit: quia cùm iſtud connubium, ſanctorum connubiorum forma ſit, à ſancto ſponſo fieri, aut tentari non debuit, quod caſti coniugij legitima ratio non permittebat. Neque enim videntur omnino celebratę nuptiæ Hebræorum ritu, donec præcederent, quæ toto hoc Epithalamio, cõmemorantur. Nam dum dicit ſponſa cap. 8. *Quis mihi te det, &c. vt deoſculer te, & iam me nemo deſpiciat?* id optat ſine dubio, vt ſponſum ſuum tandem legitimè, ac ſanctè ſine pudore poſſit, & oſculari, & amplecti. Neque Iacob poſt tot annos ad partam ſibi Rachel, & iamdudum vxorem acceſſit, niſi peractis nuptiarũ ſacris. Imò neq; generi Loth in Sodomis, vbi effuſiſſima in omnem libidinem erat intemperãtia, vxores

Sponſus ad ſponſã nõ accedebat, niſi poſt traductionem.

9 Rex Salomon, qua fuit magnificentia, atque in suos liberalitate, pro suorum connubiis hieroglyphicum quoddã ferculum fabrefecit, in quo spectarẽtur à curiosis, atque attentis oculis optimi connubij illustria symbola, in hunc modum. Materia fuit cedrina comportata ex Libano.

9 Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani.

10 Cuius latera instruxerant argenteæ columnæ, quæ purpureum velum, quod ferculi tectum futurum erat, suspenderent. Reclinatoriũ, vbi scapulas acclinarent noui coniuges, fecit ex auro. At quis dignè commẽdet, quæ media, id est, interiorem ferculi partem consternunt? Satis nunc sit dixisse ornamentum illud interius esse huiusmodi, vt charitas, id est omnino amabile dici iure optimo potuerit. Hæc verò molitus est Salomõ propter filias Ierusalem, vt in geniali pompa gloriosè traducerẽtur, quas huius munditiei, atque elegantiæ amantes esse nouerat.

10 Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate cõstrauit propter filias Ierusalem.

11 O filiæ Sion, quæ tã auidè Salomonis ferculi speciem, & elegãtiã contemplamini, à ferculo tantisper ad eum, qui intus Regio more sedet, oculos cõuertite: videte ergo meum Regem, meum, Salomonem (nã hic mihi pulchritudine ac gloria pro Salomone est) coronatum diademate, quod parauit illi mater in hunc diem desponsationis suæ, qui ipsi festiuissimus, & gloriosissimus est. Aut sanè si vobis non licuit videre Salomonẽ Regem nuptiali gloria cũ Ægyptia Pharaonis filia in ferculo gestari, spectate iã in meo sponso illius diei, ac pompæ viuam quandam imaginem.

11 Egredimini, & videte, filiæ Sion, Regẽ Salomonẽ in diademate, quo coronauit eum mater sua, in die desponsationis illius; & in die lætitiæ cordis eius.

IN CAPVT TERTIVM COMMENTARIVS.

1. Sensus historicus.

In curru traducũtur noui coniuges.

IN capite primo scriptor sacer desiderium spõsæ, quo in absentem sponsum ferebatur, luculenter descripsit. In secundo spõsi in dilectam blandimenta, atque officia complexus est. In tertio iam propiùs accedit ad nuptias; componit enim coniuges in curru, quo de more, cum plausu, atque symphonia domũ reducebantur. Quod à Romanis solitum esse fieri liquet ex Apuleio Apologia 2. cuius moris meminit Pollux libro tertio Onomast. cap. 3. & Suidas in voce Ζεῦγος. Quod etiam in vsu fuisse apud Hebræos docet Rab. Dauid in radice פרה *Parah.* vbi nomen *currus* ponitur; אפריון *Aparion*, quod hic adhibuit Salomon, quod *fœcunditatem* sonat, & *lectum*; satis accommodatè ad nuptiarum sacra. Hoc ergo loco sponsa fingitur simul cum sponso vehi in curru, seu ferculo, quod instar thalami est, imò thalamus quidam mobilis, & gestatorius. Admonita ergo sponsa ab hoc lectulo, ait sibi aliter aliquoties contigisse, vt sæpe in lectulo quæsierit sponsum, neque tamen inuenerit: quem dum tempore non admodũ m opportuno quærit, in custodes ciuitatis incurrit; iam tamen sibi nihil esse timendum, cùm secum in eo geniali lectulo dilectum habeat, qui à se nuptiali lege effugere non potest, donec ad aliud cubile, quod genitricis opera constratum est, ventum sit, De quo infrà cap. 8.

In lectulo meo quæsiui, quem diligit anima mea.

QVemadmodum cap. 2. fusiùs explicata fuit sponsi oratio, quam ad sponsam habuit pigritantem in lecto, quæ breuiter fuerat aut proposita, aut indicata cap. 5. sic modò ab sponsa post orationem illam nuper expositam luculentiùs, breuiter proponitur, aut indicatur id quod post orationem, & nocturnum egressum, dum sponsum quærit, à custodibus pertulit: quod deinde multo fusiùs, atque illustriùs in cap. 5. persecuta est. Non quæsiuit sponsa dilectum suum, quasi se clãculùm ex lecto subduxerit: quia cùm istud connubium, sanctorum connubiorum forma sit, à sancto sponso fieri, aut tentari non debuit, quod casti coniugij legitima ratio non permittebat. Neque enim videntur omnino celebratę nuptiæ Hebræorum ritu, donec præcederent, quæ toto hoc Epithalamio, cõmemorantur. Nam dum dicit sponsa cap. 8. *Quis mihi te det, &c. vt deosculer te, & iam me nemo despiciat?* id optat sine dubio, vt sponsum suum tandem legitimè, ac sanctè sine pudore possit, & osculari, & amplecti. Neque Iacob post tot annos ad partam sibi Rachel, & iamdudum vxorem accessit, nisi peractis nuptiarũ sacris. Imò neq; generi Loth in Sodomis, vbi effusissima in omnem libidinem erat intemperãtia, vxores

2. Histor.

Sponsus ad sponsã nõ accedebat, nisi post traductionem.

attigerant, quia nondũ erant in cõiugum domũ traductæ. Confirmat hoc illa lex Deut. 22. quæ iubet, vt parẽtes seruent virginitatis signa, vt habeant, quo filias suas à generorũ calumniis tueantur. Erat autẽ sanguis, qui ex primo cõcubitu profluẽs excipiebatur subtracto linteo, seruabatúrque à parentibus, adhibitis sine dubio testibus, vt esset quoddã testimonium virginitatis vsque ad nuptiale tempus conseruatæ. Quæ lex seruari non posset, si ante tẽpus illud liber esset ad sponsam ingressus. Et in Hebræorum Rituali libro, quem Latinum fecit Genebrardus, verba ponuntur, quibus vtitur spõsus, cùm primũ illa videt virginitatis signa. Imò, vt ab Hebræo accepi Synagogæ quondam Præfecto, non priùs nuptialis comitatus discedit, quàm sponsus ad sponsam accedat, & virginitatis signa coram testibus proferat. Et ideo Ieremiæ c 3. diximus Patrẽ appellari ducẽ virginitatis: quia filiam moderatur, & eius curã habet, donec deposita sit virginitas, & linteũ cũ virginali sanguine ad testes productum. Non ergo spõnsus quærebatur, quasi ex lecto furtim abiisset, quem inire non poterat. Quare aliquid aliud valet illud, *quæsiui*. Heb. est בקשתי *Bikasti*, quod idẽ ferme significat, atq; apud Latinos *quæro*; nempe *inuestigare, conari*, & *velle*. Et hoc postremũ in sacra Scriptura frequens est; & Chaldæus sic accipit verbũ בקש *Bikes* in Psal. 8. & 16. Quod maximè vsitatũ est cùm infinitiuus sequitur; vt Psal. 36. *Quærit mortificare eum*. Exod. 2. *Quærebat occidere Moysen*. 1. Reg. 14. *Quærunt extinguere scintillam meam*; & cap. 20. *Tu quæris subuertere ciuitatem*. Eccl. 27. *Qui quærit locupletari*. Et idẽ etiã significat apud Latinos verbum *quæro*, aut *requiro*, *conari* nẽpe, & *cupere*. Plinius lib. 8. cap. 53. de capris inquit, *è monte aliquo in montem transilire quærentes*. Similẽ significationẽ, atque vsum habet Hispanicũ verbũ *querer*, quod à Latino *quæro* deduci certũ est. Significat etiã aliquid abesse, sicut & verbũ *desidero*, aut *requiro*. Qua ratione dicimus; *Desidero in te*, aut *quæro*, seu *requiro prudentiã*, id est, abesse abs te prudentiã video. In alterutra harũ significationum intelligo sumendum esse illud *quæsiui*, potiùs quàm in ea, quæ sponsam dolere ostendit, quòd de lecto sponsus abierit. Est ergo sensus: Dolui abesse spõsũ à lecto, quia esse in eo nõ poterat, nisi peractis nuptiarum sacris. Vel, desideraui lecti socium habere, id est, nuptias inire, quia ante illas nõ sperabat fore, vt secũ vnquam in noctibus haberet, quem amabat. In hanc sententiã Bernardus Sermone 75. dicit sponsam, cùm esset in lecto, quæsiisse spõsum, nõ quidẽ in lecto cubantẽ, sed cùm absentẽ desideraret, de illo inuestigando secũ deliberasse. Et cõsonat valdè huic explicationi trãslatio Lxx. qui vertunt ἐπὶ κοίτην, id est, *in lectulum*. Quasi dicat: desideraui, ad lectum seu ad connubium.

Deut. 22.

Ierem. 3.

בקשתי

בקש

In lectulo meo per noctes.] Cùm iam sponsa studij sui cõpos dilectũ suũ inuenisset, quẽ tanto antè, & labore suo, & aliorum ludibrio, & iniuria quæsierat; docet filias Ierusalẽ quẽadmodũ non semel antea sponsum quæsierit, id est, desiderarit, quò ipsæ exemplo suo atque incommodo edoctæ, rationẽ ineant ad inuestigãdum sponsum magis opportunam. Vt autẽ historicus sensus varius est; sic etiam mysticus varius esse potest.

3. Allegor.

Si *lectulus* hîc sumatur pro mollioribus deliciis, rectè monent tres Patres apud Theodoretum, cœlestem sponsum ibi non posse reperiri Si verò sumatur pro contẽplationis otio, vt vult. Nyssen Orat. 6. in Cant.

4. Oratio, lectus.

Cant. ibi non ſemper inuenitur, ſed excitatur deſiderium per labores etiam ſummos inueſtigandi; neque enim oratio otioſa eſſe debet, ſed operoſa,& acris,& quę propter Deũ nihil non tentet. Quod cùm verum ſit in aliis, maximè verò in his quibus animorum cura data eſt, qui iubentur ſæpe Deum,id eſt,voluptatẽ, quæ ex Dei contemplatione naſcitur,propter Deũ relinquere. Quod fecit Moyſes, dum à Dei conſpectu ad populũ coërcendum à vituli cultu deſcẽdere cogitur. His ergo extra lectulum per noctẽ,id eſt,eo tẽpore, quo nihil propter commune ſilentium orantem interpellare ſolet, atque adeò meditatio quietior eſt,nõ ſemper inuenitur Deus:occurrit autem vltrò, cùm ex oratione ad opus charitatis excurritur.

Orationõ otioſa, & quãdo relinquẽda.

4. Si verò,*quæſiui*, abſentiam ſponſi, &deſiderium ſponſæ ſignificet,vt in cortice ſuprà veriſimilius duximus, quia deſiderium illud ingens erat,& multis facibus inflammatum,exilire cogit è lecto; ſiue is pro otio, ſiue pro meditatione ſumatur; neque ſedari poteſt,niſi in ſponſi complexu. Tale verò deſiderium neque vincit difficultas, neque remittit mora, neque extinguit abſentia; imò, vt bene Gregorius Homil. 23. ſuper Euangel. *Deſideria dilatione creſcunt;ſi autem dilatione deficiunt,deſideria nõ fuerũt*.Ex eo ergo deſiderio in illam vocem magni teſtem amoris erumpit ſponſa; *Dixi, ſurgam,& circuibo ciuitatẽ*, id eſt, nullus erit locus,quem non adeam,nulli receſſus, nullæ latebræ,quas non ſubeam;neque quieſcam vnquam,niſi in ſponſo.Porrò illud,*dixi*,eam ſignificat in ſuſcepta cognitione conſtantiam,vt obuia quæque impedimenta, & aggrediatur alacriter & ſtrenuè ſuperet.

In oratio ne deſiderium accẽditur quærendi ſpõſum.

Surgã, & circuibo ciuitatem.

Refert ſponſa quam ex abſentia, deſiderióque ſponſi cogitationem ſuſceperit, repetítque verba, quibus ſecum de quærendo ſponſo deliberarat.Er cùm ex amore audax plateas,vicóſq; luſtraret, non tamen repererit; neque ab iis,qui cuſtodiæ gratia totam ciuitatem concurſant, quicquam de eo certum cognouerit, cùm tamen à cuſtodibus paululùm eſſet digreſſa; vltrò ſponſus occurrerit, quem auidè complexa fatetur, ſe non priùs permiſſuram, vt à ſe abeat, quàm ad genitricis domum deductus ſit. 5. Hiſtor.

Surgam,& circuibo ciuitatem, per vicos,& plateas quæram quem diligit anima:quæſiui eũ,& non inueni.] Circuitus magnã indicat ſollicitudinẽ, & ſtudiũ;quare dũ impij dicuntur omnia tẽrare,vt aliis exitio ſint,vt putat Theodoretus, in circuitu ambulare traduntur Pſal.11.Sed plurimùm refert,quẽ locũ circumeas, quo te ſtudio,aut qua ratione circumagas. Aſſumpſit quidẽ ſponſa durum, moleſtúmque laborẽ;ſed omnino fruſtra: quia ciuitatem circuiuit, vicos, atq; plateas luſtrauit, in quibus ſponſus Chriſtus non inuenitur, & acceptis plagis pallium,id eſt,honeſtũ fœminarum ornamentũ amiſit, & pudoris inſigne. Dixit hoc optimè Hieronimus epiſt. 22. ad Euſtochiu de cuſtodia virginitatis,ad medium, & Ambroſ.lib.3.de virginibus; *Nequaquam ibi quæramus Chriſtum,vbi inuenire non poſſumus: non eſt Chriſtus circumforaneus. Chriſtus enim eſt pax, in foro lites: Chriſtus iuſtitia eſt, in foro iniquitas; Chriſtus operator eſt, in foro inane otium: Chriſtus charitas eſt, in foro obtrectatio: Chriſtus fides eſt, in foro fraus, atque perfidia: Chriſtus*

6. Allegor. Circuitus ſollicitudinem indicat.

Pſal.11.

Chriſtus non eſt in plateis.

in Ecclesia est, in foro idola. Et paulo pòst. *Fugiamus plateas; non enim iniuria tantummodo est non inuenisse, quem quaras, sed etiam plerumque, vbi non oportet quaesisse, vulnus est.* Vulneratur sanè, qui locū illum obit, vbi Christus non est, & quem Christus auersatur, & horret; sed neque Christo leue vulnus infligit, qui illum eo in loco quærit, qui minimè Christi sanctitatem, atque modestiam decet. Quemadmodum siquis honestum, & pudentem hominem in ganea quærat, aut in sicariorum, lenonúmve conuentu; planè illum lenonum, aut sicariorū socium prædicaret. Inuenitur quidem Christus in foro; sed oppressus à turba, extinctus ab impiorum fraudibus, & ignominiosè à peccatore crucifixus; ita vt dicere possis quàm verissimè illud Isaiæ cap. 57. *A facie malitia collectus est iustus.* Quare potiùs in plateis inuenies Christum, quem extinctum fleas, quàm vt ibi iucundum, & lætum, vt sponsum, amplectare. De quo verè dicere possis id, quod de infelicibus traditur Eccle. cap. 12. *Circuibunt plangentes in platea.*

7. Labor inanis. Pro, *circuibo ciuitatem*, Hebr. est, *in ciuitate*; qui dicendi modus significat sæpe lustratam esse ciuitatem. Multi ciuitatem circumeunt; sed cùm vno aut altero circuitu Christum non inueniunt, aliis, atque aliis modis circuire tentant, atque lustrare ciuitatem; neque tamen volunt ciuitatem deserere, in qua illis nusquam occurret Christus. Sunt sanè plurimi, qui apertè norunt Christum in aliquo viuendi genere reperiri non posse; at quia ægrè ferunt ab eo diuelli, mille se modis in eo versant; sed quia semper in eodem se luto conuoluunt, nunquam illis se Christus ostendit. A turba igitur recedēdum est, & à forensi strepitu; & sponsus Christus extra ciuitatem in solitudine, id est, extra tumultus qui sūt à sæcularium studiorum concursu, inuestigandus.

Inuenerunt me vigiles, &c.

HIc occursus vigilum idem est, qui cap. 5. pluribus describitur, quia hic omnino extremus. Omittuntur tamen hîc plurima, quę ibi commemorantur fusiùs; vt de plagis acceptis, erepto pallio; quia longior illa narratio plus otij requirebat; & ideo tunc adhibita, quando sodales in via aliquando subsistunt, vt oblatis à sponso fructibus vescantur. Neque hîc quicquam de plagis, quia nō explicatur quo suo merito illas sponsa subire debuerit. 8. Histor.

Inuenerunt me vigiles.] De his pluribus cap. 5. nam vt modò diximus in litera, iidem sunt, qui hîc, & qui ibi commemorantur. Est autem verisimile, custodes hos esse Angelos, vel Doctores: nam vtrique nobis duces sunt ad quærendum sponsum. Ita Greg. & Bern. Sermone 78. in Cant. S. Thom. Apostolos & Doctores putat. Est autem documentum optimum, vt latè Bern. Serm. 77. & 78. vt si Deum inuenire volumus, & viam illam ingredi, quæ nos ad Deū sine errore deducat, adeamus eos, quos Dominus in Ecclesia vigiles, & pastores præposuit: nam *qui in re tanta, & tam obscura suo iudicio, definitioniq́ confidit, seipsum seducit, & seductori (*inquit S. Bern.*) dat manum, qui dare dissimulat præceptori.* Quare Deus quos doctos esse voluit, & Doctores aliorum, Doctoribus aliis instituendos tradidit; vt bene Rex suprà, qui hoc idem confirmat exemplis Cornelij, & Sauli, quorum alter ad Petrum, alter ad Ananiam missus est. 9. Allegor. In quærēdo Deo Angeli nobiscum laborant. In via spiritus cōsulendi pastores.

Vide

Vide Aug. in Prologo lib. 1. Retra-ctationum.

10. *Num quem diligit anima mea, vidi-stis?*] Capite 1. statim in principio diximus, vim esse maximam in eo dicendi genere, in quo relatiuum sine antecedente ponitur, id quod in hoc loco perspicuè cernitur. Cùm enim totum sponsæ animum, & cogitationem sponsi amor, & desiderium absorberet, multa dicit, quæ videri poterant inepta non amantibus, vt optimè notauit Origenes de Magdalena, Homilia vltima, dum explicat illud; *Domine si tu sustulisti eum*; quæ eodem quo nunc sponsa, studio, atque amore lãguebat. Omisit enim vtraque antecedens, & relatiuum tantùm adhibuit, quia alios eadem cogitare arbitrãtur, quæ ipsæ in animo habẽt, ac cogitatione versant. Qua de re optimè Bern. Sermone 79. in Cant. *O amor*, inquit, *præceps, vehemens, flagrans, impetuose, qui propter te aliud cogitare non sinis; fastidis cætera, contemnis omnia propter te; te contentus, confundis ordines, dissimulas vsum, modum ignoras; totum quod opportunitatis, quod rationis, quod pudoris, quod consilij, iudicij've videtur! Triumphas in temetipso, & redigis in captiuitatem. En omne quod cogitat ista, & quod loquitur, te sonat, te redolet, & aliud nihil; ita tibi ipsius, & cor vendicasti, & linguam. Ait, Num quem diligit anima mea, vidistis? quasi verò hi sciant quid cogitet ipsa. Quem diligit anima tua, de ipso sciscitaris, non habet nomen. Quanam verò tu, & ille quis est? Et hæc ita dixerim, propter singularitatem eloquij, & insignem verborum incuriam, qua præsens Scriptura cæteris dissimilis satis apparet. Vnde in Epithalamio hoc non verba pensanda sunt, sed affectus. Cur ita? nisi quòd amor sanctus (quem totius huius voluminis vnam constat esse materiam) non verbo sit æstimandus, aut lingua, sed opere, & veritate. Amor vbique loquitur, & siquis horum, quæ leguntur, cupit adipisci notitiam, amet; alioquin frustra ad audiendum, legendùmve amoris carmen, qui non amat, accedit. Quoniam omnino non potest capere ignitum eloquium frigidum pectus. Quomodo enim Græcè loquentem non intelligit, qui Græcum non nouit: nec Latinè loquentem, qui Latinus non est, & ita de cæteris; sic lingua amoris ei, qui non amat barbara erit; sicut æs sonans, aut cymbalum tinniens.*

Allegor. Antecedens omissum cum epitasi.

Qui amat omnes de amato cogitare putat.

Amoris nomen non amãti obscurum.

Tenui eum, nec dimittam.

11. EX his non obscurè colligitur, accidisse hæc ea ipsa nocte, qua hæc repetita ab sponsa finguntur: nam tunc complexa sponsum in Salomonis ferculo dicebat à se non esse dimittendum. Neque dimissus est, donec solemni hac nuptiarum pompa ad maternum vsque cubile traductio facta est.

Historia.

Dubitare hîc aliquis non immeritò posset, cur traducenda sponsa dicatur potiùs in domum genitricis sponsi, quàm genitoris; cùm domus illa non tam genitricis, quàm genitoris sit? Ideo fortasse genitricis appellatur domus, quia fœminæ domi se plerumque continent, vbi quasi dominæ sedent: viri autem, qui res alias curant, non domesticas, qui forum obeunt, & negotiorum causâ dudum interdum absunt, hospites videntur diei posse magis, quàm domini, aut habitatores domus. Quare si aliquis alienas pulsat fores, dominæ potiùs inclamat nomen, quàm domini. Et eam fortasse ob causam Rebecca dicitur Gen. 24. induxisse seruum Abraham in matris suæ domum. Hæc fortasse vera ratio est; sed placet

placet multo magis, si dicas, in nobilioribus domibus partem esse separatam pro fœminis, quę γυναικεῖον dicitur, & partem pro viris, quam vocant ἀνδρεῶνα. De externis exemplorum est satis, quod etiam inter Hebræos vsitatum arbitror: nam Iacob distinctum habuit tabernaculum à Rachel, & Lia; Gen. 31. vbi Laban ingressus esse traditur in illarum tabernacula. Et Gen. 24. Sara tabernaculum dicitur habuisse diuersum. Et Esther cap. 1. seorsum à viris fœminæ discumbunt; & Herodias non eodem, quo Herodes loco conuiuium init in Herodis natalitio die, quando puella à conuiuij loco exiisse traditur ad matrem suam, ad distinctum scilicet, Marc. c. 6. num. 24. Cùm autem sponsa induceretur in sponsi domum, induci vtique debuit in Gynæceum, id est, in illam domus partem, in qua sponsi mater cum muliebri comitatu morabatur; sicut Isaac nouam nuptam Rebeccam adduxisse dicitur in tabenaculum matris suæ Saræ, Gen. 25. num. 67. Hæc mihi magis probatur ratio; licèt illa prior non omnino mihi displiceat.

Pro fœminarum habitatione, aut vsu diuersa loca.

12. *Tenui eum, nec dimittam.*] Pluris illa plerumque facimus, amamúsq; magis, quæ maiori nobis studio, atque labore comparata sunt, vt bene Greg. lib. 5. Moral. c. 4. Et ideo sponsa quæsitum diu per tot incommoda, atque ludibria, ac tandem inuentum sponsum tenet arctè nunc, neque relictutam se dicit, donec stabili iam matrimonio, eius complexu in æternum fruatur. Id enim est deduci ad cubiculum genitricis; vbi, sicut dictum est in cortice, indissolubilis stringitur matrimonij nodus.

Allegor.

Quo modo verò, & quibus vinculis tenendus sit sponsus, docet Bern. Serm. 79. in Cant. vbi adducit illud Gen. 32. de Iacob. [*Non te dimittam, nisi benedixeris mihi.*] *Ita*, inquit, *sponsa non vult sponsum dimittere, & fortè magis quàm Patriarcha, id non vult: quia nec pro benedictione quidē; siquidē ille benedictione accepta dimisit eū; hæc autē non sic. Nolo, inquit, benedictionem tuam, sed te. Quid enim mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Tenet autem sponsa fidei firmitate, tenet deuotionis affectu*, &c.] Idem pene Ambros. lib. de Isaac, cap. 5. & lib. 8. de virginibus. Neque sanè aliis vinculis à nobis ligatur, trahitur, ac tenetur Deus, quàm quibus ipse tenet, ac trahit nos; funiculis nēpe Adam, & vinculis charitatis.

Deus quo modo tenendus, ne abeat.

Donec introducam in domum matris meæ.] Vt in hoc nuptiali cortice, 13.
ad terrenam Ierusalem ascenditur è deserto: sic ad cœlestem in spiritualibus nuptiis suus quoque fit gradus. Vbi, quæ hîc fiunt sponsalia potiùs dixeris, quàm coniugia: quia multis modis dissoluuntur: matrimonia fiunt omnino rata, neque vllo iam tempore, aut modo soluenda. Apostolus verò *matrem* appellat *nostram Ierusalem quæ sursum est*, ad Galat. 4. Hærebit itaque sponsa dilecto suo, tenebítque non repugnantem, donec ad cœlestis Ierusalem diuinum penetrale ventum sit.

Adiuro vos filiæ Ierusalem.

NIhil hic addendum præter illa, quæ capite 2. dicta sunt.

Histor.

Adiuro vos.] Prodit se hîc sponsi 14.
suauissimum ingenium, qui, vt ipse nos amat ardētissimè; sic amari se, & amando teneri ardentissimè cupit. Abierat à se sponsa, totáque affectu, atque animo in sponsum migrarat; *est enim extasim faciens diuinus amor*, vt inquit Dionysius. Quare amor

Allegor.

Amor cur somnus.

amor hîc dicitur somnus, sicut capit. 8. vocatur mors, quia, vt hoc loco ait S. Thomas, *à visibilibus abstrahit; imò & à se, & in alios sensus, mentémque abducit.* Ea verò voluptate perfunditur sponsi animus, dum tenetur ab sponsa eo amore, qui duraturus esse dicatur ad mortem vsque, vt edicat grauiter, & seuerè, ne quis amorem illum vel auertat, vel remittat. Vide, quæ in hanc sententiam diximus capite 2. ad eadem verba.

Quæ est ista, quæ ascendit per desertum?

15. Histor. HInc propriè incipit Epithalamium, id est, nuptiale canticum: nam quæ hactenus præcesserunt, ad historiam pertinēt, nuptiales ritus, & geniales delicias. Producitur autem ad caput 5. in quo interruptum videtur esse canticum; quod deinde à capite 6. ad caput vsq; 8. pertexitur, quod partim nuptialibus ceremoniis, partim cantico constat. Videtur autem hîc currus primum cursum moliri in sponsi domum: nam adhuc sunt noui coniuges in ferculo ad pompam cōpositi. Ex his apparet, quæ hîc cōmemorātur, in agris fieri, vt c. 2. docuimus ad illud, *donec aspiret dies.* Sunt autem verba hæc puellarum, quæ toto illo cursu cum tædis, & sistris sponsis aderant.

Porrò *ascendere* dicitur sponsa, quia Ierusalem ad quam progrediebatur, sita erat in sublimi loco; quare quacumque ex parte, ad illam ascendendum erat. *Desertum* verò dicitur ager, & quidquid extra pomerium est, quia non est ita frequens, sicut vrbes, quarum comparatione ager desertus videtur esse ab hominibus.

Sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, &c.

DIctum est suprà hanc pompam noctе fieri: cùm verò in via aromata cremarentur, quæ gratum odorem aspirarent, adessent præterea vnguenta, & flores, adde quòd faces, vel tædæ, quæ comitabantur sponsos, erant ex odorata materia; conferunt puellæ sponsam fumi virgulæ, vel columnæ, non figuræ, sed odori. Quemadmodum enim si aromata accendantur, gratus afflatur odor, sic cùm omnium odorum suauitates aspirentur è curru, imò cùm tota sponsa in odorē suauissimum soluta videatur aptissimè virgulæ fumi similis esse dicitur. Esse verò varium odorem, ostendunt, quæ deinde sequuntur, *ex aromatibus myrrhæ, & thuris*, &c. 16.

17. Allegor. Amor se Ratim prodit, & Spiritus sancti dona. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum?* Ardens ille amor, qui sponsæ animum dilecti voluntati prorsus addixerat, sponsum natura sua liberalem, & tunc maximè ad largiendum pronum eò adduxit, vt quamplurima bona verè sponsalitia, in eo mystico somno in animam aliarum rerum cupiditate vacuam contulerit; quæ myrrhæ, thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij nomine significantur. Quæ statim produnt sese; neque enim illustria Spiritus sancti dona diu celari possunt. Et sanè amor, si acrior est, efferuescere facit illa, & quasi virgulam odoris suauissimi quoquouersùs diffundi. Quare admirati cœlestes spiritus tātam inesse suauitatem, tantam pulchritudinem illi, quam paulo antè nudam in deserto, fuscámque con-

spexerant, sic inter se quærunt; *Quæ est ista*, &c. vndenam tantæ in deserto deliciæ? vnde tantus in rustica, atque alienigena puella decor, atq; maiestas?

18. Sed hîc obseruandum maximè, quid in anima à se prorsus alienata, & quę iam propè est, vt ad cœlestem Ierusalem à sponso traducatur, præstet diuinus amor. In primis facit, vt myrrham oleat, quia vt Ambros. optimè de Isaac cap. 5. & Greg. hîc, peccatis mortua est, & Deo viuit. Est autem satis notum myrrha mortuorum corpora condiri. Qui ergo verè amat, sibi moritur, & in alio viuit; neq; sui iam iuris est, sed eius, cuius se voluntati mancipauit. Quare amor cap. 8. mortis instar habetur: eius enim, quod antè fuit, aut nulla, aut certè valdè obscura relinquit vestigia. Id verò præstat mortificatio affectuum, quæ eò spectat, vt veterem Adam extinguat, & quā vocat Apostolus membrorum legem; nouum verò inducat, in eóq; viuat. Animæ verò, quæ myrrham olet, & à materno, in quo volutabatur, sanguine purgata est; neque vmbilicum habet, per quem è maternis visceribus antiquum trahat alimentum, sponsus decorem concupiscit, & ab ea teneri se nō solùm patitur, sed etiam optat. Et huic vni datum est somnum illum dulcissimum inire in sponsi complexu; à quo ne quis non tam dormientem sponsam, quàm sibi felicissimè mortuam excitet, seuerè denunciat.

Amans sibi moritur.

19. Facit preterea inflammatus idem in sponsum amor, vt thuris odorē exhalet sponsa. Notum verò est ex Ambros. suprà, & Greg. hîc, in thure Sāctorum orationem adumbrari. Quid autem faciat felix illa anima, quæ sibi lege planè præcisa acriter imperauit, vt omnes carnis blanditias, sæculique inanes vmbras instar mortis horreret, nisi ad illum votis omnibus adspirare, à quo vno omne sibi præsidium, atque voluptatē quærebat? Hinc ergo oratio feruens accenditur, & attollitur, & quæ per mortificationem, quæ myrrhā olet, à sæcularibus, atque adeò à se ipsa longè abierat, eadem per orationē, quæ thuris odorem, tota fertur in Deum, in ipso thuris fumo euaporata, ad eum propè modum, quo Angelus traditur Iud. 13. in flamma, quæ ascendebat de altari, pariter ascendisse. Quòd autem aromatum fumo Sanctorum significetur oratio, liquet ex Psalm. 140. & Apoc. 8. Vbi autem thus est, & myrrha, adest etiam vniuersus puluis pigmentarij; id est, virtutes aliæ, quas mortificatio, & oratio comparant, & nutriunt.

Oratio vnde inflammetur.

Si tamen cum Ambr. pro *virgula fumi*, legas, *sicut vitis propago*; elucet sensus apprimè sponsæ moribus accommodatus, quæ ita sponsi ingenio mores debet attemperare suos, sic illi inhærere, atque inseri, sicut palmes inhæret viti, qui vt ex illa tantùm succum, & alimentum trahit; sic ab ea, vt frondes, & fructus fundat, vim, & naturam habet. Nā etsi palmes aliquid è terra necessariò capit, illud tamen non sugit vastum, atque immundum, quale terrenum est, sed per vitis radices extenuatum priùs, atque purgatum, & in aliam quandam puriorem naturam antè conuersum. Sponsus ergo sic affectam sponsam tanquam aliquid sui, vt quæ eodem cum ipso spiritu viuat, ita arctè amplectitur, sicut vitis palmitem, qui ipsius pars est, & à quo nonnihil accipit ornamenti. 20.

Anima non aliter à Deo, quā palmes à vite alimentum trahit.

En

En lectulum Salomonis, &c.

21. Histor. NOn inducitur hoc loco Salomon, vt in Prolegomenis putabamus verisimile; appellatur verò Salomonis lectulus, quia in eum vsum Salomō currus fecerat, in quorum fabrica essent veri, perfectique matrimonij illustria symbola, quibus vterentur in nuptiis filiæ Hierusalem. Nam cùm haberet mille quadringentos currus, 3. Reg. cap. 10. verisimile est, in his habuisse aliquos geniales. Quare dicitur Salomonis currus, quia ab ipso factus, non quia in ipso veheretur. Vel quia sponsus dicitur *Rex*, sumitur hoc loco Salomon pro Rege per synecdochen, sicut Cæsar pro Imperatore. Ac si sponsa dicat: Lectulus hic est mei Salomonis, mei Regis, ac sponsi. Prior tamen sensus mihi magis probatur, quòd scilicet à Salomone factus fuerit currus singulari artificio, argumento illustri, in quo optimè coniugij forma continetur. Vide infrà ad illud, *propter filias Ierusalem*; vbi ostenditur quid pro his nuptialibus mysteriis præstari à Regibus soleat.

Sexaginta fortes ambiunt.

22. Frequens nouorum coniugū comitatus. SPonsum comitabantur amici magno numero, adeò vt dici potuerit comitatus ille similis aciei ordinatæ. Constat ex 1. Machab. 9. vbi sponsi cum apparatu, atque tumultu magno ducebantur. Et Laban Genes. 29. ad nuptias Iacob turbam magnam cōuocasse dicitur; & Iud. 14. Samsoni inter alios triginta pronubi dati sunt, qui assiderent spōso. Hi ergo, & alij plurimi examicis, atque cognatis armati, tanquam custodes in illo nuptiali triumpho lectum obsidebant. Quod obsequium Regibus plerumque exhiberi solet propter timores nocturnos; sicut de Dauid insinuat sacra Scriptura 2. Reg. 11. ante cuius portam dormiuit Vrias cum aliis seruis Regis. Sexaginta verò dicuntur esse, id est, plurimi. Sumitur autē vulgari sacræ Scripturæ more numerus certus pro indefinito, sicut infrà; *sexaginta sunt Reginæ*. Hoc verò est quod Psal. 67. dicitur, *currus Dei, decem millibus multiplex, millia lætantiū*. Dicuntur autem sexaginta illi fortes lectulum, id est, genialem currum Salomonis, hoc est, sponsi, ambire propter timores nocturnos; quia noui coniuges in eo lectulo in paternam domum noctu traducebantur Nox verò insidiis, atque iniuriæ opportuna est.

En lectulum Salomonis.] Quàm spōso curæ fuerit, ne quis dilectæ somnum strepitus obturbet, ipse significat, dum filiabus Ierusalem silentium indicit. Quàm verò indulgenter prouiderit, vt sponsa, quàm mollissimè, & placidissimè dormiat, & quàm eius quieti diligenter inuigilet, adhibitis custodibus, qui nocturnum metum, atque strepitū arceant, docent filiæ Ierusalem, quę Salomonis lecti, & ornamentum eximium, & singularem custodiam effusè prædicant. Quid verò lectulus iste adumbret, obscurum est; neque omnibus, qui ex hoc cortice medullam enucleant, idem. Nonnulli interpretantur de lectulo, in quo verus Salomon Christus requiescit, & hi etiam variè. S. Thom. & Carpathius Ecclesiam esse volūt. Beda beatitudinem putat: non negat S. Thom. sed Ecclesiæ magis putat conuenire. Alij quamcumq; ani- 23. Allegor.

mam, & in his est Greg. qui dicit tunc nos lectulum sternere Christo, quando à mundi sollicitudinibus cessamus. Quo sensu sexaginta fortes, qui lectum custodiunt, sunt virtutes omnes, in suum quælibet contrarium armatæ; quæ iuxta nomen suum fortes sunt: sed illa præcipuè quæ gladium admouet femori; id est, mortificatio, quæ carnis lenocinia refugit, imò ipsius blandimentis bellum indicit implacabile.

Abnegatio & mortificatio.

24. Sed quia hîc non tam de sponsi quiete sermo est, quàm de sponsæ, quæ dormiens inducitur, aliter videtur esse dicendum. Ambros. libr. de Isaac cap. 5. putat lectulum esse Christum, in quo requiescit anima; mollis sanè lectus, & planè Regius, in quo si cui dormire vnquam, id est, mori contigerit, nihil omnino potest optare felicius; *Beati enim mortui, qui in Domino moriũtur*, id est, in cõplexu, atque osculo Dei. Sic de Moyse quidam interpretantur illud Deuter. 34. *Mortuus est Moyses iubente Domino*, id est, in osculo Domini. Et de Stephano dicitur Act. 7. *Obdormiuit in Domino.* Verumtamen quia lectus hic communis est sponso, ac sponsæ, aliquid aliud oportet inquiramus. Aponius crucem esse censet, in qua sponsus dormiuit, & in qua dormiat oportet sponsa, si modò sponso similis, & coniux, id est, eiusdem iugi socia esse velit. Neque desunt fortes Israël, qui sponsam in tali lectulo quiescentem custodiant, Angeli scilicet, qui patientem confirment, sitímque accendãt totius ad fundũ vsque epotãdi calicis. Cùm enim passim obstrepant inimicæ voces, quæ instigãt acriter, vt descendãt de cruce, & fortitudinẽ illã, qua spõsa lecto suo, deliciisq; contemptis, sponsi cubile constãter ascendit, obscuris rationib. occultisque insidiis debilitare contendant, prouidendũ fuit cõtra timores hosce nocturnos ab amantissimo sponso, vt fortes Israël, id est, Angeli accincti gladio vim repellãt hostilem, dulcémq; somnum ac quietum spõsæ à nemine turbari sinant.

In Christo dulcis, & secura quies.

Crux lectus.

Neque, meo iudicio, multũ aberraret, qui communem hunc lectum orationem esse diceret: ibi enim & anima Deo, & vicissim Deus anima fruitur. Ibi excedẽs mẽte, & à se tota abiens Deo hæret spõsa: ibi se Deus sponsæ largiùs impendit. Lectũ hũc obsident tartareæ potestates, & insidiæ, & complexum illum dissociare quam acerrimè, & quã occultissimè studẽt. Quod docuit Nilus 3. tomo Biblioth. de oratione, à c. 44. vsque ad 48. & ibi. c. 69. & 75. vbi dicit, quo modo adsint orãtib. Angeli, ne qua vis à dæmone orãtes impediat. 25.

Oratio lectulus cõmunis Deo, atq; animæ.

Ab hac sententia non longè abit Theodoretus, qui lectũ in quo anima cum Deo mysticũ init somnum, Scripturam esse vult: ibi enim doctrinæ semina sponsa suscipiens cõcipit, & parturit, ac tandẽ parit spiritualẽ fœtum. Versari enim in Scripturis sacris quomodo oportet, & viri sancti faciunt, idem propè est, atq; diuina opera contemplari. Id enim sine dubio faciebat Dauid, cũ dicebat, *Considerabo mirabilia de lege tua.* & viri alij sancti, qui legendis Bibliis sic afficiebantur, vt humana despicerẽt, ad superna assurgerẽt, & vnum Deum intuerentur, & amarent; quod maximũ, & pene solum orationis est opus. Cúmq; hunc lectum oppugnant Hæreticorũ castra, quæ licèt fracta sæpe, obstinatò tamen aliquid quotidie fraudis moliuntur; contrà adsunt fortissimi ex Israël, Doctores scilicet sancti, qui accincti gladio verbi Dei pertinacem illam vim tardant, atque debilitant, & doctrinæ Catholicæ luce 26.

Scriptura lectus.

noctur

nocturnas illas detegunt tenebras, atque discutiunt.

Ferculum fecit sibi Rex Salomon.

27. Histor. NVnc describit lectum, de quo suprà: nam licèt esset gestatorium vehiculum; quia tamen in eo reclinari tanquam in lecto sponsi gestabatur, lectus nominatur. Hoc Heb. dicitur אפריון *Aparion*, quod tantùm hoc loco reperitur; quod à radice פרה *Parah*, *fœcunditatem* significat. Nomen verò, & symbolum satis accommodata sunt coniugio, cuius structuram, & apparatum egregium eleganter describit.

De lignis Libani.

ID est, de materia cedrina, cuius in Libano magna vis.

28. Allegor. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon.*] Quid sit hoc ferculum, constat ex dictis; neque enim aliud est, quàm mobilis quidam, & gestatorius lectus; de ipsius tamen instructu, ac forma nonnihil dicendum.

Animus à sæculari cura purgatus, sedes est Dei. *De lignis Libani.*] Cedrum intelligo, quia hæc frequens & pene propria Libani. Ponitur hîc materia, & quasi subiectum illorum donorum, quæ lectum hunc hieroglyphicum componunt, & illustrant. Libanus, quia extra sortem est Israël, licèt illi finitimus, populum significat alienum, & idololatram: homines verò gentiles cedri sunt; sed adhuc suo Libano naturalibus fixæ radicibus. Sed quæ in priori sede inutiles, ac steriles sunt, inde abscissæ magnum vsum præbent. Ex ipsis compacta est Solymitani Templi contignatio, quas esset aliter aut absumpturus ignis, aut alia vis inimica confectura: sed postquam summus opifex Deus in spirituale hoc ædificium per vitæ nouitatem, materiam hanc cæduã expoliuit, fiunt ligna huius lecti, ac ferculi, in quo Salomon noster Christus dormit. Ita ferme Nissen. Abnegatio & mortificatio. Oratione 7. in Cantica, & tres Patres apud Theod. in illud [*Ferculum fecit.*] *Ex his*, inquiunt, *qui ex improba radice excisi fuerant, & super Christum fidei fundamentum ædificati, ferculum sibi fecit ipse Christus.* Sponsa ergo de Libano sũpta est iuxta illud cap. 5. *Veni de Libano*, id est, de infidelitate. Habuit enim, vt verisimile fit ex Ezech. cap. 16. matrem Cethæam, & patrem Amorrhæum. Expolitũ ergo hoc rude, atque syluestre lignum, alioqui naturæ bonæ, accipit ab optimo artifice speciẽ, qua ipsum facilè alliciat, vt ibi, & diu, & suauiter quiescat. Cedrus ergo, quæ virens antea in Libano patulis explicata ramis, diris, atque rapacibus volucribus nidos; feris autem immundis vmbras, & cubilia porrigebat, eadem diffusis spoliata ramalibus, & nudata frondibus, mollem sponso lectum, & quietem præbet.

Hæc sententia satis est ad mores accommodata; sed non satis ad literam: quia in eo ferculo non solus quiescit sponsus, sed etiam spõsa ad sponsi domum stabiléque cõnubium traducitur. Est autem ferculum istud, non lectus quietus, ac stabilis, sed gestatorius, ac mobilis, qui sponsam ad stabilem deducit: ita tamen vt in eo sponsus quoque suas habeat delicias. Erunt ergo virtutes Salomonis ferculum, quæ viam expediant, gesténtque ascendentem animum de deserto, donec videatur Deus Deorum in Sion. 29.

Iuxta hanc ergo sententiam *ligna Libani*, id est, cedri à suo iam abscissę natali situ, ex quo per radices iam nullum trahunt alimentum, & succum; ea item ramorum luxuria expoliatæ, quam à suo genio, atque natura acceperunt: ita denique dolatæ, vt pene nullum sit vestigium antiquę formæ, abnegatio est, maximè commendatum à Patribus, & ipsum quoque maximum rei spiritualis fundamentum. Hæc verò (vt docet Basilius in Reg. fusior. interrogatione 6. est summa rerum omnium vitæ superioris obliuio, atque à suis ipsius voluntatibus recessio. Et sanè ad spirituales nuptias hoc in primis commendatur sponsæ, & hîc, & cap. 5. dum vocatur à Libano, atque Hermon; & clariùs Psal. 44. vbi eidem iubetur, vt obliuiscatur populum suum, & domum patris sui. Et quod quæso, aptius abnegationis symbolum, quàm truncus non à sua solùm sublatus stirpe, sed etiam ab antiqua specie, ac decore; ita vt ferculi, aut alterius naturæ figuram habeat potiùs, quàm antiquam? Sponsa verò illa Ezech. 16. quæ & in materno sanguine volutabatur, & adhuc habebat vmbilicum, per quem à matre trahitur alimentum, symbolum est eius, quæ nondum oblita est populi sui, neque sibi, suísque renunciauit; neque apta est, quæ ad connubium veniat cœlestis sponsi, nuptialibúsque excolatur ornamentis; nisi priùs excitetur ab illo impuro volutabro, mundetur ab eo, quod ab vtero traxit, abscindatur vmbilicus, neque quidquam aut habeat, aut speret à Cethæa matre. In huiusmodi cedros in suo Libano radicatas, in regione videlicet impiorum, Deus desæuire videtur, & cum ingenti fragore fulmen vibrare; quo & illas à radicibus euellat, ornamentísque natiuis expoliet, & ad honestum, & religiosum vsum traducat: ex quibus nempe fiat sacrum quoddam vehiculum. Sic accipe illud Ps. 28. *Vox Domini cõfringentis cedros: & cõfringet Dominus cedros Libani. Et comminuet eas, tanquam vitulum Libani* Vbi in vitulo cõminuto aliquid videre videor in hanc cogitationem non importunum. Nam quẽadmodum ex aureo vitulo, quem pro Deo coluerunt Hebræi, conflari potuit vas aliquod sacrum, deposita priori forma: sic ex Gentili, atque profano pectore formari potest religiosum, & pium, in quo Deus tanquam in suo ferculo, & geniali thalamo quiescat.

Ab negationis v.. fus, & natura.

Columnas eius fecit argenteas.

CVm ad sponsi triumphum, populíque voluptatem, & plausum hæc pompa nuptialis esset comparata, oportuit apertum à lateribus esse ferculum; quare columnæ argenteæ vtrinque dispositæ sunt, quæ & ferculi tectum suspenderent, & omnium oculos ad coniugum aspectum admitterent. *Histor.*

30. *Columnas eius fecit argenteas.*] Argenteas columnas castitatem interpretor, & cõiugalem fidem, quam candidam ipsa quoque Gentilitas appellat. Hæc nullum præter sponsi amorem admittit: huic vni seruat fidem, & sicut argenteæ columnæ thalamum suspendunt, aut nuptiale ferculum sustentant; sic fides coniugalis inconcussa, & firma, nuptiale fœdus, siue matrimonium vulgare sit, siue arcanum, & mysticum. *Allegor.*

Reclina

Reclinatorium aureum.

31. Histor. Fides cōiugalis. HEbraicè רפידה *Raphidah*, quod quidam *stratum*, seu *pauimentum* interpretantur; quia lectum sustentat. Sed meliùs noster Interpres vertit *Reclinatorium*, Septuaginta ἀνάκλιτον. Est autem pars illa in lectica, seu curru, in qua acclinati sponsi cum dignitate, & placidè recumbunt. Allusum autem hîc videtur ad Psal.67. *Si dormiatis inter medios cleros, penna columbæ deargentata, & posteriora dorsi in pallore auri*; id est, reclinabitis dorsum in reclinatorio aureo. De quo pluribus in explicatione huius Psalmi, quam his Commentariis adiungemus.

32. Allegor. Deus se quiescit super humilem & quietum. *Reclinatorium aureum.*] Abnegatio, de qua suprà, quæ tanquam Libani ligna, totam huius mystici ferculi molem sustentat; seu veriùs, quam compensat, cumulátque Regius splendor ac dignitas. Reclinatorium aureum parauit, vbi & ipsa sponsa cum sponso, à quo omnia iam sperat, & sponsus, in lecto iam aliis amatoribus vacuo, & omnino iam suo, molliter cubant. Est autem reclinatorium, & humilitas, quæ ab anima, quæ res humanas ad se pertinere non putat, abesse non potest, & tranquillitas animæ (vt indicant tres Patres apud Theodoretum) quæ domitis, ac summotis hostibus; turbidis scilicet animi motibus, priorem illam abnegationem consequitur. Sponsus sanè super humilem, & quietum requiescit, *cuius locus in pace factus est*, Psal.75. id est, in Ierusalem, quæ *pacem* sonat.

Porrò quàm mollem lectū sternat humilitas, sublatis spinarum aculeis, quibus horrere solent superborum cubilia, & quàm gratum sponso humiliū amantissimo, sponsus ipse Christus plurima in mortali statu, eáque illustrissima documenta dedit. Reclinatorium verè aureum inuenit in virgineo ferculo, vbi primùm illam vocem expressit humilitas, *Ecce ãcilla Domini*, & cùm primùm natus, humili hospitio, & humili incunabulo exceptus est. Denique reclinatorium electum è millibus, vbi extremū dormiuit sōnū, quódque, dū vixit, sitienter expetiuit, Crux fuit, non miserorū solùm, sed etiam sceleratorum, ante illum Christi somnum lignum execrabile; & in eodem etiam quiescit sponsa, quæ suarum rerum, & sui etiam ipsius oblita sedatis passiōnibus in conspectu, atque adeò in sinu sponsi tanti, quod timeat non habet; vbi & se iam ipsa securiùs, & sponso suo placidissimè fruitur.

Quia verò Christus, cùm in mundum venit, quamcumque se in partem daret, nihil reperit molle, quia omnia auaritiæ, atque ambitionis sentibus horrebant; nihil aureum, quia nihil à carnis, nihil à terrenarum sordium contagione purum; ideo Matth. 8. dixit commodiùs vulpibus, & volucribus cœli de foueis, & nidis fuisse prouisum, quàm sibi de reclinatorio, quieti suę, atque vsibus opportuno. *Vulpes*, inquit, *foueas habent, & volucres cœli nidos; Filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet.*

Ascensum purpureum.

HEbraicè מרכבו *Mercabo.* Cōmuniter *ascensus* pro gradibus accipitur, per quos ad thalamum, seu ferculum ascenditur; & ad spiritualem sensum explicatio hæc non parū apta. Sed fortasse aptiùs 33. Histor.

sumi

Ascensus pro ferculi tegumento. sumi posset pro integuméto, quod ferculo pro cœlo est. Nam & hoc significat vox Hebræa, vt quidam ex Rabbinis existimant: est enim id, quod equis, iumentísve insternitur, quod vno verbo dici posset ephippium; maximè quia pars ferculi illustris admodùm non videbatur prætermittenda. Adde quòd Theocritus, qui in ferculo Arsinoës hoc nostrum expressit, purpureum velum instratum esse dixit Idyllio 15. *supráque tapetes purpurei.* Ascensum verò hic passiuè sumo, atque in genere neutro, pro eo quod supra columnas ascendit, siue extensum est. Ita Genebrardus, & alij recentiores non pauci. Quòd si ferculum genialis thalami similitudinem refert, vt antea diximus ad illud cap. 2. *Sub vmbra illius*; nihil est in thalamo illustrius integumento, siue, vt vocat Athenæus, cœlo.

34. Allegor. *Ascensum purpureum.*] Si per *ascensum* intelligas quosdā gradus, per quos ad ferculi reclinatorium ascenditur, quod multi volunt, obuia est accommodatio; siue quia per labores, & sanguinem ad æternam quietem ascensum aperit mortificatio; aut etiam, magis ad nostram explicationem consentaneè, quia per mortificationem aptum, & nobis, & Deo reclinatorium instruimus, quod est ad reclinatorij dignitatem ascendere. Sed quia in cortice probabile magis credidimus esse ferculi velum, siue integumentum, quod argenteis columnis thalami more suspenditur, aliter nobis ascensus iste purpureus considerandus est. Nam sicut in nuptiali thalamo, seu ferculo, quo in sponsi domum sponsa traducitur, conspicuum maximè est stragulum illud, quod thalamum tegit, & sponsos obumbrat: sic etiam id, quod à mortificatione prouenit, conspicuum reddit, atque illustre ferculum hoc mysticum. Id verò commodè per colorem rubrum exprimitur, qui sanguinē notat, optimum mortificationis insigne, & pene proprium opus. (Mortificationis nota.) Purpureus autem color cœlesti oblatum spōso mollem esse lectum, & ad eius delicias apprimè stratum indicat; significat enim per mortificationē asperitatem esse sublatam, fractos spinarum, id est, passionum stimulos, ablata omnia, quæ placidè spōsum quiescere non sinunt; abesse tandem illa, quæ ab animali facultate profecta abigunt potiùs sponsum, quàm alliciunt.

Media charitate constrauit.

LOcus hic variè totsit expositores. Primùm, certum est *media* 35. Histor.
nomen esse substantiuum; significat enim quod intra ferculum est. Hebraicè תוכו *Tocho*, id est, *medium eius*. Septuaginta vertunt, ἐντὸς αὐτῦ λιθόστρωτος ἀγάπην, id est, *in medio charitatem lapidibus constratam*. Et quinta editio ἐψηφολόγησεν, id est, *calculis composuit*. Ambrosius de Virgine cap. 3. *gēmatum stratum*. Porrò, pro *constrauit*, Hebraicè est רצוף *Ratsuph*, quod significat *prunam*, aut *carbonem ignitum*. Vnde videtur hîc significare interiora ferculi ardere, id est, collucere gemmis. Neque inusitatum est etiam apud Latinos, vt *ardere* pro splendere vsurpetur. Virg. 10. Æneid.

Ardet apex capiti, cristísque à vertice flamma
Funditur, ——

Et lib. 11.

—— *campísque armis sublimibus ardet.*

Id est, fulget. Sic hoc loco interiora ferculi ardere dicuntur gemmis, tanquam

tanquam prunis, vel esse λιθόςρωτα, id est, *è lapide sectili, opere vario, & tessellato constrata.*

Quid verò sit hoc loco charitas, difficile est. Quidam existimant per *charitatem* intelligi emblema aliquod, vel symbolum amoris, verbi gratiâ, columbam è lapide, vel ex alia splendenti materia efformatam; neque mihi displicet. Si enim (vt aliqui volunt) eius agminis vexillum erat charitas, quam in dilectam cap. 2. ordinauit sponsus, verisimile est, cùm ipse quoque currus esset amatorius, & amantium symbolum, in illo multis in locis dispositas esse columbas, & ad illas allusum, dum sæpe in his Canticis auditur *columba* nomen. Et fortasse hîc exprimitur quod promissum est Psal. 67. *Si dormiatis inter medios cleros, penna columbe deargentata,* &c. Nam pro illo squalore dantur argenteæ columbæ, quibus pheretri interiora instrata sunt; *& posteriora dorsi in pallore auri:* quia aureum est reclinatorium. Theocritus certè Idyllio 15. in suo ferculo inter alia quæ videtur sumpsisse ex his Canticis, amoris quædam emblemata describit in Arsinoës ferculo: vbi presertim dicit esse aquilam, quæ gestat Ganimedem, qui futurus Ioui erat à poculis.

35. Sunt qui in *charitate* sponsũ ipsũ intelligant, qui omnino charus, & amabilis est; qui medium occupat ferculum. Ita quidam ex Hebræis, quod etiam aliquibus è nostris non improbatur. Neque longè absunt, qui in medio effigiem, aut aliquod amoris symbolum posuerunt; nam si sponsus amor vocari potest per metonymiam, quia amabilis est, sanè amoris symbolum, pro amore, aut certè pro amabili non ineptè supponitur. Quòd si in præsepi, vbi sponsus infans, aut in Cruce, vbi ætate grandior reclinatus est, reclinatorium aureum, aut ferculum esse statuas, in vtroque charitatem consedisse constat, quia in vtroque ea edidit charitatis non signa tantùm, sed etiam incendia, vt fideles animos non solùm ad se trahat; sed etiam inflammet. Ostenderunt hoc olim inscij quidem, & in eo, si vnquam, impij maximè Gentiles, qui cùm aut occultare vellẽt, aut impiæ religionis opinione fœdare nostræ salutis instrumenta, in Christi præsepio, Adonidis, Veneris amasij, & quasi amoris Dei, & in eo loco vbi Crux antè fuerat, Veneris ipsius simulacrum posuerunt. Ita Rufinus lib. 1. cap. 7. Quam Gentium abominationem Helena Constantini mater omni studio ex sacris illis locis ablegauit. Sic autem Rufinus. *Helena Constantini mater in somnis admonita, conquirendæ Crucis studio Hierosolymam venit; vbi marmoream Veneris statuã in Crucis loco à Gentibus collocatam, adtollendam Christi Domini Passionis memoriam post centum circiter octoginta annos euertendam curauit. Quod item fecit ad præsepe Saluatoris, & in loco Resurrectionis, inde Adonidis, hinc Iouis sublato simulacro.* Quam historiam habes in Breuiario in inuentione sanctæ Crucis, mense Maio. Vt autem hęc Gentilium commenta meritò execramur, atque conspuimus, qui ad purissima sacraria, omníque Religione veneranda fœdissimas sordes induxêre: sic etiam probamus vehementer illorum cogitationẽ, qui amorẽ ipsum cũ Christo simul in pręsepio iacuisse, & in Cruce quoque cum Christo cõsedisse existimarũt, ex qua ignita iaculatur spicula, quę in illud pręclarũ spectaculũ intẽta, fideliũ viscera cõfigũt.

Vbi Christus natus & mortuus, Gẽtiles deorũ suorum simulacra posuerũt.

Adonidis, Veneris, & Iouis simulacra.

36. Sed, vt puto, sensus huius loci proprius est, quem suprà obiter attigimus, stratum esse lectum charitate, id est, rebus amabilibus, & pretiosis: putà gemmis, lapidibúsque lucidis; quos amant curiosi, & elegantes oculi. Hîc verò *charitas* significat, quod animos pellicit ad amorem sui, sumitúrque pro amabilibus, & gratis; abstractum nempe pro concreto. Quod in Scriptura obuium; sicut *labia charitatis* dicuntur Iudith 9. & *vincula charitatis* Oseæ 11. & infrà cap. 5. vtitur eodem ferme dicendi modo. Nam vbi vulgatus habet, *totus desiderabilis*, Heb. est, *totus desiderium*: & ita omnino verterunt L x x. Quo sensu dixit Ioannes Epist. 1. cap. 2. *quicquid est in mundo, esse concupiscentiam carnis*, id est, à carne concupiscibilia. Et in hunc pene sensum explicat Eugubinus, ex sententia Abenezrę, & Dauid Kimhi, illud Psal. 44. *Omnis gloria eius, filiæ Regis ab intus*. Ait enim omnem gloriam esse in auratis thalamis, & in arcanis penetralibus. Thalamus verò dici potest hoc ferculum, in quo aureum reclinatorium est, & genialis torus. Thalamum verò lectum non esse propriè, sed conclaue, vbi lectus est coniugalis, tradit Lucianus in Dialogo, qui dicitur *Herodotus*, parum à principio, vbi lectulum in thalamo constituit; & Athenæus lib. 12. cap. 8. *Habebat*, inquit, *domus centum thalamos, in quibus singulis lectus erat.* In eam sententiam explicat Seruius illud Æneid. lib. 2.

Charitas pro rebus amabilibus.

Thalamus quid.

Quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum.

Thalamos, cameras nuptiales vocat.

37. *Media charitate constrauit.*] Variè suprà *charitatem* accepimus; variè etiam nunc ad spiritum, & mores interpretemur necesse est. Si amoris symbolũ in ferculi medio positum esse dicas, columbas putà, aut aliquid simile, non est difficile intelligere charitatem, virtutum omnium Reginam, tanquam cor in corpore, quo cætera membra viuunt, ac vigent, in medio, tanquam in suo Regno cōsedisse; à qua virtutes omnes, quas abnegatio, mortificatióque inueniũt, atque expoliũt, vitã habent, & pulchritudinẽ. Hæc amabilẽ facit esse thalamũ, hæc sua secum affert naturalia ornamenta, virtutes scilicet alias, quæ tanquam asseclæ, & administræ, ab eius latere nunquam discedunt; imò hæc vna reliquarum virtutum partes obit. Quod optimè docuit August. in tractatu de laudibus charitatis to. 9. Huius autem argumenti plena sunt Sanctorum monumenta. Docuit apertè Apost. 1. Corint. cap. 13. qui charitati omnium penè virtutum munus attribuit; *Charitas patiens est, benigna est*, &c. Vide eius loci expositores.

Allegor.

Charitas alias secũ virtutes affert.

Si tamen hoc loco *charitas* pro charis, & amabilibus sumatur, id est, pro lapidibus pretiosis, aut alio quouis pretioso cultu, quod in cortice magis probauimus, neque à Scripturæ consuetudine est alienum (quæ abstracta sæpe sumit pro concretis) elegans quidem sensus est, neque longè à superiore diuersus. Nam media, id est, interiora penetralia collucere gemmis, nihil aliud est, quàm ornari virtutibus, quæ quia sine charitate splendere, imò neque esse possunt, fateamur necesse est, mediam charitatem sedere tanquam Reginam, illique adesse virtutum aliarum splendidissimum chorum.

Propter

Propter filias Ierusalem.

38. Histor. HIc multa scriptores de studio Salomonis, quo & videri voluit, & amari à filiabus Ierusalem; vel ipse aperta lectica tota ciuitate concursans, illas & spectare, & amare studuit. Ego verò puto longè alienum id esse ab huius operis instituto, & sanctitate; potiùs existimo, consentaneè ad ea, quæ suprà diximus, Salomonem virum sapientissimum, hieroglyphicum hoc ferculum faciendum curasse, quo filiæ Ierusalem in nuptiis vterentur, vt in hanc sancti connubij formam intentæ, acribus amoris, & fidei symbolis excitatæ viros suos colerent, & diligerent. Dicitur verò propter filias Ierusalem constratum esse ferculum charitate, licèt filij quoque in eo gestarentur, quia fœminæ illis deliciis, atque splendoribus capiuntur maximè, illa admirantur, & ægrè ferunt, si absint; viri autem hæc aut respuunt, aut certè non admodùm curant. Hûc credo respexisse Septuaginta dum vertût, *charitatem à filiabus Ierusalem*: ac si dicant, quod amãt filiæ Ierusalem.

Salomon ferculũ fecit hieroglyphicũ pro omnium nuptiis.

39. Videntur autem Reges id sibi negotij assumpsisse, vt spõsas ornarent, & Regio apparatu in nuptiali pompa cohonestarẽt. Nam de Saül dicitur 2. Reg. 1. *Filiæ Israël super Saül flete, qui vestiebat vos coccino in deliciis, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro.* Quo loco cùm generalis sermo sit, agi videtur de vestimentis, quæ omnibus filiabus Ierusalem essent proposita. At non succurrit, quæ potuerint esse, nisi hæc nuptialia, qualia videntur esse illa, de quibus Ps. 44. *In vestitu deaurato: circumdata varietate.* Huiusmodi vestibus Regiæ puellæ tantùm vtebãtur, vt probabile fit ex 2. Reg. c. 13: vbi pro eo, quod in Vulgata legitur de Thamar. *Quæ induta erat talari tunica* (*huiusmodi enim filiæ Regis virgines vtebantur vestibus*) Heb. est פסים *Pasim* id est, *polymita, versicolor*, & *varia*. Quæ vox Gen. 37. ponitur, vbi describitur vestis Ioseph. Et Septuaginta vertunt, *variam*. Vestem verò Thamar interpretantur καρπωτὸν, id est, *frugibus intextam*; sicut etiam legit Aquila. Nonnulli codices habent ἀστραγαλωτὸς, id est, *talaris*, & in his Complutensis; sed alia lectio communior. Huiusmodi Regiæ vestes, vt reor, tradebantur spõsæ, quia in eo nuptiali plausu quasi Regina erat. Et ideo fortasse omnes sponsæ Reginæ dicebantur, & filiæ principis; quia non secus, atque illas Regius cultus ornabat. Qualem accepisse videtur Iudith, cùm deposito viduitatis habitu cultiora induit ornamẽta, qualia olim in adolescentia gestauerat, quando nuptiales habuit, & geniales dies. Cap. enim 10. dicitur lilia accepisse, id est, vestimenta exculta liliis. Adhæc credo Salomonem vestibus huiusmodi pro sponsis argumenta aliqua hieroglyphica opere Phrygio addidisse, quæ sponsos sui officij, ac status admonerent; quæ deinde ipse luculentiùs & laudat, & exponit

Reges ornatũ nuptialẽ videntur pro communibus nuptiis comparasse. 2. Reg. c. 1.

2. Reg. c. 13.

Propter filias Ierusalem.] Licèt sponsa hæc sancta vni tantùm spõso nubere debeat, quem amet, & cuius se voluntati totam attemperet; sponsus tamen cœlestis multas ducere & potest, & cupit. Et nulla est, quam ab hoc cœlesti, castóque connubio (modò aptè se ad illud ornari patiatur) aut generis sordes, aut abiecta conditio repellat. Propter eas igitur animas, quæ esse volunt non tam genere, quàm moribus filiæ Ierusalem; cœlestis Salo- 40. Allegor.

mon geniale illud ferculum composuit, ornauitque, & quantùm sit in eo coniugio deliciarum, ac honoris, documentum dedit.

Egredimini, & videte filiæ Sion Regem, &c.

41. Histor. POstquam oculis subiecta est eximia ferculi pulchritudo, admonentur filiæ Sion, vt contemplari currum desinant, & id, quod speciosius est, & amabilius, intueantur. Sponsa, quia in sponso tota est, neque currum curat, neque alia omnia, sic etiã vult, vt virgines alię psaltriæ oculos à currus elegantia, & gloria ad sponsi pulchritudinem spectandam conuertant. Illud autem, *egredimini*, interiecto est, sicut, *veni*, &, *venite*; ac si dicat: Agite dum, videte Regem. Porrò hîc non describitur Salomonis gloria, vel lætitia, sed est sponsi cum Salomone comparatio, ac si dicatur: Quibus videre non contigit Salomonem in die desponsationis suæ coronatum, neque perfrui datum est illius diei gloria, ac triumpho, egredimini iam, & videte eius hodie ad viuum expressam imaginem in hoc sponso, qui & ornatu, & specie alter nobis Salomon est. Vel certè quia sponsi, vt suprà vidimus, Reges appellantur, Salomon hîc Rex, vtpote maximè notus, pro Rege in communi sumitur, vulgato more, quo indiuiduum aliquod nobile pro specie ponitur, vt Mausolæum, pro honestiori tumulo; Colossus, pro statua proceræ magnitudinis. Quasi dicat sponsa: Videte spõsum Regio cultu conspicuum, & ipso incessu verè Regem.

42. Allegor. *Egredimini, & videte filiæ Sion.*] Locus iste, qui (vt vidimus in cortice) nodos habuit explicatu difficiles, in medulla aquè impeditus est. Verba hæc communiter sponsæ tribuuntur, quæ cùm filias Sion stupentes videret defixas saltem in genialis ferculi contemplationem, illas iubet, & oculos, & mentes cõuertere ad sponsũ, ex cuius liberalitate, atque indulgentia illa tanta munera profecta sunt; & qui, cùm omnium rerum in se pulchritudinem contineat, oculos, & animos pascit multò suauiùs, quàm quæ in natura rerum putantur esse iucundissima.

Egressæ iam fuerant filiæ Sion, & sponsum Regio incedentẽ gradu comitabantur: iubentur tamen egredi, alio nempe magis arcano, & spirituali modo. Nyssenus admoneri putat filias Siõ, vt sui nominis, atque instituti recordentur, & sint verè filiæ Sion, id est, filiæ speculæ, siue orationis. Siõ enim *speculam* sonat, ex qua illa, quæ procul à nobis sunt, contemplamur. Porrò locum excelsum orationi olim destinatũ esse confirmant multa. Iudith, vt ex c.8. constat, fecerat sibi cubiculũ in edita domus parte ad orandum paraverat, sicut etiam Sara Raguelis filia, Tob. c.3. Et ante conditum Templum excelsa montium fastigia ad orationis, sacrificiique negotium quærebantur. 3. Reg. 3. *Populus immolabat in excelsis: nondum enim ædificatum erat Templum.* Et rursus: *Salomon abiit in Gabaon, vt immolaret ibi, illud quippe erat excelsum maximũ.* In locis etiã sublimibus orare, etiã Euangelij tempore, Apostoli nobis documento sunt, qui, vt Spiritum sanctum acciperent in die Pẽtecostes, in cœnaculum, id est, in supremam domus habitationem ascenderunt. Quod planè significat Græca vox ὑπερῷον. Et Petrus Actor. 10. Locus excelsus orationi aptus.

in tectum

in tectum oraturus ascendit, speculaturus vtique quasi vera, atque legitima filia Sion. Idem etiã docuit Christus Lucæ 6. cùm oraturus in montem dicitur ascendisse. Quid verò significet locus excelsus, in quẽ sese oraturus attollit, docet Cyrillus Alex. lib. 7. in Leuit. vbi cùm ageret de loco, ad quem oraturus ascendit Petrus, ait. *Quia Petrus mortuus erat cum Christo, qua sursum sunt, quærebat; non quæ super terram; illuc ascendebat ad illa tecta, ad illa fastigia, de quibus dicit Dominus; Qui in tecto est, non descendat tollere aliquid de domo.* Ac si dicat, illum verè in altum ad orãdum ascendere, qui infrà humana relinquit; neque orationi legitimè vacasse censendum illum esse, qui ex illo orationis fastigio sese ad humana resumenda demiserit. Idem penè Ambr. in illud Lucæ 6. [*Exiit in montem orare.*] *Non omnis*, inquit, *qui orat, in montem ascendit, sed qui bene orat: at ille non ascendit in montem, qui de secularibus diuitiis, aut de honore sollicitus est.*

Oratio ab negatione desiderat.

43. Non longè ab hac sentẽtia abit S. Thom. dum egredi ait iuberi filias Ierusalem de turbulenta huius sæculi conuersatione. Bernard. Sermon. 2. de Epiph. inuitari putat cœlestes spiritus, vt gustent delicias illas, atque dulcedinem, quas offert spinea Christi corona, quibus adillum vsque temporis articulum caruêre: sed & animas etiam, quæ adhuc sunt in mortali corpore, admoneri putat, vt ad speciosum, atque amabile spectaculum prodeant, & à se ipsis, id est, à carnis affectibus, curisque secularibus excedãt. *Egredimini, inquit, de sensu carnis ad intellectum mentis, de seruitute carnalis concupiscentiæ ad libertatem spiritualis intelligentiæ, egredimini de terra vestra, & de cognatione vestra.*

In diademate, quo coronauit illum, &c.

Si sermo sit de Salomone, cum quo hic sponsus componitur, licèt coronatus dici possit à Bethsabe matre in die, quo Pharaonis filiam in hoc eodem ferculo à nobis descripto (quod filiabus Ierusalem in vsum genialis pompæ in posterum esse voluit) nuptiali plausu, atque lętitiã domum traduxit, de quo certi nihil est; tamen non incommodè dici potest, hîc agi de die, quo Regnum à patre posthabitis aliis fratribus accepit; in quo magna lætitia, ac publica tota vrbe perstrepente symphonia Rex est declaratus, atque vnctus. Dicitur verò à matre coronatus, quia ipsa precibus obtinuit, vt filius regnaret, quod moraliter coronare est. Matris autem meminit Salomon, vt quantũ materno studio, atque sedulitati deberet, testatum relinqueret, & cantu celebratum. Desponsatio verò, vt autè diximus, pro lętitia magna sumitur: quare illa quasi Regis inauguratio Salomoni pro desponsatione fuit. Sin autem hîc nullus de Salomone sit sermo; sed omninò de sponso, quem Regem, & Salomonem chorus salutat (cùm sponsi in nuptiis coronari soleant, vt vidimus capit. 1. n. 6.) hîc dicitur à matre coronatus, quia maternæ sollicitudinis est ornare filios, & quæ ad illorum cultum spectãt, comparare: viri enim alia curãt maiora. Quòd filiis ad nuptias coronam texant matres, alicubi legisse me recordor; licèt locus in præsentia non subeat. Sed indicat Euripides in Iphigenia in Aulide, vbi Clytemnestra Achilli obiicit à se filiam esse coronatam ad

44. Histor.

Matres pro nuptiis filios coronant.

nuptias. Ματὴν μὲν, ἀλλ' ὅμως σοὶ κατασίγασα ἐγὼ νιν ἦγον γαμουμένην. i. *Frustra quidem, veruntamen, quasi tibi nuptura esset filia, illam adduxi, vbi prius illam coronâssem.* Et filia Iephte apud Philonē de antiquitatibus Biblicis, seu potiùs apud Pseudo-Philonē, cū in syluis deplorare inducitur virginitatem suam, inter alia dicit, frustra comparata esse à matre sua nuptialia ornamenta. *O mater,* inquit, *mea in vanum peperisti vnigenitam tuam; quoniam factus est infernus thalamus meus: confectio omnis olei, quod praeparasti mihi, effundetur: & alba, quam neuit mater mea, tinea comedet eam; & corona quam intexuit nutrix mea, in tempore marcescet.* Quomodo sponsi à parentibus coronati ducerentur ad thalamum in pudoris signum, in primis, vt reor, nuptiis, docet Chrysostomus in Epist. 1. ad Timot. cap. 2. Homil. 9. in explicatione morali, de quo nos statim in sensu spirituali. *Idcirco quippe,* in-

Cur filij coronentur ad nuptias.

quit Chrysostomus, *coronae imponuntur capiti, vt victoriae signa sint, quod scilicet antea libidini fuerint impenetrabiles. Ita demum cubiculum ingrediuntur, quia scilicet à voluptate superati nō sunt. Quòd si libidine superatus quisquam se ipsum scortis addixerit, cuius iam rei gratiâ coronatus incedat, qui tam foedâ libidini colla subdiderit?*

45. Allegor.

In diademate, quo coronauit illum mater.] Videndum hîc, à qua matre sponsus, & quo deinde diademate coronatus sit. Multi haec referunt ad mysterium Incarnationis, & coronam humanitatem assumptam esse existimant, quam cùm à Virgi-

Humanitas assūpta corona Christi.

ne matre habeat, meritò ab ea coronatus dicitur. Ita Gregor. hîc, Beda, S. Thom. & Bernard. Ser. 2. de Epiphania. Neque deest ratio, cur humanitas corona dici debeat: notum est enim coronam dici id, quod alicui gloriosum est, aut decorū, quo sensu *mulier diligens corona* dicitur *viri sui*, Prou. 12. & *corona senum multa peritia*, Eccli. 25. Et de Iosia, qui populi sui magnum erat ornamentū, Thren. 5. scribitur: *Cecidit corona capitis nostri.* Quàm verò Deo gloriosum fuerit carnem sumpsisse, vide S. Thom. opusc. 60. Et ad Hebr. 2. *Iesus per Passionem gloria, & honore coronatus* dicitur. Et ideo fortasse Angeli in Christi nati Genethliaco gloriam canunt: quia gloriosa illi fuit noua illa de Virgine natiuitas. Seu certè humanitate coronatus est, quia per illam Ecclesiam eiusdem naturae sociam sibi desponsauit: corona enim, vt suprà vidimus cap. 1. signum est nuptiarum, quia sponsi coronati nuptias ineunt. At sumi signum pro re significata in sacra Scriptura frequens est.

Dicitur autem Christus in ea coronatione, seu desponsatione laetatus; quia, quod iamdiu desiderauerat, tunc consequutus est, nempe, vt lapsum hominem illa sua coronatione redimeret, & fugitiuam sponsam ad torum, fidémque coniugalem reduceret.

Alij hîc coronam aliam, & aliam matrem agnoscunt; hanc quidem Synagogam, illam verò spineam, qua morti iam proximus redimitus est sponsus; quod putant Theodor. & tres Patres, & Bernard. Serm. 5. in Festo omnium Sanctorum. Quòd si thalamum dicamus esse Crucem, spinea corona sponsum Christum ad thalamum ornauit. Desponsatio verò Passionis tempore celebrata existimatur, quia tunc maximè, & amoris sui illustria signa, & sponsalitia dona plura, maioráque largitus est. Nam sponsi more in coena vltima totum sese impendit sponsae, vt vna caro fieret vtrique communis. 46.

Desponsatio Christi in tempore Passionis.

Tunc

Tunc sponsam Hebræorum more sibi Christus coëmit, sociauitque, *quam adquisiuit sanguine suo*; Act.20. Tunc *desponsauit sibi in sempiternum in iustitia, & iudicio, in misericordia, & miserationibus*; Ose.2. Dies ille cruentus, & ignominiæ (vulgi iudicio) plenus, gloriosus tamen fuit, & omni lætitia cumulatus. *Vidimus*, inquit Paulus ad Heb.2. *Iesum per Passionem gloria, & honore coronatum*. Hunc verò diem lætitiæ suæ ita sitiebat amãs sponsus, vt diceret coarctari se, donec Baptismum sui, nempe sanguinis compleret. Quòd si Crux genialis lectus est, in quo sponsus cubat, in ea cubet etiam oportet, quæ spõsa crucifixi sponsi videri vult. Quare videat iterum, atque iterum an eo nomine dignus sit, qui cùm de sponsæ titulo sibi blãdiatur, ab spõsi lecto, & cultu sic abhorreat, vt nihil curet minùs, quàm nuptiales illas delicias, nihil oderit magis, quã quæ propria sunt, atque legitima diuinæ huius desponsationis signa.

Crux spõsi thalamus.

47. *In diademate.*] Magnum aliquid est, spinis redimitum esse Christi caput, quando sponsa adolescentularum oculos, & mẽtem auocat à ferculi contemplatione, in quo verus Salomon Christus gloriosus inducitur, & triumphans. Sanè his qui à sensu carnis egressi sunt, quique de Dei bonitate rectè sentiunt, multò pulchrior est Christus, multò amabilior, cùm sese ad eas, quas mundus sordes esse putat, abiecit, quàm cùm dignitatem ostentat suam, & triumphalem in modum cum gloria, & maiestate traducitur. De quo Serm.1. de Epiphan. Bernard. *Quanto pro me vilior, tanto mihi charior est.* Paulo quidem sic pulcher, & amabilis visus est Christus ea specie, quã vulgaribus oculis despectus apparebat, vt nihil se scire (id est, vt ego interpretor, cogitare) fateatur, nisi Christum, & hunc crucifixum. 1. Cor.2. Cùmque valdè expediat diu meditari, ac sæpe Christi gloriam post Crucis acerbitatem, & ignominiam, vt etiam nos auidiùs, atque constantiùs Crucem amplectamur, cui merces tanta in Christo coronato proponitur; tamen maiore nobis erit ex vsu illum affixum Cruci, & spinis coronatum intueri, cùm illum non tam gloriosum in illustri ferculo, id est, in cœlo triumphantẽ, quàm in mortali statu patiẽtem, & humilẽ imitari debeamus. Quare cùm Ecclesia Christi mysteriis, in quibus ipsius emicat virtus, atque potentia, breue tempus assignet, qualia sunt, Ascensus in cœlum, Transfiguratio, & Resurrectio; tamen ad ea contẽplanda, in quibus abiectus & vilis videri potuit, longum spatium, illúdq; illustribus notatum monumentis instituit: pro ortu nempe quatuor hebdomadas; pro Passione verò quicquid à Septuagesima est ad Dominicam vsq; Resurrectionis. Videtur ergo Ecclesia iubere, vt fideles animæ à triumphante Christo, atque glorioso ad eundem humilem, atque patiẽtem oculos auertant.

Christus in sua humilitate pulchrior ac gloriosior.

Sæpius Christi humilitas, quàm gloria spectanda.

In die desponsationis illius.] Despõsauit sibi Christus Ecclesiam, & quãcumque fidelem animam, quando *illam acquisiuit sanguine suo*; Act.20. quámque ita mundauit & ornauit, *vt in illa nulla appareret macula, nulla ruga*; ad Eph.5. Dies autem despõsationis, & nuptiarum idẽ fuit, qui Passionis & Crucis. Quare dum in die desponsationis Christus diadema dicitur gestasse ex spinis consertum, admonentur animæ, quæ spõsæ vocari student spinari, atque crucifixi sponsi, vt eundem ipsæ quoq; ad nuptias cultum assumant: neque enim 48.

Sponsa Christi Christum imitatur.

enim aptè ad spinati spōsi thalamū aspirat, quæ floribus se exornat, & veste ad luxuriam potiùs, & ambitiosos fastus, quàm ad crucis acerbitatem, atque ludibrium accommodata. Captiua fœmina, alienáque ab Israëlis nobilitate, ac genere, deponere iubetur nō solùm peregrinam vestem, quam gestauit in patria; sed etiam capillos, & vngues, qui in patria creuerunt; vt deposito illo tam externo, quàm naturali cultu, similis omnino fieret Israëlitæ coniugi; Deut. c. 21. Id ergo Ecclesia illis animabus edicit quæ mysticum Christi thalamum inire cupiunt. Quare spectare iubet, quem Christus nuptiali tempore cultum habuerit, vt ad eius se formam, & quasi ad speculum exornent. *Pudeat*, inquit Bernardus Serm. 5. in Festo omnium Sāctorum, *sub spinato capite membrum fieri delicatum.* Turpe putabant olim Christiani coronari floribus Gentilium more, cùm Christi caput spinis aliquando horruisse cognoscerent; ne insultasse viderentur Christo patienti, & eius ludibriis oblectari. Ita Clemens Alexan. lib. 2. Pedag. c. 8. *A ratione*, inquit, *alienum est, vt qui audierimus Dominum spinis fuisse coronatū, ipsi venerabili Domini Passioni per ludum insultantes habeamus capita redimita floribus.* Idem penè Tertullianus lib. de corona militis c. 1. Quàm autem decorus, atque pretiosus habitus eius sit, qui pro Christo patitur, vide Chrysost. in illud ad Ephes. 4. *Ego Paulus vinctus in Domino.* vbi gloriosius esse dicit cum Christo, id est, pro Christo in squalore carceris, quàm cum Angelis in cœlo morari. Illum tu vide.

Christianis olim turpe coronari floribus.

Ex quo vir spiritualis intelliget, si modò Deum aptè contemplari, atque nosse velit, siue carne vestitum, erumpentémque primùm ex Virgineo thalamo, siue in Cruce postea morientem (nam vtrobique coronatum diximus, illic humanitate, hic spinis) elaborandum esse primū & maximè, ne animus sæcularibus hæreat; turbidas cogitationes abiiciat, & à se totus expeditus ad Sioniam speculam sublimis ascendat. Hinc puto viros, qui spirituales non tam esse, quàm videri student, parum ex Christi nati, passíque meditatione fructus accepisse, quia constituerunt oculos declinare in terram potiùs, quàm ab humanis ad cœlestia conuertere, quorum studio capti tenentur, ne vnquam ad speculam Sion ascendant; aut dum se in illam attollere, aut conāntur, aut simulant, in medio ipso ascensu languent, atque deficiunt. Huc aduoca, quæ in sensu literali diximus ex Chrysostomo, qui docet filios à parentibus in nuptiis coronari solitos, ideóque fieri, vt illorum ostendatur animus, & constantia intemperantibus carnis motibus, & illecebris altior, atq; superior. Corona etenim illa candorem indicat, & puritatem animi, qui nunquam libidini succubuit. Quare hortatur Chrysostomus parentes, vt liberos suos sic instituant, vt illos postea coronatos producere non pudeat. Vide Chrysost. in Epistol. 1. ad Timoth. cap. 2. Homil. 9. in explicatione morali. 49.

Qualis oratio.

ARGV

ARGVMENTVM IN CAPVT QVARTVM CANTICORVM.

Laudat primùm sponsus Sulamitidem suam, non ab ornamentis, quod faciunt postea cap. 7. psaltriæ puellæ (id enim esset animi parum liberalis, ac belli sua in sponsa munera tantopere laudare) sed ab his donis, quæ habet à natura maxima: nempe ab oculorum modestia, à capillorum flauitie, &c. Deinde cùm hæc dicantur in medio cursu, quo in vrbem ascenditur, dicit sponsus velle se ascendere ad montem myrrhæ, & ad collem thuris, id est, in Ierusalem. Cùmque in eo iam statu sit sponsa, vt nihil habeat è paternis sordibus, & peregrino solo, vnde assumpta fuit, sed tota sit iam sine macula, & digna, quæ viro Israëlitæ nupta, in ordinem Solymidum fœminarum cooptetur; hortatur illam, vt secum de monte Libano, Sanir, & Hermon, id est, è patriis montibus, quos habitant Gentes, vbi nihil est ferarum cubilibus vacuum, nihil à leonibus tutum, ascendat secum in Ierusalem; rationemq́. reddit cur illam secum vellet assumere, quia cùm ab eius pulchritudine saucium habeat animum, diuelli ab ea nullo modo potest. Redit deinde ad interruptas laudes, aptisq́. similitudinibus eius pulchritudinem, atque amœnitatem exprimit. Cùmque illam hortum appellasset conclusum balsamo, thure, atque omni aromate abundantem, quorum odore frui difficile possunt, qui longè absunt, aduocat Austrum ventum mitem, & tepidum, qui laxatis, & solutis arboribus quas Aquilonis frigus astrinxerat, odorem in omnem partem quàm longissimè diffundat.

PARAPHRASIS.

1 QVANDO me, ô sponsa, laudare cœpisti adeò cumulatè, vt Regium mihi nomen, & maiestatem dederis, ego tibi vicissim, vt laudem remetiar; vno verbo dico te esse quampulcherrimam; quod ne magis audacter, aut beneuolè, quàm

CAPVT IV.

Sponsus.

1 *Qvàm pulchra es, amica mea, quàm pulchra es! Oculi tui columbarum, absque eo, quod intrinsecus latet.*

verè dixisse videar, id iam aliis facilè probabo, dum singula commemoro. Et primùm non muto, quod de tuorum antè oculorum venustate, atque modestia dixi, quando columbinis oculis assimilaui: quin addo præterea ad ipsorum dignitatem accedere, quòd intra capillos à fronte pendulos, aut nuptiali flammeo modestè, ac verecundè lateant.

Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascẽderũt de monte Galaad.

De capillis id dico, videri mihi similes Galaaditanis capris, quæ tonsili sunt vellere, eóque fuluo, seu à natura, seu certè ex flauenti, atque odorato succo, quem ex crebro ad arbores aromatiferas affrictu traxerunt.

2 *Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderũt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas.*

2 Sicut oues, quæ depositis tonsione villis, sordes quoque deposuerunt, quæ extremo velleri adhærere solent: quòd si recentes à tonsione abluantur, candidæ sunt, & mundæ, & propter frigus, quod à nuditate, lotionéque prouenit, constipant se magis, dum è lauacro ascendunt: sic dentes tui, ô sponsa, mundi sunt, & candidi, cõclusi inter se. Neque præterea os aliquibus eorum excussis indecens est. Et quia, vt fert oris optimè instructi natura, plures dimidio minutiores sunt, aut tales certè apparent in eleganti dentium ordine, ideo dentes tui gemelliparis ouibus quàm simillimi mihi videntur: nam vni denti latiori duo, siue re ipsa, siue specie minores adiuncti sunt.

3 *Sicut vitta coccinea labia tua: & eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali punici;*

3 Labia tua colore nitent roseo, vittæ coccineæ quã simillima: sermo tuus suauitate quadam mirifica cõditus, qualis ab iis labiis expectari potuit. Genæ tuæ præterquàm quòd

decorè

decorè inter capillos latent, rubent vt cortex malorum punicorum.

punici; ita genæ tuæ, absque eo, quod intrinsecus latet.

4 Videre mihi videor, ô Sulamitis, in tuo collo Dauidicæ turris, quæ cum propugnaculis ædificata est, expressam imaginem. Nam sicut in illius externa facie ad hostium terrorem fortium arma, clypei, gladij, pharetræ, &c. suspensa sunt, sic in collo tuo, non minùs elegāti, monilia sunt baccata, splendentes torques ornatu vario; quæ armorum materia, atque arte præstantium similitudinem referunt.

4 *Sicut turris Dauid collū tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendēt ex ea, omnis armatura fortium.*

5 Duo vbera tua, quæ inter lilia, quibus opere Phrygio illuminata est extima vestis, decorè tument, similia mihi videntur capræ gemellis fœtibus, qui ad vesperum vsque inter lilia, floresque pascuntur, efferúntque supra illos capita æqualia inter se, & vberibus tuis.

5 *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capræ gemelli, qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.*

6 Ascendo iam ad Ierusalem, quā optimè montem myrrhæ, & thuris appellare licet: quia ibi quidquid in Libano, aliísque montibus aromatiferis speciosum est, & odoratum, adoletur, & consumitur.

6 *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.*

7 Tu autem, ô sponsa, quando iam mea opera tota pulchra es, neq; à paternis sordibus quidquā habes, cur Sulamitis, id est, Hierosolymitana, dici non possis, seu cuius te, aut tam illustrem vrbem pudere debeat.

7 *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*

8 Veni de Libano, de capite Sanir, de vertice Amana, & Hermon, de patriis nempe, & alienis mōtibus, vbi leonum sunt cubilia, & omnia

8 *Veni de Libano, spōsa mea; veni de Libano, veni: coronabe-*

ris de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.

plena insidiarum, & metus. Veni mecum, vt mecum in Ierusalem coroneris, non fugaci, vt antè, florum venustate, sed corona Regia, qualis decet illam, quæ ex alienigenarum sorte ad Hierosolymitanam gloriam, & titulum cooptatur.

9 *Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa; vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum; & in vno crine colli tui.*

9 Quòd te mecum in ciuitatem meam Ierusalem deducere studeam, mirari noli, Sulamitis, quia sic vno oculorum tuorum coniectu, & vno capillorum tuorum cirro, qui à capite inuolitat collo tuo, meum cor percussisti, & me à corde saucio ita tenuisti, vt abs te nullo modo diuelli queam. Quare age iàm, veni mecum de tuo Libano in meam Ierusalem.

10 *Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea spōsa! pulchriora sunt vbera tua vino, & odor vnguentorū tuorum super omnia aromata.*

10 Refero me ad laudes, quas elatus amore tui interruperam. O sponsa, quàm pulchræ sunt mammæ tuæ! gratiora sunt vbera tua vino; ac odor vnguentorum, quibus in hoc nuptiali plausu aspersa es, longè excellit omnium aromatum suauitatem.

11 *Fauus distillans labia tua sponsa, mel, & lac sub lingua tua; & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.*

11 Is est tibi halitus in ore, ea in sermone suauitas, vt mel, & lac in ore tuo nata, aut ibi sedere videantur. Sic autem aspirant suauiter vestimenta tua, vt odorari me putem ex illis thuris fragrantiam.

12 *Hortus conclusus, soror mea, sponsa, hortus conclusus, fons signatus.*

12 Cùm ea tibi sit pulchritudo, quæ aliorum animos capere, atque inflammare posit, tamen illam sic seruasti illibatam mihi, qualis florum ac fructuum species, atque suauitas in horto concluso, aut aqua dulcis, & pura in obsignato fonte domino suo seruari solent.

13 Erumpunt ex te, tanquam ex horto concluso, per cancellata septa, aut etiam supra parietem summum pulchræ propagines, & quasi Paradisus quidam pomorum, ac malorum punicorum: ex quo odores efflantur suauissimi.

13 *Emissiones tuæ Paradisus malorũ punicorum, cum pomorum fructibus.*

14 Cypri, & nardi: nardi, inquam, admixtæ croco, fistulæ, & cynamomi, & aliarum arborum, quæ in Libano vario aromate stillant; aromate, inquam, myrrhæ, & aloës, & vnguentis aliis, quæ primæ notæ, atque pretij sunt.

14 *Cypri cum nardo; nardus, & crocus, fistula, & cynamomum cum vniuersis lignis Libani: myrrha, & aloë cum omnibus primis vnguentis.*

15 Ne viror iste, ac species, quã tibi inesse dixi, instar cuiusdam horti, citò cadat, aut deflorescat; fons in te est, aut tute fons es hortorum, qui perpetuò in hortis amœnitatem illã tuearis. Neque tamen fons iste communis est, atque omnium oculis, & siti propositus, sed est putei instar, cuius tamen non est collectitia, sed viua, & iugis aqua; qualis est illa, quæ præcipiti lapsu de Libani vertice decurrit.

15 *Fons hortorum: puteus aquarũ viuẽtium, quæ fluunt impetu de Libano.*

16 Quandoquidem hortus es, ô sponsa, omni aromatum genere mirificè abundás, illud superest, vt odorem tui latè in omnem partem diffundas. Quare abeat hinc procul Aquilo, quo perflante constipantur arborum trunci, & conglaciantur, durantúrque aromata, quæ ex ipsis manant; perflet verò Auster qui mitior est, & suo tepore laxat, suadaréque facit aromatiferas plantas.

16 *Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.*

IN CAPVT QVARTVM COMMENTARIVS.

Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es! &c.

1. Histor. LAVDARAT sponsa humanitatem, & mores mitissimos sponsi sui, & chorus virginũ suam quoque operam sponso commendando nauauerat: in quarto iam capite sponsus officium, & laudem remetitur, & generaliter proponit esse pulchrã: quod deinde singulas partes percurrendo confirmat, earum speciem apta quadam similitudine demonstrans. Incipit autem ab oculis, quos cùm antè columbæ similes esse cecinisset, nunc addit, quod illis decoris plurimùm conciliet. Quid verò illud sit, non facile explicatu est.

In caput quartum Canticorum spiritualis sensus.

2. Allegor. INcipit iam diuinus sponsus optimæ sponsæ, suóque coniugio cõuenienter excultæ mores, ornatúmque describere; quod aptè tunc facit, cùm in ipsa videt naturæ suæ ad bene de omnibus merendum pronæ aliquam imaginem: nam sponsa liberali ingenio, cùm didicisset sponso id maximè studio esse, vt se ipsum omnibus communicet, & castissimi lecti copiam faciat, aduocatat filias Ierusalem, eásque per otium spectare iusserat Salomonis coronam, haud dubiè rata tanto sponsi splendore, & gloria captas in eius amorem exarsuras. Hæc sponsæ humanitas, quæ tantum bonum proprium sibi esse noluit: sed commune cum aliis, sic affecit sponsum, vt statim cum admiratione in eius laudes erumpat. Quare totum hòc caput in eius pulchritudine demonstranda, prædicandáque consumit.

3. Allegor. *Oculi tui columbarum.*] Quare columbinos oculos probet sponsus, lib. 1. dictum est, & cur ab oculis primùm laus ducatur; nunc rationem aliam accipe. Viderat sponsus ex omnibus ornamentis ad capitis diadema conuersos sponsæ oculos, id est, ad id, quod Gentibus stultitiæ, Iudæis autem scandalo est. Siue hîc humanitatem assumptam, siue coronam contextam è vepribus intelligas. Dignos autem iudicauit oculos hac laude, qui in tali corona vident, quod admirentur, & quod ament, dignúmque iudicant, quod ab omnibus & diligatur, & ametur. Porrò Ecclesiæ oculi Prælati sunt, & Doctores, sicut Ecclesiæ veteris Prophetæ, qui idcirco *Videntes* dicebantur; quia per ipsos populus diuina mysteria, & Deum ipsum cognoscebat; & quia hi, sicut oculi, sublimem obtinent locum, & bona, maláque longè, latéque prospectant. Ita Ambr. Greg. S. Thom. & Beda.

Pulchri oculi, qui Christum patientẽ spectant.

Absque

Absque eo, quod intrinsecus latet.

4. Histor. LOcus hic à S. Hieronymo super cap. 47. Isai. habere dicitur aliquid obscœni; nam credit hîc contineri, quod sine pudore cogitari nõ potest. Est enim eadem vox, quæ in loco citato Isaī. צמתך *Tsamah.* vbi Hieronymus explicuit, *denuda turpitudinem tuam.* Quod etiam innuere videtur Symmachus, & Septuaginta qui vertunt, *extra taciturnitatem*, vel, *silentium*, id est, præter id, quod propter modestiam taceri debeat. Sed hæc sententia non admittitur ab omnibus penè aliis; tum quia cùm sponsus suo ordine, ac situ partes sponsæ sigillatim commemoret, non bene ab oculis tot interiectis partibus, quas deinde connumerat, ad taciturnitatem illam descenderet; tum quia verisimile non est, Spiritum sanctum euulgare voluisse, aut saltē hominum cogitationi proponere, quę fœda sunt, & ignominiæ potiùs futura, quàm laudi; cùm tamen illa hominum pudor, & natura ipsa adeò sollicitè, ac prouidè celauerint. Vt ergo rem hanc accuratiùs explicemus, videndum est, quid propriè significet vox Hebraica צמתך *Tsamah.* Quidam hac voce significari putant *vittam*, seu *fasciam*; ita Rabbi Salomon, & existimat non ad oculos referri, sed ad capillos, de quibus statim: ac si dicat pulchros esse capillos, & à vittis quibus illigantur, & cōtinētur, ne defluāt, habere plurimùm decoris. Anonymus fascias esse dicit, sed quibus vultus sponsæ tegatur, non secus atque flammeo: sub quibus latent oculi planè columbini. Abenezra *comam* interpretatur, & hunc ferme omnes alij sequuntur: ita vt sit sensus, pulchros esse oculos, & præter natiuam suam venustatem, id etiam habere dignitatis, quòd intra capillos lateant, & id, quod interlucet oculorum, splendere magis, & emicare faciant. Neque ab hoc sensu recedunt, qui *silentium* interpretantur. Nam quia secessum, seu absconsionem comitatur taciturnitas, ideo *silentium* pro absconsione sumitur. Silentium pro absconsione. Vnde silere dicimus Lunam, cùm ex Solis congressu non apparet: flos silens dicitur, qui nondum se aperuit; vineæ silentes, quæ nondũ germinarunt, & Lunæ silentium, quando non videtur. Virg. 2. Æneid.

----*tacita per amica silentia Lunæ.*

Ad Abenezræ sententiam facit, 5. quod antiquis Ecclesię temporibus, credo etiam olim Hebraicis, sponsæ in nuptialibus sacris capillos gestabāt nõ illigatos fasciis, aut mitra, seu alio redimiculo collectos, sed fluentes, ac solutos, vt docet Optatus Mileuitanus lib. 6. post medium; vbi agit contra Donatistas qui sacratas Deo virgines, id est, Christi sponsas, ad nuptias carnales adigebant. *Spiritali*, inquit, *sponso soluerant crinem: iam cœlestes celebrauerant nuptias: quid est, quòd eas iterum crinem soluere coëgistis? Quid, inquam, quod ab ipsis per vos exacta est professio secunda? Quis est alter spiritualis sponsus, cui iterum nuberēt?* Hæc Optatus.

Ego sententiam Abenezræ sic 6. cum plerisque aliis probo, vt tamen צמתך, non tam capillos esse putem, quàm flammeum, aut velamen, quo teguntur oculi; vt putabat Anonymus. Quod ideo mihi persuadeo, quia in nuptialibus sacris nouæ nuptæ in omnibus fermè nationibus faciem

faciem obuelabant,quæ in fœmina pudica maximè à pudore patitur:vnde *nupta* nomen accepit. Sed præsertim apud Hebræos, vt probant nunc eorum nuptiæ,& docet exemplum Saræ, cui pro oculorum velamento dati sunt mille argentei,Gen. 20.quod ostendit illud in vsu fuisse olim apud honestas.

7. Sponsæ crines solutos gestabant. Hæc mihi valdè probabilia: sed neque improbabile videtur,si quispiam putet laudem hanc oculorum,non tam esse à capillis, siue à flammeo,quàm à naturali ipsorum modestia, quia nimirum liberi non sunt,aut vagi,quales esse solent curiosi,& petulantes oculi,sed demissi,& semiclausi,quales habent verecundę,& pudicę,quos pætos appellat Porphyrio apud Horatium Sat. 1.

8. Quodcumque horum mihi probabilius est,quàm quod putat Hieronymus. Neque locus Isaiæ 47. meo iudicio,significat id,quod propter pudorem taceri debeat, licèt vulgatus bene, *turpitudinem*, reddiderit. Nam ibi prædicit Propheta, quid euenturum esset Babyloni potentissimæ tunc, & quæ nihil sibi non arrogabat. Vsurpat autem Hebræorum more imperatiuum, pro futuro, *Tolle molā,& mole farinam. Denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum*,id est, tolles molā, &c. Dicit ergo futuram esse captiuam,& seruam,tondendos illi crines longos, & defluentes, quibus humeri tegebātur, vel more mœrētium, vel captiuorum; nam captiuis capilli ad eutem radebantur, iuxta illud Deut. 32. *Nudati inimicorum capitis*. His verò detonsis consequens erat,vt ab eo ornatu capillati discooperirentur humeri. Vel certè nudare humeros, est illos expedire,vel ad sarcinam,vel ad flagella.

Crines ornamēto sunt fœminis.

Quod verò fœminæ turpidini sit, atque ignominiæ,cæsariem abscindi,constat 1. Cor. 12. *Turpe est mulieri tonderi, aut decaluari.*

9. Allegor. Oculorum laus à modestia. *Absque eo, quod intrinsecus latet.*] Duo probat sponsus in dilectæ oculis, columbinum pudorem, & modestiam,& quòd virginalem in mudum sint absconditi,neque ad aliorum petulantiam expositi. Quòd si cum Septuaginta legas, *preter taciturnitatem*, alia hinc fit ad oculos venustatis accessio; ostendit enim vnde nata sit illa oculorum ingenua demissio, nimirum ex pudore, & quòd de se neque alta sentiat,neque sublimia cogitet. Vox enim mirè solet in exprimendis affectibus cum oculis congruere; oculorum namque modestiam, & verecundiā auget, ornátque taciturnitas, prodit,perditque loquacitas, quæ meretriciū aliquid sonat,potiùs quàm pudicum.

Capilli tui sicut greges caprarum.

10. Histor. Cæsaries maximū fœminarū ornamentum. Laudauit sponsam ab oculorum honestate,& lumine, nunc capillorum colorem, & venustatem rustica quadam similitudine commendat. Esse autem comam maximam fœmineæ pulchritudinis partē,docet Apuleius lib.2. Metamor. & probat illa cura,quæ ab omnibus ferme nationibus adhibetur fucandæ, & discriminandæ comæ. Laudatur verò nunc à colore flauo, sicut postea,cùm dixit esse similem purpuræ Regiæ, cap. 7. nam verisimile est,in Palæstina eius coloris vt plurimùm esse capras. An verò color ille habitus sit omnium pulcherrimus in capillis,non potest in vniuersum certi aliquid statui. Nigros capillos

capillos in honore esse apud Romanos constat ex Horatio in Arte;

Spectandum nigris oculis, nigróque capillo.

Et idem testatur lib. 1. Carminum Ode 32. Hoc tamen est in viris: & si si laudantur in fœminis, ratio est, quia argumentum est illas esse honestas, neque de inficienda coma sollicitas. Quare, vt Satyra 6. Iuuenalis, Messalina Claudij vxor, quæ dignitatis retinendæ gratiâ crines nigras seruabat, cũ aliquid furtim obscœnũ moliebatur, flaua cæsarie natiuam suam comam occultabar.

Flaua cæsaries pulchra in fœminis. Esse verò in pretio inter fœminas comam flauam, ostendunt multa poëtarum loca. Virg. de Didone 4. Æneid.

----nondum illi flauum Proserpina crinem
Abstulerat.————

Catullus in Epithalamio Iuliæ:

Aureas quatiunt comas.

Quare ex Arctoa regione alienos capillos sibi Romanæ comparabant fœminæ, quos gestarent pro suis. Martialis lib. 5. ad Lesbiam, & Apophor. 26. & 27.

11. Capræ in Palæstina tonsiles. Vt verò intelligatur quàm apta sit ista similitudo, aliqua priùs nobis obseruãda sunt. In primis apud Palæstinos caprarum pilos esse tonsiles, & longos: quod ex eo colligitur, quia ex illis conficiebantur vestes, Exod. 36. *Saga vndecim de pilis caprarum, ad operiendum tectum tabernaculi.* Et cap. 35. filij Israël dicuntur obtulisse pilos caprarum. Et certè quòd in Cilicia capræ villos habeãt tonsiles, sicut & oues, tradit Plinius lib. 8. c. 50. & Arist. lib. 8. de natura animalium, cap. 28. Cilicia verò non longè abest à Iudæa. Hinc vestes dicuntur Cilicinæ, & vndulatæ; hinc fiiunt, quæ capripilia, Hispanè *Chamelote*, appellantur.

12. Capraru vellus fuluũ in Galaad, & quare. Secundò, obseruandum capras, quæ sunt in tractu Galaaditano, flaui esse coloris: neque enim aliter apta esset comparatio, cùm c. 7. capilli sponsæ purpuræ Regiæ dicantur esse similes. Neque id mirum cuiquam videri debet, cùm in aliis, atque aliis regionibus propter aquarum, pabulorúmque diuersitatem, alium, atque alium pecudes colorem habeant. Ad Bethim fluuiũ propter fluminis naturam ouibus fuluum colorem esse natiuum dicit multis in locis Martialis. Idẽ Plin. lib. 8. c. 48. Canusinas lanas esse fuluas docet Plin. & Martialis. Idem Sibari, & Crathi fluminibus tribuit Ouidius lib. 15. Metamorph. & Xãtho Plinius lib. 2. cap. 103. & Arist. lib. 3. historiæ animalium cap. 12. Vbi tradit in Antandria duo esse flumina, quorum alterum candorem, nigritiem alterum pecudibus affert; & Scamandrum flumen ideo appellatum esse Xanthum, quia fuluas reddit oues.

Quòd verò capræ istæ Galaaditides rutilã habeant, atque flauentem lanam, videtur posse colligi ex lib. 1. Reg. c. 19. vbi Michol, vt parẽtis sui satellites Dauidis imagine deluderet, statuam pro eo supposuit in lectulo, & pro capite, capræ pellẽ adhibuit, vt pilũ Dauidis referret, qui rufus esse dicitur 1. Reg. 16. Nisi fortè dicamus caprarũ Galaaditidũ fuluos esse, ac rutilos villos, non tamen à natura in vniuersum, sed ab arboribus, & pascuis, quæ stacte, resina, ac myrrha pinguia sunt, vt constat ex illo Ierem. 8. *Non est resina in Galaad*, &c. Et Genes. 37. *Viderunt Ismaëlitas viatores venire de Galaad, & camelos eorum portan-*

ris de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.

plena insidiarum, & metus. Veni mecum, vt mecum in Ierusalem coroneris, non fugaci, vt antè, florum venustate, sed corona Regia, qualis decet illam, quæ ex alienigenarum sorte ad Hierosolymitanam gloriam, & titulum cooptatur.

9 *Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa; vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum; & in vno crine colli tui.*

9 Quòd te mecum in ciuitatem meam Ierusalem deducere studeam, mirari noli, Sulamitis, quia sic vno oculorum tuorum coniectu, & vno capillorum tuorum cirro, qui à capite inuolitat collo tuo, meum cor percussisti, & me à corde saucio ita tenuisti, vt abs te nullo modo diuelli queam. Quare age iam, veni mecum de tuo Libano in meam Ierusalem.

10 *Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea spōsa! pulchriora sunt vbera tua vino, & odor vnguentorū tuorum super omnia aromata.*

10 Refero me ad laudes, quas elatus amore tui interruperam. O sponsa, quàm pulchræ sunt mammæ tuæ! gratiora sunt vbera tua vino; ac odor vnguentorum, quibus in hoc nuptiali plausu aspersa es, longè excellit omnium aromatum suauitatem.

11 *Fauus distillans labia tua sponsa, mel, & lac sub lingua tua; & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.*

11 Is est tibi halitus in ore, ea in sermone suauitas, vt mel, & lac in ore tuo nata, aut ibi sedere videantur. Sic autem aspirant suauiter vestimenta tua, vt odorari me putem ex illis thuris fragrantiam.

12 *Hortus conclusus, soror mea, sponsa, hortus conclusus, fons signatus.*

12 Cùm ea tibi sit pulchritudo, quæ aliorum animos capere, atque inflammare possit, tamen illam sic seruasti illibatam mihi, qualis florum ac fructuum species, atque suauitas in horto concluso, aut aqua dulcis, & pura in obsignato fonte domino suo seruari solent.

Emissi Erum

13 Erumpunt ex te, tanquam ex horto concluso, per cancellata septa, aut etiam supra parietem summum pulchræ propagines, & quasi Paradisus quidam pomorum, ac malorum punicorum: ex quo odores efflantur suauissimi.

13 *Emissiones tuæ Paradisus malorũ punicorum, cum pomorum fructibus.*

14 Cypri, & nardi: nardi, inquam, admixtæ croco, fistulæ, & cynamomi, & aliarum arborum, quæ in Libano vario aromate stillant; aromate, inquam, myrrhæ, & aloës, & vnguentis aliis, quæ primæ notæ, atque pretij sunt.

14 *Cypri cum nardo; nardus, & crocus, fistula, & cynamomum cum vniuersis lignis Libani: myrrha, & aloë cum omnibus primis vnguentis.*

15 Ne viror iste, ac species, quã tibi inesse dixi, instar cuiusdam horti, citò cadat, aut deflorescat; fons in te est, aut tute fons es hortorum, qui perpetuò in hortis amœnitatem illã tuearis. Neque tamen fons iste communis est, atque omnium oculis, & siti propositus, sed est putei instar, cuius tamen non est collectitia, sed viua, & iugis aqua; qualis est illa, quæ præcipiti lapsu de Libani vertice decurrit.

15 *Fons hortorum: puteus aquarũ viuẽtium, quæ fluunt impetu de Libano.*

16 Quandoquidem hortus es, ô sponsa, omni aromatum genere mirificè abundãs, illud superest, vt odorem tui latè in omnem partem diffundas. Quare abeat hinc procul Aquilo, quo perflante constipantur arborum trunci, & conglaciantur, durantúrque aromata, quæ ex ipsis manant; perflet verò Auster qui mitior est, & suo tepore laxat, suadaréque facit aromatiferas plantas.

16 *Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.*

enim aptè ad ſpinati ſpõſi thalamũ aſpirat, quæ floribus ſe exornat, & veſte ad luxuriam potiùs, & ambitioſos faſtus, quàm ad crucis acerbitatem, atque ludibrium accommodata. Captiua fœmina, alienáque ab Iſraëlis nobilitate, ac genere, deponere iubetur nõ ſolùm peregrinam veſtem, quam geſtauit in patria; ſed etiam capillos, & vngues, qui in patria creuerunt; vt depoſito illo tam externo, quàm naturali cultu, ſimilis omnino fieret Iſraëlitæ coniugi; Deut. c. 21. Id ergo Eccleſia illis animabus edicit quæ myſticum Chriſti thalamum inire cupiunt. Quare ſpectare iubet, quem Chriſtus nuptiali tempore cultum habuerit, vt ad eius ſe formam, & quaſi ad ſpeculum exornent. *Pudeat*, inquit Bernardus Serm. 5. in Feſto omnium Sãctorum, *ſub ſpinato capite membrum fieri delicatum*. Turpe putabant olim Chriſtiani coronari floribus Gentilium more, cùm Chriſti caput ſpinis aliquando horruiſſe cognoſcerent; ne inſultaſſe viderentur Chriſto patienti, & eius ludibriis oblectari. Ita Clemens Alexan. lib. 2. Pędag. c. 8. *A ratione*, inquit, *alienum eſt, vt qui audiuimus Dominum ſpinis fuiſſe coronatũ, ipſi venerabili Domini Paſſioni per ludum inſultantes habeamus capita redimita floribus*. Idem penè Tertullianus lib. de corona militis c. 1. Quàm autem decorus, atque pretioſus habitus eius ſit, qui pro Chriſto patitur, vide Chryſoſt. in illud ad Epheſ. 4. *Ego Paulus vinctus in Domino.* vbi glorioſius eſſe dicit cùm Chriſto, id eſt, pro Chriſto in ſqualore carceris, quàm cum Angelis in cœlo morari. Illum tu vide.

Chriſtiani olim turpe coronari floribus.

49. Qualis oratio.

Ex quo vir ſpiritualis intelliget, ſi modò Deum aptè contemplari, atque noſſe velit, ſiue carne veſtitum, erumpentémque primùm ex Virgineo thalamo, ſiue in Cruce poſtea morientem (nam vtrobique coronatum diximus, illîc humanitate, hîc ſpinis) elaborandum eſſe primũ & maximè, ne animus ſæcularibus hæreat; turbidas cogitationes abiiciat, & à ſe totus expeditus ad Sioniam ſpeculam ſublimis aſcendat. Hinc puto viros, qui ſpirituales non tam eſſe, quàm videri ſtudent, parum ex Chriſti nati, paſſique meditatione fructus accepiſſe, quia conſtituerunt oculos declinare in terram potiùs, quàm ab humanis ad cœleſtia conuertere, quorum ſtudio capti tenentur, ne vnquam ad ſpeculam Sion aſcendant; aut dum ſe in illam attollere, aut conãntur, aut ſimulant, in medio ipſo aſcenſu languent, atque deficiunt. Huc aduoca, quæ in ſenſu literali diximus ex Chryſoſtomo, qui docet filios à parentibus in nuptiis coronari ſolitos, ideóque fieri, vt illorum oſtendatur animus, & conſtantia intemperantibus carnis motibus, & illecebris altior, atq; ſuperior. Corona etenim illa candorem indicat, & puritatem animi, qui nunquam libidini ſuccubuit. Quare hortatur Chryſoſtomus parentes, vt liberos ſuos ſic inſtituant, vt illos poſtea coronatos producere non pudeat. Vide Chryſoſt. in Epiſtol. 1. ad Timoth. cap. 2. Homil. 9. in explicatione morali.

ARGV

ARGVMENTVM IN CAPVT QVARTVM CANTICORVM.

Laudat primùm sponsus Sulamitidem suam, non ab ornamentis, quod faciunt postea cap. 7. psaltriæ puellæ (id enim esset animi parum liberalis, ac belli sua in sponsa munera tantopere laudare) sed ab his donis, quæ habet à natura maxima: nempe ab oculorum modestia, à capillorum flauitie, &c. Deinde cùm hæc dicantur in medio cursu, quo in vrbem ascenditur, dicit sponsus velle se ascendere ad montem myrrhæ, & ad collem thuris, id est, in Ierusalem. Cùmque in eo iam statu sit sponsa, vt nihil habeat è paternis sordibus, & peregrino solo, vnde assumpta fuit, sed tota sit iam sine macula, & digna, quæ viro Israëlitæ nupta, in ordinem Solymitidum fœminarum cooptetur; hortatur illam, vt secum de monte Libano, Sanir, & Hermon, id est, è patriis montibus, quos habitant Gentes, vbi nihil est ferarum cubilibus vacuum, nihil à leonibus tutum, ascendat secum in Ierusalem; rationemq́; reddit cur illam secum vellet assumere, quia cùm ab eius pulchritudine saucium habeat animum, diuelli ab ea nullo modo potest. Redit deinde ad interruptas laudes, aptisq́; similitudinibus eius pulchritudinem, atque amœnitatem exprimit. Cùmque illam hortum appellasset conclusum balsamo, thure, atque omni aromate abundantem, quorum odore frui difficile possunt, qui longè absunt, aduocat Austrum ventum mitem, & tepidum, qui laxatis, & solutis arboribus quas Aquilonis frigus astrinxerat, odorem in omnem partem quàm longissimè diffundat.

PARAPHRASIS.

1 QVANDO me, ô sponsa, laudare cœpisti adeò cumulatè, vt Regium mihi nomen, & maiestatem dederis, ego tibi vicissim, vt laudem remetiar; vno verbo dico te esse quampulcherrimam; quod ne magis audacter, aut beneuolè, quàm

CAPVT IV.

Sponsus.

1 *QVàm pulchra es, amica mea, quàm pulchra es! Oculi tui columbarum, absque eo, quod intrinsecus latet.*

verè dixisse videat, id iam aliis facilè probabo, dum singula commemoro. Et primùm non muto, quod de tuorum antè oculorum venustate, atque modestia dixi, quando columbinis oculis assimilaui: quin addo præterea ad ipsorum dignitatem accedere, quòd intra capillos à fronte pendulos, aut nuptiali flammeo modestè, ac verecundè lateant.

Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascẽderũt de monte Galaad.

De capillis id dico, videri mihi similes Galaaditanis capris, quæ tonsili sunt vellere, eóque fuluo, seu à natura, seu certè ex flauenti, atque odorato succo, quem ex crebro ad arbores aromatiferas affrictu traxerunt.

2 Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderũt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas.

2 Sicut oues, quæ depositis tonsione villis, sordes quoque deposuerunt, quæ extremo velleri adhærere solent: quòd si recentes à tonsione abluantur, candidæ sunt, & mundæ, & propter frigus, quod à nuditate, lotionéque prouenit, constipant se magis, dum è lauacro ascendunt: sic dentes tui, ô sponsa, mundi sunt, & candidi, cõclusi inter se. Neque præterea os aliquibus eorum excussis indecens est. Et quia, vt fert oris optimè instructi natura, plures dimidio minutiores sunt, aut tales certè apparent in eleganti dentium ordine, ideo dentes tui gemelliparis ouibus quàm simillimi mihi videntur: nam vni denti latiori duo, siue re ipsa, siue specie minores adiuncti sunt.

3 Sicut vitta coccinea labia tua: & eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali punici;

3 Labia tua colore nitent roseo, vittæ coccineæ quã simillima: sermo tuus suauitate quadam mirifica cõditus, qualis ab iis labiis expectari potuit. Genæ tuæ præterquàm quod decorè

decorè inter capillos latent, rubent vt cortex malorum punicorum.

punici; ita genæ tuæ, absque eo, quod intrinsecus latet.

4 Videre mihi videor, ô Sulamitis, in tuo collo Dauidicæ turris, quæ cum propugnaculis ædificata est, expressam imaginem. Nam sicut in illius externa facie ad hostium terrorem fortium arma, clypei, gladij, pharetræ, &c. suspensa sunt, sic in collo tuo, non minùs elegāti, monilia sunt baccata, splendentes torques ornatu vario; quæ armorum materia, atque arte præstantium similitudinem referunt.

4 *Sicut turris Dauid collū tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendēt ex ea, omnis armatura fortium.*

5 Duo vbera tua, quæ inter lilia, quibus opere Phrygio illuminata est extima vestis, decorè tument, similia mihi videntur capræ gemellis fœtibus, qui ad vesperum vsque inter lilia, floréscue pascuntur, efferúntque supra illos capita æqualia inter se, & vberibus tuis.

5 *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capræ gemelli, qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.*

6 Ascendo iam ad Ierusalem, quā optimè montem myrrhæ, & thuris appellare licet: quia ibi quidquid in Libano, aliísque montibus aromatiferis speciosum est, & odoratum, adoletur, & consumitur.

6 *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.*

7 Tu autem, ô sponsa, quando iam mea opera tota pulchra es, neq; à paternis sordibus quidquā habes, cur Sulamitis, id est, Hierosolymitana, dici non posis, seu cuius te, aut tam illustrem vrbem pudere debeat.

7 *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*

8 Veni de Libano, de capite Sanir, de vertice Amana, & Hermon, de patriis nempe, & alienis mōtibus, vbi leonum sunt cubilia, & omnia

8 *Veni de Libano, spōsa mea; veni de Libano, veni: coronabe-*

ris de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.

plena insidiarum, & metus. Veni mecum, vt mecum in Ierusalem coroneris, non fugaci, vt antè, florum venustate, sed corona Regia, qualis decet illam, quæ ex alienigenarum sorte ad Hierosolymitanam gloriam, & titulum cooptatur.

9 *Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa; vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum; & in vno crine colli tui.*

9 Quòd te mecum in ciuitatem meam Ierusalem deducere studeam, mirari noli, Sulamitis, quia sic vno oculorum tuorum coniectu, & vno capillorum tuorum cirro, qui à capite inuolitat collo tuo, meum cor percussisti, & me à corde saucio ita tenuisti, vt abs te nullo modo diuelli queam. Quare age iam, veni mecum de tuo Libano in meam Ierusalem.

10 *Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea spõsa! pulchriora sunt vbera tua vino, & odor vnguentorũ tuorum super omnia aromata.*

10 Refero me ad laudes, quas elatus amore tui interruperam. O sponsa, quàm pulchræ sunt mammæ tuæ! gratiora sunt vbera tua vino; ac odor vnguentorum, quibus in hoc nuptiali plausu aspersa es, longè excellit omnium aromatum suauitatem.

11 *Fauus distillans labia tua sponsa, mel, & lac sub lingua tua; & odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.*

11 Is est tibi halitus in ore, ea in sermone suauitas, vt mel, & lac in ore tuo nata, aut ibi sedere videantur. Sic autem aspirant suauiter vestimenta tua, vt odorari me putem ex illis thuris fragrantiam.

12 *Hortus conclusus, soror mea, sponsa, hortus conclusus, fons signatus.*

12 Cùm ea tibi sit pulchritudo, quæ aliorum animos capere, atque inflammare possit, tamen illam sic seruasti illibatam mihi, qualis florum ac fructuum species, atque suauitas in horto concluso, aut aqua dulcis, & pura in obsignato fonte domino suo seruari solent.

Emissi Erum

13 Erumpunt ex te, tanquam ex horto concluso, per cancellata septa, aut etiam supra parietem summum pulchræ propagines, & quasi Paradisus quidam pomorum, ac malorum punicorum: ex quo odores efflantur suauissimi.

13 Emissiones tuæ Paradisus malorũ punicorum, cum pomorum fructibus.

14 Cypri, & nardi: nardi, inquam, admixtæ croco, fistulæ, & cynamomi, & aliarum arborum, quæ in Libano vario aromate stillant; aromate, inquam, myrrhæ, & aloës, & vnguentis aliis, quæ primæ notæ, atque pretij sunt.

14 Cypri cum nardo; nardus, & crocus, fistula, & cynamomum cum vniuersis lignis Libani: myrrha, & aloë cum omnibus primis vnguentis.

15 Ne viror iste, ac species, quã tibi inesse dixi, instar cuiusdam horti, citò cadat, aut deflorescat; fons in te est, aut tute fons es hortorum, qui perpetuò in hortis amœnitatem illã tuearis. Neque tamen fons iste communis est, atque omnium oculis, & siti propositus, sed est putei instar, cuius tamen non est collectitia, sed viua, & iugis aqua; qualis est illa, quæ præcipiti lapsu de Libani vertice decurrit.

15 Fons hortorum: puteus aquarũ viuẽtium, quæ fluunt impetu de Libano.

16 Quandoquidem hortus es, ô sponsa, omni aromatum genere mirificè abundás, illud superest, vt odorem tui latè in omnem partem diffundas. Quare abeat hinc procul Aquilo, quo perflante constipantur arborum trunci, & conglaciantur, durantúrque aromata, quæ ex ipsis manant; perflet verò Auster qui mitior est, & suo tepore laxat, suadaréque facit aromatiferas plantas.

16 Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluant aromata illius.

IN CAPVT QVARTVM COMMENTARIVS.

Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchrà es! &c.

1. Hiſtor. LAVDARAT ſponſa humanitatem, & mores mitiſſimos ſponſi ſui, & chorus virginũ ſuam quoque operam ſponſo commendando nauauerat: in quarto iam capite ſponſus officium, & laudem remetitur, & generaliter proponit eſſe pulchrã: quod deinde ſingulas partes percurrendo confirmat, earum ſpeciem apta quadam ſimilitudine demonſtrans. Incipit autem ab oculis, quos cùm antè columbæ ſimiles eſſe cecinisſet, nunc addit, quod illis decoris plurimùm conciliet. Quid verò illud ſit, non facile explicatu eſt.

In caput quartum Canticorum ſpiritualis ſenſus.

2. Allegor. INcipit iam diuinus ſponſus optimæ ſponſæ, ſuóque coniugio cõuenienter excultæ mores, ornatúmque deſcribere; quod aptè tunc facit, cùm in ipſa videt naturæ ſuæ ad bene de omnibus merendum pronæ aliquam imaginem: nam ſponſa liberali ingenio, cùm didiciſſet ſponſo id maximè ſtudio eſſe, vt ſe ipſum omnibus communicet, & caſtiſſimi lecti copiam faciat, aduocarat filias Ieruſalem, eáſque per otium ſpectare iuſſerat Salomonis coronam, haud dubiè rata tanto ſponſi ſplendore, & gloria captas in eius amorem exarſuras. Hæc ſponſæ humanitas, quæ tantum bonum proprium ſibi eſſe noluit: ſed commune cum aliis, ſic affecit ſponſum, vt ſtatim cum admiratione in eius laudes erumpat. Quare totum hoc caput in eius pulchritudine demonſtranda, prædicandáque conſumit.

Oculi tui columbarum.] Quare columbinos oculos probet ſponſus, lib. 1. dictum eſt, & cur ab oculis primùm laus ducatur; nunc rationem aliam accipe. Viderat ſponſus ex omnibus ornamentis ad capitis diadema conuerſos ſponſæ oculos, id eſt, ad id, quod Gentibus ſtultitiæ, Iudæis autem ſcandalo eſt. Siue hîc humanitatem aſſumptam, ſiue coronam contextam è vepribus intelligas. Dignos autem iudicauit oculos hac laude, qui in tali corona vident, quod admirentur, & quod ament, dignúmque iudicant, quod ab omnibus & diligatur, & ametur. Porrò Eccleſiæ oculi Prælati ſunt, & Doctores, ſicut Eccleſiæ veteris Prophetæ, qui idcirco *Videntes* dicebantur; quia per ipſos populus diuina myſteria, & Deum ipſum cognoſcebat; & quia hi, ſicut oculi, ſublimem obtinent locum, & bona, maláque longè, latéque proſpectant. Ita Ambr. Greg. S. Thom. & Beda. 3. Allegor.

Pulchri oculi, qui Christum patientẽ ſpectant.

Abſque

Absque eo, quod intrinsecus latet.

4. Histor. LOcus hic à S.Hieronymo super cap. 47. Isai. habere dicitur aliquid obscœni: nam credit hîc contineri, quod sine pudore cogitari nõ potest. Est enim eadem vox, quæ in loco citato Isai. צמתך *Tsamah.* vbi Hieronymus explicuit, *denuda turpitudinem tuam.* Quod etiam innuere videtur Symmachus, & Septuaginta qui vertunt, *extra taciturnitatem*, vel, *silentium*, id est, præter id, quod propter modestiam taceri debeat. Sed hæc sententia non admittitur ab omnibus penè aliis; tum quia cùm sponsus suo ordine, ac situ partes sponsæ sigillatim commemoret, non bene ab oculis tot interiectis partibus, quas deinde connumerat, ad taciturnitatem illam descenderet; tum quia verisimile non est, Spiritum sanctum euulgare voluisse, aut saltẽ hominum cogitationi proponere, quę fœda sunt, & ignominiæ potiùs futura, quàm laudi; eùm tamen illa hominum pudor, & natura ipsa adeò sollicitè, ac prouidè celauerint. Vt ergo rem hanc accuratiùs explicemus, videndum est, quid propriè significet vox Hebraica צמתך *Tsamah.* Quidam hac voce significari putant *vittam*, seu *fasciam*; ita Rabbi Salomon, & existimat non ad oculos referri, sed ad capillos, de quibus statim: ac si dicat pulchros esse capillos, & à vittis quibus illigantur, & cõtineñtur, ne defluãt, habere plurimùm decoris. Anonymus fascias esse dicit, sed quibus vultus sponsæ tegatur, non secus atque flammeo: sub quibus lateat oculi planè columbini. Abenezra *comam* interpretatur, & hunc ferme omnes alij sequuntur: ita vt sit sensus, pulchros esse oculos, & præter natiuam suam venustatem, id etiam habere dignitatis, quòd intra capillos lateant, & id, quod interlucet oculorum, splendere magis, & emicare faciant. Neque ab hoc sensu recedunt, qui *silentium* interpretantur. Nam quia secessum, seu absconsionem comitatur taciturnitas, ideo *silentium* pro absconsione sumitur. Silentium pro absconsione. Vnde silere dicimus Lunam, cùm ex Solis congressu non apparet: flos sileus dicitur, qui nondum se aperuit; vineæ silentes, quæ nondũ germinarunt, & Lunæ silentium, quando non videtur. Virg. 2. Æneid.

----tacita per amica silentia Lunæ.

Ad Abenezræ sententiam facit, quod antiquis Ecclesię temporibus, credo etiam olim Hebraicis, sponsæ in nuptialibus sacris capillos gestabãt nõ illigatos fasciis, aut mitra, seu alio redimiculo collectos, sed fluentes, ac solutos, vt docet Optatus Mileuitanus lib. 6. post medium; vbi agit contra Donatistas qui sacratas Deo virgines, id est, Christi sponsas, ad nuptias carnales adigebant. *Spiritali*, inquit, *sponso soluerant crinem: iam cælestes celebrauerant nuptias: quid est, quòd eas iterum crinem soluere coëgistis? Quid, inquam, quod ab ipsis per vos exacta est professio secunda? Quis est alter spiritualis sponsus, cui iterum nuberẽt?* Hæc Optatus. 5.

Ego sententiam Abenezræ sic cum plerisque aliis probo, vt tamen צמתך, non tam capillos esse putem, quàm flammeũm, aut velamen, quo teguntur oculi; vt putabat Anonymus. Quod ideo mihi persuadeo, quia in nuptialibus sacris nouæ nuptæ in omnibus fermè nationibus faciem 6.

faciem obuelabant, quæ in fœmina pudica maximè à pudore patitur: vnde *nupta* nomen accepit. Sed præsertim apud Hebræos, vt probant nunc eorum nuptiæ, & docet exemplum Saræ, cui pro oculorum velamento dati sunt mille argentei, Gen. 20. quod ostendit illud in vsu fuisse olim apud honestas.

7. Sponsæ crines solutos gestabant. Hæc mihi valdè probabilia: sed neque improbabile videtur, si quispiam putet laudem hanc oculorum, non tam esse à capillis, siue à flammeo, quàm à naturali ipsorum modestia, quia nimirum liberi non sunt, aut vagi, quales esse solent curiosi, & petulantes oculi, sed demissi, & semiclausi, quales habent verecundę, & pudicę, quos pætos appellat Porphyrio apud Horatium Sat. 1.

8. Quodcumque horum mihi probabilius est, quàm quod putat Hieronymus. Neque locus Isaiæ 47. meo iudicio, significat id, quod propter pudorem taceri debeat, licèt vulgatus bene, *turpitudinem*, reddiderit. Crines ornaméto sunt fœminis. Nam ibi prædicit Propheta, quid euenturum esset Babyloni potentissimæ tunc, & quæ nihil sibi non arrogabat. Vsurpat autem Hebræorum more imperatiuum, pro futuro, *Tolle molā, & mole farinam. Denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum*, id est, tolles molā, &c. Dicit ergo futuram esse captiuam, & seruam, tondendos illi crines longos, & defluentes, quibus humeri tegebātur, vel more mœrētium, vel captiuorum; nam captiuis capilli ad cutem radebantur, iuxta illud Deut. 32. *Nudati inimicorum capitis*. His verò detonsis consequens erat, vt ab eo ornatu capillari discooperirentur humeri. Vel certè nudare humeros, est illos expedire, vel ad sarcinam, vel ad flagella. Quod verò fœminæ turpidini sit, atque ignominiæ, cæsariem abscindi, constat 1. Cor. 12. *Turpe est mulieri tonderi, aut decaluari.*

9. Allegor. Oculorum laus à modestia. *Absque eo, quod intrinsecus latet.*] Duo probat sponsus in dilectæ oculis, columbinum pudorem, & modestiam, & quòd virginalem in mundum sint absconditi, neque ad aliorum petulantiam expositi. Quòd si cum Septuaginta legas, *preter taciturnitatem*, alia hinc fit ad oculos venustatis accessio; ostendit enim vnde nata sit illa oculorum ingenua demissio, nimirum ex pudore, & quòd de se neque alta sentiat, neque sublimia cogitet. Vox enim mirè solet in exprimendis affectibus cum oculis congruere; oculorum namque modestiam, & verecundiā auget, ornátque taciturnitas, prodit, perditque loquacitas, quæ meretriciū aliquid sonat, potiùs quàm pudicum.

Capilli tui sicut greges caprarum.

10. Histor. Cæsaries maximū fœminarū ornamentum. LAudauit sponsam ab oculorum honestate, & lumine, nunc capillorum colorem, & venustatem rustica quadam similitudine commendat. Esse autem comam maximam fœmineæ pulchritudinis partē, docet Apuleius lib. 2. Metamor. & probat illa cura, quæ ab omnibus ferme nationibus adhibetur fucandæ, & discriminandæ comæ. Laudatur verò nunc à colore flauo, sicut postea, cùm dixit esse similem purpuræ Regiæ, cap. 7. nam verisimile est, in Palæstina eius coloris vt plurimùm esse capras. An verò color ille habitus sit omnium pulcherrimus in capillis, non potest in vniuersum certi aliquid statui. Nigros capillos

capillos in honore esse apud Romanos constat ex Horatio in Arte;

Spectandum nigris oculis, nigróque capillo.

Et idem testatur lib. 1. Carminum Ode 31. Hoc tamen est in viris: & si si laudantur in fœminis, ratio est, quia argumentum est illas esse honestas, neque de inficienda coma sollicitas. Quare, vt Satyra 6. Iuuenalis, Messalina Claudij vxor, quæ dignitatis retinendæ gratiâ crines nigras seruabat, cũ aliquid furtim obscœnũ moliebatur, flaua cæsarie natiuam suam comam occultabat.

Flaua cæsaries pulchra in fœminis. Esse verò in pretio inter fœminas comam flauam, ostendunt multa poëtarum loca. Virg. de Didone 4. Æneid.

----nondum illi flauum Proserpina crinem
Abstulerat.----------

Catullus in Epithalamio Iuliæ:

Aureas quatiunt comas.

Quare ex Arctoa regione alienos capillos sibi Romanæ comparabant fœminæ, quos gestarent pro suis. Martialis lib. 5. ad Lesbiam, & Apophor. 26. & 27.

11. Capræ in Palæstina tonsiles. Vt verò intelligatur quàm apta sit ista similitudo, aliqua priùs nobis obseruãda sunt. In primis apud Palæstinos caprarum pilos esse tonsiles, & longos: quod ex eo colligitur, quia ex illis conficiebantur vestes, Exod. 36. *Saga vndecim de pilis caprarum, ad operiendum tectum tabernaculi.* Et cap. 35. filij Israël dicuntur obtulisse pilos caprarum. Et certè quòd in Cilicia capræ villos habeãt tonsiles, sicut & oues, tradit Plinius lib. 8. c. 50. & Arist. lib. 8. de natura animalium, cap. 28. Cilicia verò non longè abest à Iudæa. Hinc vestes dicuntur Cilicinæ, & vndulatæ; hinc fiunt, quæ capripilia, Hispanè *Chamelote*, appellantur.

12. Caprarum vellus fuluum in Galaad, & quare. Secundò, obseruandum capras, quæ sunt in tractu Galaaditano, flaui esse coloris: neque enim aliter apta esset comparatio, cùm c. 7. capilli sponsæ purpuræ Regiæ dicantur esse similes. Neque id mirum cuiquam videri debet, cùm in aliis, atque aliis regionibus propter aquarum, pabulorúmque diuersitatem, alium, atque alium pecudes colorem habeant. Ad Bethim fluuiũ propter fluminis naturam ouibus fuluum colorem esse natiuum dicit multis in locis Martialis. Idẽ Plin. lib. 8. c. 48. Canusinas lanas esse fuluas docet Plin. & Martialis. Idem Sibari, & Crathi fluminibus tribuit Ouidius lib. 15. Metamorph. & Xãtho Plinius lib. 2. cap. 103. & Arist. lib. 3. historiæ animalium cap. 12. Vbi tradit in Antandria duo esse flumina, quorum alterum candorem, nigritiem alterum pecudibus affert; & Scamandrum flumen ideo appellatum esse Xanthum, quia fuluas reddit oues.

Quòd verò capræ istæ Galaaditides rutilã habeant, atque flauentem lanam, videtur posse colligi ex lib. 1. Reg. c. 19. vbi Michol, vt parẽtis sui satellites Dauidis imagine deluderet, statuam pro eo supposuit in lectulo, & pro capite, capræ pellẽ adhibuit, vt pilũ Dauidis referret, qui rufus esse dicitur 1. Reg. 16. Nisi fortè dicamus caprarũ Galaaditidũ fuluos esse, ac rutilos villos, non tamen à natura in vniuersum, sed ab arboribus, & pascuis, quæ stacte, resina, ac myrrha pinguia sunt, vt constat ex illo Ierem. 8. *Non est resina in Galaad*, &c. Et Genes. 37. *Viderunt Ismaëlitas viatores venire de Galaad, & camelos eorum portan-*

tes aromata, resinam, & stacten. Cùm ergo capræ illæ inter frutices, & arbusculas, quæ aromate sudant, plerumque versentur, verisimile est, crebro ad plantas aromatiferas affrictu ipsis ex ea materia flaua, ac pingui aliquid adhæsisse, vt de Ladano & Æsipo Plin. lib. 12. cap. 17. quod de caprarum villis ad rem medicam sumunt pharmaceutæ.

Porrò villi inter dumeta aspera depexi, & affricti læues fiunt, ac nitidi, ita vt & flauescant, & luceant. Fauet huic sententiæ, quòd vox Hebræa גלשו *Galesu*, pro qua Hieronymus vertit, *ascenderunt*, alij ex Hebræorũ Doctoribus reddunt, *defricuerunt*, aut, *detersérunt inter arbusta syluæ, & effectæ sunt pulchræ.* Alij, *manicauerunt*, id est, manè apparuerunt: nam cùm montis Galaad culmina primo Solis splendore illustrentur, collucent tunc caprarum pili nitidi, & ex aromate allito flauascentes.

13. Ex his constat, quàm aptè ex capris Galaad comparatio sumatur, ad explicandam fœmineę comæ pulchritudinem, ac nitorem; nam illarum caprarum villi longi sunt, fului, ac nitentes, siue à natura, siue ab eo quod inter pascendum ab arboribus contraxerunt. Cùm verò sponsæ crines perfusi sint vnguentis, latéque aspirêt suauitatem, id etiam habent caprarum vellera, non tantùm respersa, & madida, sed etiam delibuta, atque cooperta aromate fragranti. Adde quòd cùm ornatum sit coronis sponsæ caput, ea prorsus specie capillorum cincinni, aut cirri inter coronarum ramos, aut frondes apparent, qua capræ cum suo aureo, atque nitenti vellere inter dumeta montis Galaad. Quod optimè declarat verbum גלשו *Galesu*, quod infrà cap. 6. Hieronymus vertit, *apparuerunt.*

Capilli tui sicut greges caprarum.] 14. Commune omnibus pene Interpretibus est, per *capillos* cordis cogitationes intelligi; nam sicut illi à capite, sic hæ à corde, quod caput quoddam est, procedunt. Hi verò capilli capris Galaaditanis similes vocantur; quia nimirum fului sunt, vt pluribus in cortice docuimus, siue hoc contingat ex aquarum pabulorúmque natura, siue quia affricti arborum truncis multo aromate stillantibus, ex eo colorem imbiberant. Porrò sicut sponsus borrus cypri dicitur, vel effusum oleum, quia totus balsamum non solùm olet, sed etiam diffundit: sic etiam idem non incongruè vocari potest mons Galaad, quia inde in omnem partem omnium aromatum genera exportari solent. Accedit quòd Galaad *aceruum testimonij* sonar, quod, vt bene S. Thom. & Beda, aptissimè conuenit in Christum, in quem omnes figuræ legis, ac testimonia coaceruata sunt. In hoc ergo monte pulchri sunt capilli, ac fului, quia ea est illius Galaaditani pabuli natura, vt nisi flaui, imò & ignei capilli, id est, cogitationes, sint, planè coarguantur in Galaaditano tractu, alio, quàm Galaaditano pabulo pasti esse. Quòd si dicas flauos esse, ac nitidos caprarum villos, quia ex fruticum resina, ac stacte aliquid ipsis inter pascendum adhæsit, pulchræ erunt piarum mentium cogitationes, si aliquid secum traxerint, dum de Christo meditantur, diuini liquoris: si tinctæ diuinò cruore non leuiter, vt elui possit, sed qua ratione purpura bis tincta quem semel colorem imbiberit, non

Allegor. Cogitandum sæpe de Christo.

Qualis cogitatio.

non amittit. Quare postea sponsæ coma Regali purpuræ assimilatur iuncta canalibus. Illæ ergo cogitationes, & pulchræ sunt, & diuino sponso admodùm gratæ, quæ Christum olent, & à Christi vulneribus tinctæ, & quasi à Christi corde prodierunt. Cùm autem in monte Galaad, & medicina sit, & medicus, Ierem. 8. & filia populi Dei sauciam se, debilémque consideret, pulchra sanè erit cogitatio, quæ, vt obducatur cicatrix, resinam in Galaad, & medicum quærit. Tales verò cogitationes animum ornant, non secus atque capilli caput, arborem frondes, & Solem radij, qui ab eo nascuntur.

Deinde, sicut caprarum villi inter Galaaditanos frutices errantium pulcherrimi apparent, quia ramis & frondibus implexi, cum ipsis aliquod vnum componere videntur; sic cogitationes piæ, quæ inter mystici Galaad ramos, aut vagantur, aut hærent, pulcherrimæ sunt, quẽadmodum suprà columbę in cauerna maceriæ, petræque foraminibus commorantis decora facies visa est sponso, & vox suauis.

Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro.

15. Histor. DVrior alicui videri posset hæc comparatio, & ab explicando pulcherrimæ puellæ dentium ordine, & venustate alienior; at nihil ad eam rem adduci potuit aptius, maximè, quia ab eo, qui pastorem agit, similitudo ex syluis peti debuit. In dentibus, in quibus maxima pars decoris est, id spectari debet, vt sint candidi, & nitidi, id quod ostendunt oues, quæ non solùm dicuntur tonsæ, id est, exutæ, quicquid squaloris, & sordium cõtrahere potuerunt ex immundo solo, quæ extrema vellera fœdare solent; sed etiam lotæ. Has sponsus in comparationem adducit, vt ostendat in sponsæ dentibus nihil esse scabrũ, nihil immundum. Tum, vt exprimat, quàm non sint dentes rari, quàm inter ipsos nihil spatij vacui: spoliatæ enim villis, & madentes aqua cõfertæ, & cõstipatæ gradiuntur, quò se mutuo foueant. Porrò rei pecuariæ magistri recentes à tonsione pecudes ablui iubent. Virg. 3. Georg. cùm scabies contingat pecoribus recèns tonsis, si illotus adhæreat sudor, ait:

Dulcibus idcircò fluuiis pecus omne magistri
Perfundunt.---------

Quod etiam docet Columella lib. 7. de re rustica cap. 4.

Dentes tui sicut greges tonsarum.] Allegor. Vbi de oculis, atque capillis actum est, sermo iam ad dentes traducitur, qui si ad Ecclesiam referantur, Pręlatos, & concionatores adumbrant; si ad quamlibet animã fidelem, meditationem; quia huic meditatio pro concionatore est. Neque enim aliter ad se pius orator meditationem instituit, quàm publicus ad populum concionẽ, id est, orationem meditatur suam. Quòd verò Ecclesię dentes Doctores sint, docet Augustinus in Psalm. 3. & lib. 2. de Doctrin. Christ. cap. 6. Vterque Greg. Magnus, & Nyss. S. Tho. Beda, Psellus, & alij. Quia sicut nutrices cibũ dentibus diuidunt, mãdúntque, atque in infantium ora molliter ingerunt, imò nonnunquam, quę dura sunt, & amara, cõfecta priùs dentibus, & suo etiam

calore iam cocta, & in lac dulce, niueúmque conuersa, aut ipsę immulgent infantibus, aut infantes ex vberibus fugunt: sic spirituales magistri rudes adhuc, & teneros discipulorum animos disciplinis instituunt salutaribus, & nonnunquam iisdem, quæ odoratu grauia, & gustatu horrida sunt, sic atterunt, extenuant, atque conficiunt, vt mirificum inde alij, neque ingratum alimentum capiant. Quid durius? quid horribilius cruce? quid magis ab opinione populari alienum, quàm ab illa arbore, quæ infelix videtur, inauspicata, & syluestris, fructum capi honoris, & honestatis, imò, quod mirere magis, suauitatis eximiæ? At id faciunt Ecclesiæ magistri. Amara sanè res est peccatum, & quæ cor tangit, trahítque in desperationem, à quo sic abhorret diuinus stomachus, vt nauseet, & vomat; duræ damnatorum pœnæ, & calix fellis, & absynthij mixtione plenus; ex vtroque tamen magistrorum dentibus diuiso ruminatóque medicina sumitur maximè salutaris, sicut à vipera, atque scorpione antidota sumuntur ipsis viperis, atque scorpionibus inimica. Ideo, vt bene August. suprà, & S. Thom. magistrorum Princeps Petrus animalia immunda, atque communia iubetur occidere, ac manducare.

Doctores amara discipulis dulcia reddunt.

16. Dentes hi candidi sunt propter exemplum vitæ, quod si absit, minùs grata est, atque vtilis doctrina. Vt enim dens putridus, atque immundus, quem grauis odor sequitur, fastidium mouet, & nauseam puero, cui à nutrice cófectus cibus, & mansus ingeritur; sic doctrina, quæ ex ore impuro, & caninis dentibus, aut etiam leoninis (qui gustatis cibis intolerabilem fœtorem inferre dicuntur ex Arist. de hist. animalium suprà) prouenit, aliquid habet, ad quod nauseet discipulorum stomachus. Putat autem Augustinus in Psal. 3. ideo hos dentes detonsis ouibus similes dici, quia sicut oues quod in velleribus graue est, & immundum, tonsione deponunt, & quod reliquum à tonsione est, quod vix cutem operit extremam, id ex lauacro lotum, purúmque ascendit: sic spirituales Doctores nudi esse debent à cura terrenarum rerum; & si quid necessariò est è terra sumendum, sic à terra purgatum esse oportet, vt cœlestis quidam nitor illi inesse videatur.

Doctorum exempli necessarium.

Porrò Columella lib 7. cap. 4. mersandas præcipit oues recentes à tonsione matinis aquis; quòd si lógiùs à mari absint, pluuiali aqua ad hunc vsum aspersa sale. Quo medicamento putat scabritiem ab ouibus profligari; quod lauacrum sanè mortificatio est; quæ ita lauat, vt sanet, & à tabe vendicet molles affectus. Sunt tamen (pro dolor!) hac ętate non pauci, qui sibi non tam verè, quàm audacter Doctorũ nomé arrogãt, quibus détes nó cãdidi, nó mundi, non nitidi, sed scabri, sed putridi, sed canini, sed leonini, qui non tam mandunt, quàm mordent; non tam nutriunt, quàm lacerant; non tam, quæ amara sunt, dulcia reddunt, & grata, quàm quæ natura sua dulcia sunt, & grata, sic inficiũt, & perdunt, vt fastidium multis, & horrorem afferant. Hi nimirum sunt, quibus, vt de Behemoth Iob. c. 45. *In ore per gyrum inest dentium formido. Hi pro dentibus gladios habent, vt comedant inopem de terra*; Prou. 30. *Horum dentes arma, & sagitta; & lingua eorum gladius acutus*; Psal. 56.

Doctorum abnegatio, & mortificatio.

Qui dentes non tam ad Ecclesiam totam, quàm ad singulares 17.

Oratio dentibus similis.

animas

animas referunt; hi commodissimè in dẽtibus meditationem agnoscunt, quorum munus est, id, quod est vorandum, terere, ruminare, conficere; quod in corporali cibo præstant dentes; neque enim aliter instruitur oratio publica ad multitudinem effusa, quàm secreta meditatio ad animam contracta. Et quidem meditationi dentes accommodant tres Patres; & Theodoretus loquelæ, quæ meditationem consequi omnino debet, si vtilis futura est. Vt autem meditatio pura sit, & grata sponso, detondeat necesse est (ouiũ more) defluentes villos; qui cùm terram verrant, indéque trahant plerumque squaloris aliquid, candidi esse non solent; & de lauacro ascendat ad montem Galaad, ad superna scilicet; & ad aceruum testimonij, vbi passim cœlestium aromatum occurrunt stillæ, vt quacunque pergat, Galaaditani saltus halitum effundat; quod faciebat ille, qui verè potuit dicere, *Christi bonus odor sumus.*

18. Religiosus simi. lis dentibus. Bernardus in Ecclesiæ dentibus viros Religiosos agnoscit, quorum proprietates latè, elegantérque persequitur Serm. 63. ex paruis, quem omnino vide. Nyssen. hoc loco quærit, cur priùs à dentibus laudetur sponsa, quàm à labiis, & eam præcipuè putat esse causam, quia meditatio, quæ in dentibus, vt diximus, significatur, præcedere debet sermonem, qui labiorum opus est. Friget enim oratio, nisi ab attenta meditatione priùs animetur, & efferbescat.

Omnes gemellis fœtibus, &c.

19. Histor. NOn frustra est, quòd oues istæ gemelliparę sunt; id enim valdè dentium ordinem, & speciem refert. Multa hîc à multis excogitata, vt de geminis dentium radicibus; quasi dentes de quibus hîc agitur, nempe primores, & acuti, qui tantùm honestè apparent, bisulcis radicibus mandibulæ inserti sint, & firmati; vt de sterilitate dentium, quam tunc habere putant, cùm inutiles sunt, quia putridi, aut malè firmi. Quidã, quia gemellos hosce fœtus nõ possunt ad dentium speciem accommodare, aiunt hæc addita esse à Salomone similitudinis illius exornandæ causâ, non quòd ipsis aliquid in sponsæ dentibus respondeat. Res est sanè obscura; dicam tamen quod mihi magis è re proposita videtur. Dentes cur gemel ipa. ris similes

Duo sunt dentium ordines, superiores, qui inferioribus plerumque subiectis ita incumbunt, vt magnam eorum partem occultent; qui inferiores, licèt magnitudine inæquales superioribus non sint, longè tamen impares videntur; quia non toti patent. Hos omnes gemellis fœtibus, qui à tergo matres sequuntur, similes dico. Præterea primores dentes, qui mediam oris partem ornant, & instruunt, latiori sunt forma; qui ad eorum latus adnati, longè minori; quare hi quoque agnis non absimiles, qui matrum affixi sunt lateri. Ex duobus itaque his fœtibus alter ad latus hæret matris, alter à tergo sequitur. Si verò è genuinis, id est, molaribus, aliqui appareant, quod in fœminis modestis perrarum est, adsunt canini proximi, qui licèt ad basim lati, ad summum tamen acuti sunt; quare ad molares relati, sicut agni à matribus, sic ipsi à molaribus magnitudine vincũtur. Tũc verò in illo dẽtium quasi grege steriles sunt dentes, quando ex adnatis aliqui, siue ex inferioribus excussi sunt; quia nõn erunt duo minores

calore iam cocta, & in lac dulce, niueúmque conuersa, aut ipsę immulgent infantibus, aut infantes ex vberibus fugunt: sic spirituales magistri rudes adhuc, & teneros discipulorum animos disciplinis instituunt salutaribus, & nonnunquam iisdem, quæ odoratu grauia, & gustatu horrida sunt, sic atterunt, extenuant, atque conficiunt, vt mirificum inde alij, neque ingratum alimentum capiant. Quid durius? quid horribilius cruce? quid magis ab opinione populari alienum, quàm ab illa arbore, quæ infelix videtur, inauspicata, & syluestris, fructum capi honoris, & honestatis, imò, quod mirere magis, suauitatis eximiæ? At id faciunt Ecclesiæ magistri. Amara sanè res est peccatum, & quæ cor tangit, trahitque in desperationem, à quo sic abhorret diuinus stomachus, vt nauseet, & vomat; duræ damnatorum pœnæ, & calix fellis, & absynthij mixtione plenus; ex vtroque tamen magistrorum dentibus diuiso ruminatóque medicina sumitur maximè salutaris, sicut à vipera, atque scorpione antidota sumuntur ipsis viperis, atque scorpionibus inimica. Ideo, vt bene August. suprà, & S. Thom. magistrorum Princeps Petrus animalia immunda, atque communia iubetur occidere, ac manducare.

Doctores amara discipulis dulcia reddunt.

16. Dentes hi candidi sunt propter exemplum vitæ, quod si absit, minùs grata est, atque vtilis doctrina. Vt enim dens putridus, atque immundus, quem grauis odor sequitur, fastidium mouet, & nauseam puero, cui à nutrice cōfectus cibus, & mansus ingeritur; sic doctrina, quæ ex ore impuro, & caninis dentibus, aut etiam leoninis (qui gustatis cibis intolerabilem fœtorem inferre dicuntur ex Arist. de hist. animalium suprà) prouenit, aliquid habet, ad quod nauseet discipulorum stomachus. Putat autem Augustinus in Psal. 3. ideo hos dentes detonsis ouibus similes dici, quia sicut oues quod in velleribus graue est, & immundum, tonsione deponunt, & quod reliquum à tonsione est, quod vix cutem operit extremam, id ex lauacro lotum, purúmque ascendit: sic spirituales Doctores nudi esse debent à cura terrenarum rerum; & si quid necessariò est è terra sumendum, sic à terra purgatum esse oportet, vt cœlestis quidam nitor illi inesse videatur.

Doctorum exemplū necessarium.

Porrò Columella lib 7. cap. 4. mersandas præcipit oues recentes à tonsione marinis aquis; quòd si lōgiùs à mari absint, pluuiali aqua ad hunc vsum aspersa sale. Quo medicamento putat scabritiem ab ouibus profligari; quod lauacrum sanè mortificatio est; quæ ita lauat, vt sanet, & à tabe vendicet molles affectus. Sunt tamen (pro dolor!) hac ętate non pauci, qui sibi non tam verè, quàm audacter Doctorū nomē arrogāt, quibus dētes nō cādidi, nō mundi, non nitidi, sed scabri, sed putridi, sed canini, sed leonini, qui non tam mandunt, quàm mordent; non tam nutriunt, quàm lacerant; non tam, quæ amara sunt, dulcia reddunt, & grata, quàm quæ natura sua dulcia sunt, & grata, sic inficiūt, & perdunt, vt fastidium multis, & horrorem afferant. Hi nimirum sunt, quibus, vt de Behemoth Iob. c. 41. *In ore per gyrum inest dentium formido. Hi pro dentibus gladios habent, vt comedant inopem de terra*; Prou. 30. *Horum dentes arma, & sagitta; & lingua eorum gladius acutus*; Psal. 56.

Doctorum abnegatio, & mortificatio.

Qui dentes non tam ad Ecclesiam totam, quàm ad singulares animas 17.

Oratio dentibus similis.

animas referunt; hi commodissimè in dẽtibus meditationem agnoscunt, quorum munus est, id, quod est vorandum, terere, ruminare, conficere; quod in corporali cibo præstant dentes; neque enim aliter instruitur oratio publica ad multitudinem effusa, quàm secreta meditatio ad animam contracta. Et quidem meditationi dentes accommodant tres Patres; & Theodoretus loquelæ, quæ meditationem consequi omnino debet, si vtilis futura est. Vt autem meditatio pura sit, & grata sponso, detondeat necesse est (ouiũ more) defluentes villos; qui cùm terram verrant, indéque trahant plerumque squaloris aliquid, candidi esse non solent; & de lauacro ascendat ad montem Galaad, ad superna scilicet; & ad aceruum testimonij, vbi passim cœlestium aromatum occurrunt stillæ, vt quacunque pergat, Galaaditani saltus halitum effundat; quod faciebat ille, qui verè potuit dicere, *Christi bonus odor sumus*.

18. *Religiosus simi. lis denti. bus.* Bernardus in Ecclesiæ dentibus viros Religiosos agnoscit, quorum proprietates latè, elegantérque persequitur Serm. 63. ex paruis, quem omnino vide. Nyssen. hoc loco quærit, cur priùs à dentibus laudetur sponsa, quàm à labiis, & eam præcipuè putat esse causam, quia meditatio, quæ in dentibus, vt diximus, significatur, præcedere debet sermonem, qui labiorum opus est. Friget enim oratio, nisi ab attenta meditatione priùs animetur, & efferbescat.

Omnes gemellis fœtibus, &c.

19. *Histor.* NOn frustra est, quòd oues istæ gemellipare sunt; id enim valdè dentium ordinem, & speciem refert. Multa hîc à multis excogitata, vt de geminis dentium radicibus; quasi dentes de quibus hîc agitur, nempe primores, & acuti, qui tantùm honestè apparent, bisulcis radicibus mandibulæ inserti sint, & firmati; vt de sterilitate dentium, quam tunc habere putant, cùm inutiles sunt, quia putridi, aut malè firmi. Quidã, quia gemellos hosce fœtus nõ possunt ad dentium speciem accommodare, aiunt hæc addita esse à Salomone similitudinis illius exornandæ causâ, non quòd ipsis aliquid in sponsæ dentibus respondeat. Res est sanè obscura; dicam tamen quod mihi magis è re proposita videtur. *Dentes cur gemel ipa ris similes*

Duo sunt dentium ordines, superiores, qui inferioribus plerumque subiectis ita incumbunt, vt magnam eorum partem occultent; qui inferiores, licèt magnitudine inæquales superioribus non sint, longè tamen impares videntur; quia non toti patent. Hos omnes gemellis fœtibus, qui à tergo matres sequuntur, similes dico. Præterea primores dentes, qui mediam oris partem ornant, & instruunt, latiori sunt forma; qui ad eorum latus adnati, longè minori; quare hi quoque agnis non absimiles, qui matrum affixi sunt lateri. Ex duobus itaque his fœtibus alter ad latus hæret matris, alter à tergo sequitur. Si verò è genuinis, id est, molaribus, aliqui appareant, quod in fœminis modestis perrarum est, adsunt canini proximi, qui licèt ad basim lati, ad summum tamen acuti sunt; quare ad molares relati, sicut agni à matribus, sic ipsi à molaribus magnitudine vincũtur. Tũc verò in illo dẽtium quasi grege steriles sunt dentes, quando ex adnatis aliqui, siue ex inferioribus excussi sunt; quia non erunt duo minores

dentes, qui tanquam agni gemelli matres comitentur. Aut certè si difficile videtur binos fœtus ouibus, id est, latis dentibus binos tenuiores, siue minùs latos adiungere, satis erit si multo plures exiguos esse dicamus in ore eleganter ornato; sicut in grege, vbi oues gemelliparæ fuerint, plures agni sunt, quàm matres.

20. Allegor. Doctori doctrina adsit, & exemplũ; Deum amet, & homines. *Omnes gemellis fœtibus.*] Gemellos fœtus in cortice singulis ouibus adiunximus: alterum, qui hæreret lateri matris; alterum, qui à tergo sequeretur. A gemino hoc partu sterilis esse non debet, qui spirituali aliorum saluti præpositus est. Est autem, vt docet August. in Psalm. 3. exemplum bonum, & doctrina bona. Idem tres Patres, & Bern. Sermone 63. Præcedit exemplum, doctrina sequitur eius germanus frater. Alij hîc Dei, & proximi charitatem intelligunt. August. S. Tho. & Beda, & tunc præcedit Dei amor, qui affixus vberibus, lac inde sugit suauissimum. Hunc amor proximi à tergo comitatur, qui si absit, ille alter, quòd amor sit Dei, satis graue testimonium non habet. Theodoretus contemplationem, & actionem agnoscit: nam si illa præcurrit, hæc alacrior, atque robustior illius vestigiis insistit feliciter.

Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.

21. Histor. HIc locus facilis est, & comparatio aptissima, quæ secundùm colorẽ est. Labia verò à purpureo colore maximè commendantur. Vnde etiam *rosea* dicuntur à Catullo & ab aliis purpurea. *Et eloquium tuũ dulce*; Hebr. נאוה *Nauoh*, quod *venustum*, & *decorum* significat. Est autem hîc vox non canora, vel lenis, licèt id etiam connotet, sed oratio suauis, & concinna, quæque pudorẽ virginalem deceat. Theodoretus exponit vocem, quæ demulcet, ac retinet auditores, nec discedere permittit. Vnde sponsus cap. 2. dicit; *Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis.* Et cap. 8. *Fac me audire vocem tuam.* In vtroque loco Hebraicè est קול *Kol*, quod *vocem* sonat: hîc verò מדבר *Midbar*, quod *sermonem*. Ex quo apparet, vtrumque esse eximiũ in sponsa, & vocem non absonam, & agrestẽ, & orationem gratã, pudicã, & dignitatis plenam. R. Salomo in *vitta coccinea*, seu, *filo coccineo* fidelitatem agnoscit in promisso seruando, fidéque, quia exploratores, qui Raab meretrici datam fidem integrè seruarũt, filum coccineum, seu vittam coccineam è fenestra suspendi fecerunt; quæ cogitatio ad mysticum sensum aptior est, quàm ad historicum.

Sicut vitta coccinea labia tua.] Egerat sponsus de his, quæ plerumque sermonem præcurrunt; de cogitatione scilicet, & meditatione; nunc de sermone loquitur, qui vel in labiis ipsis, vel intra labia formatur. Sicut autem vsu euenire solet, vt halitus & ciborum naturam, & stomachi vitium, aut bonitatem ostendat, sic etiam ex eo, quod meditati antea fuimus, redolet aliquid, & erumpit in hominum sensus. Versati fuerant sponsæ crines, ac dentes in defricandis, commasticandísque montis Galaad & aromaticis succis, & odoratis pabulis; nunc labia proprium eorum halitum expirant. Diximus autem alibi, montem Galaad symbolum esse Christi optimum. Labia ergo sponsæ dicuntur coccinea, 21. Allegor. Talis sermo, qualis meditatio: & vtrũque de Deo.

id

id est, rubore quodam sanguineo cum dignitate suffusa, quia hæc tincta sunt Christi sanguine. Ita Ambr. in Psalm. 118. octon. 18. v. 4. Theodor. Nyssen. S. Thom. Alij ideo censent appellari coccinea, quia charitate colorari, atque inflammari debent. Ita Greg. Quare hic sermo non potest non esse dulcissimus, & fragrantissimus, quia id sonat, & olet, quod omnem suauitatem in se cohibet.

23. Concionatoris qualis sermo. Si ad Ecclesiam referas, per *labia* Doctores, & concionatores intelligunt S. Greg. S. Thom. & alij plures; qui sanè labia habere debent stillantia Christi sanguine; certè illum assiduè resonantia, non prodigiosa quædam & rerum, & verborum monstra, quæ, si quid esset pudoris, aut mentis, non minùs arceri deberent à Christi suggestu, quàm ab Arca fœderis olim Dagon. Huiusmodi labia habebat Apostolus, qui dicebat prædicari à se Christum crucifixũ; 1. Cor. 1. imò nescire se aliud, nisi Christum crucifixum, ibid. c. 2. Quid? quòd hi plerumque concionatores quotidie è sacro Missæ linguam referunt ex Christi sanguine coccineam? Quo supplicio isti digni sunt, si aliquid alienum oleant à Christo?

Sicut fragmen mali punici.

24. Histor. NOn significatur hîc pars illa interior, quæ granorum ordinem punicorum ostendit; sed cortex, qui suauiter purpureo nitore suffunditur. Sic enim vertunt Septuaginta λέπυρον. Et S. Hieronymus infrà cap. 6. vbi vox est eadem, *corticem* vertit. Vox Hebr. פלח *Pelach*, quæ vtrobique est, *frustum* significat, siue *partem ab alia dissectam*. Quare ad vtramque fragminis partem, & speciem referri potest. Sed corticem hîc libentiùs admitterem, quia in eo tumoris aliquid est, sicut in genis, vt notauit Rab. Salomo; tum quia verisimile est, in Palæstina mala punica coloris esse purpurei. Nam Exodi 28. mala punica in Sacerdotis vestibus fieri iubentur ex purpura, & vermiculo. Quod nõ aptè fieret, nisi mala punica essent rubicunda. Neque vrget, quòd aliqui, non mali punici iam maturi, sed erumpentis primùm, & florentis, putà citini, speciem descriptam esse volunt (quia Septuaginta sic illum Exodi locum conuertunt: *Et facies sub margine tunicæ deorsum, quasi florentis mali punici, mala punica ex hyacintho, purpura, & cocco.*) Nam vox Hebraica רמון *Rimon*, *malum granatum* significat *iam maturum*, vt ex multis locis fit perspicuum; maximè infrà cap. 8. vbi musti malorum granatorum mentio fit, quod à florenti citino, id est, vt Hispani loquuntur, *granadino*, exprimi non potest. Et quidem hic est omnium Patrum, atque Interpretum sensus. Quòd verò purpureus color in mali punici cortice commendari soleat, docet studium quod aliqui adhibere solent, vt mala granata rubicunda fiant: qua de re præceptum tradit Cassius Dionysius libr. 10. cap. 33. Scio quibusdam placere comparationem hîc fieri cum punicæ arboris rubente flore, in quibus est Abenezra, & antiqua Rabbinorum interpretatio Hispanica; sed prior sine dubio explicatio magis est ad vim Hebraicæ vocis, & ad veritatem. Præterea, vt fatetur author quidam non tam pius, quàm doctus, apud

Mala punica in Palæstina rubri coloris.

apud Pagninum, à Chaldæis Talmudicis decens ille, atque venustus rubor, qui in genis nitet, *malum granatum faciei* dicitur; sicut ab Hispanis *rosa faciei* appellatur color ille igneus, qui ex morbo in facie fœdè, & indecorè rubet.

25. Sunt qui vocem רקה *Rakah*, pro qua noster *genas* reddidit, dicant significare *tempora*. Ita Pagninus in radice רקק *Rakak*: sed, vt partem etiam illam faciei significet (nam fortè id verum est) non video quid tantùm pulchritudinis afferre potuerint sponsæ rubicunda tempora; maximè cùm illa plerumque lateant naturali capillorum vestitu. Vnde nullus vnquam à temporum venustate commendatus est; à genarum verò rubore laus sæpe ducitur.

Absque eo, quod intrinsecus latet.

26. EO modo, quo oculi suprà dicuntur latere intra crines; sic etiam nunc genæ: ex quo apparet in illo nihil innui, quod celari possit, & hîc sermonem esse de genis. Aliquid enim præcipuum de sponsæ decore, atque modestia dicit: at tempora capillis esse tecta, aut commune est, aut certè non admodùm illa inter capillos lucent.

27. *Allegor. Nullus honestior color quã qui à pudore nascitur.* *Sicut fragmen mali punici.*] Illud in primis clarum ornamẽtum est, quod à pudore nascitur, qui genis, in quibus illi sedes est propria, eleganter infusus illas rubore quodam notat virginali. Est autem in fœminis præcipua commendatio à modestia, & verecundia; qui si rubore faciem, & fœminam ipsam taciturnitate, & claustris abscondat, pene summa est. Quare sponsæ facies non solùm rubore, tanquam flammeo, sed capillis, aut aliquo alio integumento celari dicitur. Id enim est, *absque eo, quod intrinsecus latet*. Explicuit optimè Nazianzenus Oratione aduersùs mulieres, vbi inter alia in hanc sententiam grauissima inquit. *Vnicus color in mulieribus amabilis est, nimirum rubor ille, quem pudor gignit.* Et Orat. 11. de laudibus Gorgoniæ. *Vnus*, inquit, *ille rubor placebat, quem pudor affert, vnus candor, quem parit abstinentia; nam pigmenta, & fucos, & viuas tabulas* (has quidem laruas appellat, quia fucata fœmina laruata est) *scenicis, & triuialibus relinquebat, quibúsque probrum, ac dedecus est, erubescere.* Magna sanè stultitia, allito fuco meretriciis planè genis, impedimentum ponere, quominus prodire, atque efflorescere possit, quod est in fœmina pulcherrimum, nempe ex pudore rubor.

Per *genas* Greg. hîc, & Homil. 16. in Ezech. & Carpathius Sacerdotes, & concionatores intelligunt: cuius ea videtur assignari posse ratio, quia sicut in genis, totáque facie cognoscitur homo, quem non ita facilè ex pedibus, cæterísque partibus ab aliis internoscas; sic Ecclesiæ dignitas, splendor, & sanctitas ex sua facie, id est, ex Sacerdotum honestate cognoscenda est, non ex populari turba, cuius vita, & cultus in externis plerumque, profanísque versatur, neque longè Ethnicorum moribus, institutóque dissimilis est. Hæc ergo Ecclesiæ facies, sicut cortex mali punici rubere debet; sed, ô mores, ô tempora, iam sicut populus, sic Sacerdos, aliena curat, & popularia, neque quidquam habet pensi, quid externi de Ecclesiæ facie iudicent; venustáne sit, an verò sua culpa deformis appareat? Quòd si nunc sponsus diceret Ecclesiæ illud Cantic. 2. *Ostende mihi faciem tuam*; respon 28. *Ecclesiæ facies Sacerdos.*

respondeeret credo, *Operuit confusio faciẽ meam. Nazaræi* etenim *lacte cãdidiores, rubicundiores ebore antiquo, denigrata est super carbones facies eorum.* Vt autem grauis est illa contumelia, quam quis accipit, dum in maxilla percutitur (vnde Prouerbiali figura, *In faciem cædi*, est insignem contumeliam accipere, vt pluribus ostendimus in illud Isai. c. 3. n. 15. *Et facies pauperum commolitis*) sic in Sacerdote, cuius vita turpis, & ignobilis est, magnam sustinet Ecclesia contumeliam; non aliter, atque si palmarum inflictu notatam haberet, & deformatam illustrem faciem, quam Christus esse voluit sine macula, & ruga.

Grauis cõtumelia quæ est à facie percussa.

29. In hanc sententiam multa, & grauiter Gregor. lib. 13. Mor. ex his pauca accipe. Cap. 7. ad illud, *Percusserũt maxillam meam*; docet plorandum esse Sacerdotibus, & sacri verbi præconibus, si modò velint populi peccatis vim aliquam afferre potẽtem, & vtilem; nam per maxillas ex oculis lacrymæ defluunt. *Maxillæ*, inquit, *Ecclesiæ sancti prædicatores sunt, sicut sub Iudææ specie per Ieremiã dicitur Thren. 1. Plorans plorauit in nocte, & lacrymæ eius in maxillis eius; quia inaduersitate Ecclesiæ illi amplius plangunt.* Et cap. 11. *Qui nimirum prælati plebibus plangunt culpas infirmantium, seq́ de alienis lapsibus, quasi de propriis affligunt. Per huiusmodi prædicatores, atque Prælatos, Deus sternit peccatores, & ex inueterato peccandi statu dimouet. Per ipsos* (qui nempe plorant, inquit Gregor. cap. 7. *sancta Ecclesia iniquos à vitiis conterit, vel compescit, & quasi glutiens in sua membra conuertit. Vnde ipsi primo prædicatori, velut maxillæ Ecclesiæ dicitur Actor. c. 10. Occide, & manduca.* Et statim cap. 8. *Hinc est etiam, quòd Samson maxillam asini tenuit, & hostes peremit: quia Redemptor noster simplicitatem, atque patientiam prædicantium sua manu virtutis tenens, à vitiis suis carnales interficit.*

Sacerdoti plorandũ.

Sacerdos arma Dei cõtra peccatum.

30. Deinde docet, honestam populi Christiani, seu Ecclesiæ faciem esse Sacerdotes, qui si vitam agũt suo nomine ac ministerio dignam, Ecclesiæ facies indecora non est. Sic enim cap. 11. *Facies quippe Sanctæ Ecclesiæ sunt hi, qui in locis regiminis positi apparent primi, vt ex eorum specie sit honor populi, etiamsi quid in corpore lateat deforme.* Ex quo cap. 8. colligit Gregor. quàm graue sit peccatum, aut insectari hos Ecclesiæ ministros, aut illorum honori, ac nomini insultare contumeliosè, aut ignominiosè detrahere. Perinde enim est, ac si quis in Ecclesiæ faciem conspueret, aut illam deformaret fœdè, aut palmas infligeret impias, & audaces. *Maxillam*, inquit, *Ecclesiæ peruersi feriunt, cùm bonos prædicatores insequuntur.* Ex his facilè Sacerdos intelliget, quanto studio seruare debeat vitæ puritatem, ne cui, siue externo, siue domestico offensioni sit; quando Ecclesiæ sanctitas, & pulchritudo, ex eius specie, ac sanctitate pensari aut solet, aut debet. Quare sæpe sacri Doctores clamant, nullum Ecclesiæ magis esse noxium, quàm malum Sacerdotem, tum propter alias, tum propter illas, quas modò protuli causas.

Si Sacerdos sanctus facies Ecclesiæ decora est.

Graue peccatum Sacerdoti detrahere.

31. In genis sedem esse pudoris iam antè vidimus. Pudorem verò virtutum omnium nitorem quẽdã esse, atque custodem, ipsi quoque Gẽtilium Philosophi docuêre. Cicero illam in Partitionibus oratoriis virtutum custodem; & in lib. Officiorum, vitæ ornamentum vocat. Quã Bernardus Serm. 86. in Cant. splendidam morum gemmam, & rursus ibid. pudicitiæ comitem appellat.

Pudor virtutis custos.

Idem Ambros. putat lib. 1. Officiorum cap. 18. *Est*, inquit, *verecundia pudicitiæ comes, cuius societate castitas ipsa tutior est* Et c. 19. gratiores esse dicit, atque pulchriores vultus, quos suauis à pudore rubor perfundit. Hoc idem de virtutum custodia putat in hũc locum Nyssenus. Vtriusque, tam nitoris, quàm virtutum, præsertim castitatis custodiæ accõmodatum symbolum est cortex, seu fragmen mali punici. Nam & rubicundus est cortex, maximè in Palæstina, vt nuper ostendimus, & austeri cuiusdam saporis, propter quem auidum etiam palatum nonnihil à granorum suauitate retardat. Gratus quidem est granorum rubor, & petulantium insidiis opportunus; quare nisi amarum aliquid esset, atque asperum in illo, labefactari facilè posset puellarum constantia. Quare cecidisse plurimas legimus, dum videri pulchræ volunt, & vrbanæ, dum nolunt ab insidiatorib. pudicitiæ difficiles, aut rusticæ existimari. Cũ tamẽ illa rusticitas multo sit honestior, quàm illa, quæ procacibus ingeniis videtur vrbanitas. Sic sanè iudicabat quæ obiiciẽti rusticum, & illiberalem animum amatori respondit;

Aliquid in virgine austerum ad castitatis custodiã.

Rustica sim sanè, dum non oblita pudoris.

Oportet igitur, vt pulchritudini suę virgo pudorem associet, & amarum aliquid, & seuerum, si castitati consultum esse vult. Vt enim cupressi ligna à tinea nihil patiuntur incommodi, quia amarum aliquid habẽt, & acre, vt Vitruuius docet lib. 2. c. 19. & ideo procul à se vermiculos abigunt: sic virgo, si honesta in facie aliquid præ se ferat verecundum, & graue, longè à se molestos, & inuerecundos amatores arcebit.

Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis.

DE hac turri vide 2. Reg. 15. & 1. Paralip. 11. vbi Dauid dicitur pulso Iebusęo occupasse arcem Siõ, eámque fecisse totius Regni caput: quare appellatur Ciuitas Dauid. Est ergo turris Dauid, vel ipsa arx Sion Iebusæis erepta, vel editior aliqua turris & elegantior, quam excitauit Dauid, dum per gyrum muniret ciuitatẽ illam suam à Mello, & intrinsecus, vt dicitur suprà. Huius turris videtur meminisse Esdras lib. 2. cap. 3. quam magnam, & eminentem vocat. Huic ergo assimilatur sponsæ collum; quia erectum, procerum, & eburneum; qualem esse turrim illam Regiam verisimile est. Sed quid turris propugnacula, quid clypei, & omnis armatura fortium ad decorem faciant, non facile explicatu est. 32. H. flor.

33. De propugnaculis quidem res dubia est. Hebr. תלפיות *Talpyoth*. Septuaginta retinuerunt nomen Hebraicum, fortasse rati nomen esse proprium. Quidam exponunt *doctrinam, & monumenta*, vt Rabbi Salomon, & Abenezra: vel quia erat in edito loco, & sicut Pharus nauigantibus portum; sic turris illa iter agentibus, vrbem illã ostendebat: siue, vt alij volunt, quia in ea collocabantur illorum monumenta qui aliquid egissent præclarè, vt dicit Philo de Legatione ad Caium. Et sanè ita fecit Dauid, qui gladium Goliath posuit in Tabernaculo; & Iudith Holophernis conopæum. Alij putant ideo dici doctrinam, quia turris illa egregio opere, & arte

te mirifica constructa erat, atq; ideo alij ad præclara molieda illam tanquam formam, & exemplum intuebantur. Ita Rabbi Salomon, & Anonymus. Et sanè hæc explicatio ad moralem sensum accommodatissima est, quòd scilicet sponsæ collum construedæ arcis formam ostēdat, & viam doceat, qua perueniēdum sit in Ierusalem. Aquila vertit ἐπάλξεις. i. *cū propugnaculis, pinnis*, seu *fastigijs*. Symmachus ὕψη. i. *altitudines*, vt tradit Theodoretus, & tres Patres. Aquilam sequutus est Hieronymus. Sed quæ sint illa propugnacula, quo loco sita, ad imámne turrim affixa, an in summa excitata, quæ muniant, & ornent latera; an quæ summum instruant fastigium (vt sunt, quę pinnæ dicūtur, aut murorum minæ, ita vt aptè referāt speciosæ virginis decens collum) dubium est, neque mihi dum aliquid statutum est, aut certum quod sequar.

34. Collum fœminarum variè ornatum. Plurima esse, eáque admodùm varia colli fœminei ornamenta, satis notum est; ea verò esse torques aureos egregio opere baccatos suspicor; quia in Scriptura sacra ornamentum aliud non inuenio; torquis verò, & monilis, & murenularum frequens mentio fit. Inter profanos inuenio *perideraum*, & *peritrachelium* apud Pollucem; sed quid sint, non explicat: sonat tamē *quod collum ambit*. Apud Sextum Pōpeium reperitur *patagium*; illud verò est, quod ad summam tunicam assui solet, quæ patagiata dicitur, cuius etiam meminit Tertullianus lib. de Pallio, & Apuleius lib. 2. Metamorph. vbi Beroaldus dicit esse ornamentum assutum summæ camisiæ parti, rugatum, & crispum, quod Hispani apta quadam translatiōne, *lechuguillas* vocaut. Quòd si patagio sponsæ collum ornatum est, non ineptè simile dicitur turri, cuius ad sedem adstructa sunt pinnata propugnacula. Nisi mauis coronas accipere, quas in collo gestare elegantes fœminas apud profanos legimus. Catullus lib. 1. Eleg. 7.

Illius è nitido stillent vnguenta capillo:
Et capite, & collo mollia serta gerat.

Et Ouid. 6. Fast.

——Fusis per colla coronis
Ferte Deæ flores.——

Cui sententiæ videtur fauere Theodoretus, qui sic locum exponit. *Quemadmodum turris à Dauid ædificata superat propugnacula, in quibus structa est*, &c. & Ambr. in Psal. 118. octon. 4. v. 1. *Condidit turrim illam Dauid, & super murorum ædificauit excelsa, vt subsidio pariter, & decori sit: subsidio, quia hostem præuidet, & expellit: decori, quia non solùm inter humilia, sed etiam inter excelsa supereminet.*

Quòd filiæ Sion caput ornarent, constat ex Isai. cap. 3. & Iudith cap. 10. vbi est *mitra, discriminalia, vitta, & capillus proprius ex arte crispatus, & intortus, & alienus ad speciem adscitus.* Ad quem vsum impēso pretio Absalonis capilli à virginibus Solymitanis emebantur. Quòd verò sponsæ caput esset ornatum mitra, aut vittis, satis est nuptiali tempori cōsentaneum, maximè cùm sponsus auro conspicuū habeat caput, quod ideo aurum optimum esse dicitur infrà c. 5. Nam si sponsi caput aureis fulget insignibus, nemo id negabit sponsæ, cùm fœmineus sexus & amet hæc maximè, & tanquam sibi debita admittat oblata, & petat facilè, imò & extorqueat importunè. Et, vt desint alia capitis redimicula, coronæ certè erant è floribus, quæ pinnatum, & quasi turritum 35. Caput fœminarum quomodo ornetur.

Idem Ambros. putat lib. 1. Officiorum cap. 18. *Est*, inquit, *verecundia pudicitiæ comes, cuius societate castitas ipsa tutior est* Et c. 19. gratiores esse dicit, atque pulchriores vultus, quos suauis à pudore rubor perfundit. Hoc idem de virtutum custodia putat in hûc locum Nyssenus. Vtriusque, tam nitoris, quàm virtutum, præsertim castitatis custodiæ accõmodatum symbolum est cortex, seu fragmen mali punici. Nam & rubicundus est cortex, maximè in Palæstina, vt nuper ostendimus, & austeri cuiusdam saporis, propter quem auidum etiam palatum nonnihil à granorum suauitate retardat. Gratus quidem est granorum rubor, & petulantium insidiis opportunus; quare nisi amarum aliquid esset, atque asperum in illo, labefactari facilè posset puellarum constantia. Quare cecidisse plurimas legimus, dum videri pulchræ volunt, & vrbanæ, dum nolunt ab insidiatorib. pudicitiæ difficiles, aut rusticæ existimari. Cũ tamẽ illa rusticitas multo sit honestior, quàm illa, quæ procacibus ingeniis videtur vrbanitas. Sic sanè iudicabat quæ obiiciẽti rusticum, & illiberalem animum amatori respondit;

Aliquid in virgine austerum ad castitatis custodiã.

Rustica sim sanè, dum non oblita pudoris.

Oportet igitur, vt pulchritudini suę virgo pudorem associet, & amarum aliquid, & seuerum, si castitati consultum esse vult. Vt enim cupressi ligna à tinea nihil patiuntur incommodi, quia amarum aliquid habẽt, & acre, vt Vitruuius docet lib. 2. c. 19. & ideo procul à se vermiculos abigunt: sic virgo, si honesta in facie aliquid præ se ferat verecundum, & graue, longè à se molestos, & inuerecundos amatores arcebit.

Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis.

32. Histor.

DE hac turri vide 2. Reg. 15. & 1. Paralip. 11. vbi Dauid dicitur pulso Iebusęo occupasse arcem Siõ, eámque fecisse totius Regni caput: quare appellatur Ciuitas Dauid. Est ergo turris Dauid, vel ipsa arx Sion Iebusæis erepta, vel editior aliqua turris & elegantior, quam excitauit Dauid, dum per gyrum muniret ciuitatẽ illam suam à Mello, & intrinsecus, vt dicitur suprà. Huius turris videtur meminisse Esdras lib. 2. cap. 3. quam magnam, & eminentem vocat. Huic ergo assimilatur sponsæ collum; quia erectum, procerum, & eburneum; qualem esse turrim illam Regiam verisimile est. Sed quid turris propugnacula, quid clypei, & omnis armatura fortium ad decorem faciant, non facile explicatu est.

33. De propugnaculis quidem res dubia est. Hebr. תלפיות *Talpyoth*. Septuaginta retinuerunt nomen Hebraicum, fortasse rati nomen esse proprium. Quidam exponunt *doctrinam, & monumenta*; vt Rabbi Salomon, & Abenezra: vel quia erat in edito loco, & sicut Pharus nauigantibus portum; sic turris illa iter agentibus, vrbem illã ostendebat: siue, vt alij volunt, quia in ea collocabantur illorum monumenta qui aliquid egissent præclarè, vt dicit Philo de Legatione ad Caium. Et sanè ita fecit Dauid, qui gladium Goliath posuit in Tabernaculo; & Iudith Holophernis cọnopæum. Alij putant ideo dici doctrinam, quia turris illa egregio opere, & ar-

te mirifice constructa erat,atq; ideo alij ad præclara moliẽda illam tanquam formam, & exemplum intuebantur.Ita Rabbi Salomon, & Anonymus.Et sanè hæc explicatio ad moralem sensum accommodatissima est,quòd scilicet sponsæ collum construẽdæ arcis formam ostẽdat,& viam doceat, qua perueniẽdum sit in Ierusalem. Aquila vertit ἐπάλξεις.i. *cũ propugnaculis,pinnis*,seu *fastigus*.Symmachus ὕψη. i. *altitudines*, vt tradit Theodoretus, & tres Patres. Aquilam sequutus est Hieronymus.Sed quæ sint illa propugnacula, quo loco sita, ad imámne turrim affixa,an in summa excitata, quæ muniant, & ornent latera; an quæ summum instruant fastigium (vt sunt, quę pinnæ dicũtur,aut murorum minæ, ita vt aptè referãt speciosæ virginis decens collum) dubium est, neque mihi dum aliquid statutum est, aut certum quod sequar.

34. Collum fœminarum variè ornatum. Plurima esse, eáque admodùm varia colli fœminei ornamenta, satis notum est; ea verò esse torques aureos egregio opere baccatos suspicor; quia in Scriptura sacra ornamentum aliud non inuenio; torquis verò, & monilis, & murenularum frequens mentio fit.Inter profanos inuenio *perideraum*, & *peritrachelium* apud Pollucem; sed quid sint,non explicat: sonat tamẽ *quod collum ambit*.Apud Sextum Põpeium reperitur *patagium*; illud verò est, quod ad summam tunicam assui solet, quæ patagiata dicitur, cuius etiam meminit Tertullianus lib.de Pallio,& Apuleius lib.2. Metamorph. vbi Beroaldus dicit esse ornamentum assutum summæ camisiæ parti, rugatum, & crispum, quod Hispani apta quadam translatione, *lechuguillas* vocant.Quòd si patagio sponsæ collum ornatum est,non ineptè simile dicitur turri, cuius ad sedem adstructa sunt pinnata propugnacula. Nisi mauis coronas accipere, quas in collo gestare elegantes fœminas apud profanos legimus. Catullus lib.1.Eleg.7.

Illius è nitido stillent vnguenta capillo:
Et capite,& collo mollia serta gerat.

Et Ouid.6.Fast.

——Fusis per colla coronis
Ferte Deæ flores.——

Cui sententiæ videtur fauere Theodoretus, qui sic locum exponit. *Quemadmodùm turris à Dauid ædificata superat propugnacula, in quibus structa est*, &c. & Ambr. in Psal. 118. octon. 4. v. 1. *Condidit turrim illam Dauid,& super murorum ædificauit excelsa,vt subsidio pariter,& decori sit:subsidio, quia hostem prauidet, & expellit: decori, quia non solùm inter humilia,sed etiam inter excelsa supereminet.*

Quòd filiæ Sion caput ornarent, 35. Caput fœminarum quomodo ornetur.
constat ex Isai. cap.3.& Iudith cap. 10.vbi est *mitra,discrimnalia,vitta,& capillus proprius ex arte crispatus, & intortus, & alienus ad speciem adscitus.* Ad quem vsum impẽso pretio Absalonis capilli à virginibus Solymitanis emebantur. Quòd verò sponsæ caput esset ornatum mitra, aut vittis, satis est nuptiali tempori cõsentaneum, maximè cùm sponsus auro conspicuũ habeat caput,quod ideo aurum optimum esse dicitur infrà c.5.Nam si sponsi caput aureis fulget insignibus, nemo id negabit sponsæ, cùm fœmineus sexus & amet hæc maximè, & tanquam sibi debita admittat oblata, & petat facilè,imò & extorqueat importunè.Et,vt desint alia capitis redimicula,coronæ certè erant è floribus, quæ pinnatum, & quasi turritum

caput ostenderent. Hoc dicendi genere vtitur Nazianzenus cùm nimium fœminarum cultum reprehendit Epigrammate elegantissimo, cuius initiũ est, *μὴ κεφαλὰς πυργοῦτε.* i. *ne capita turrificate.* Et Iuuenalis Satyra 6. dicit fœminarum caput ædificari. Hęc mihi de Dauidicæ turris propugnaculis dicenda occurrunt; incertum est, quod amplectar, iñclinat magis animus in posteriorem sententiam, quæ summam turrim pinnis ornat, & munit.

Mille clypei pendent ex ea.

36. Dona, & artis instrumenta in templis suspẽduntur. SPonsæ collum monilibus esse instructum suprà vidimus; illa verò monilia, quæ vel collum ambiunt, vel ex eo dependent, optimè comparari clypeis, pharetris, & iaculis, quæ aptè disposita magnificè turrim exornãt, nemo, credo, dubitabit. Et certè ita penè omnes intelligũt qui dicunt fortes, vel iam emeritos arma sua suspẽdisse ex turri illa Sionide, vt extaret ibi aliquod virtutis bellicæ monumentum, quod commune fuit antiquis, vt artis suæ instrumenta suspenderenr in egregio aliquo, & illustri loco. De re bellica constat ex Horatij Veiano, & Virgiliano Entello. Hebręi sanè hostium spolia tanquam anathemata Deo consecrabant, quod & Dauid fecit cùm strato Goliath exrare voluit in Tabernaculo gladium, & Iudith Holophernis conopæum, tanquam diuini beneficij monumentum. Et forrasse, vt suprà vidimus, ideo turris hæc Regia ædificata dicitur cum doctrinis, & monumentis, quia ibi erant illustria quædam monumenta, & insignia robustorum.

Sed, vt hæc vera sint, non tamen video quo modo torquatum sponsæ collum, & insigne gemmis, illa robustorum arma, è turri dependẽtia significet, si inferioris arcis faciẽ tantùm exornant, quæ colli similitudinem nullam, aut certè non nisi exiguam habeant. Quare laborandum est, vt ostendamus exteriorem turris Dauidicæ faciem instructam esse mille clypeis, & omni fortium armatura. Et quidem ita videntur sentire Septuaginta qui vertũt; *Mille clypei pendent super eam.* Nam illud *super*, habitudinem dicit ad externã faciem; nam quod est super, extrà est, & nõ intrà. Est ergo notandum, arcium, & murorum Præfectos ad inferendum hostibus metum, solere clypeos, & pharetras, & reliqua tela, è turri dependentia, spectanda proponere. Quod docuit Rabbi Salomon, & indicat Greg. Nyss. in hunc locum, qui de externa turris specie accipit. Colligitur non obscurè ex Ezech. cap. 27. vbi cùm ageret de his, qui in Tyri præsidio sunt; *Persæ*, inquit, *& Lydij, & Lybies erant in exercitu tuo, viri bellatores tui, clypeum, & galeam suspenderunt in te pro ornatu tuo. Filij Aradij cum exercitu tuo erant super muros tuos in circuitu tuo, & Pigmei qui erant in turribus tuis, pharetras suas suspenderunt in muris tuis per gyrum.* Dicit autem Hieronymus id fecisse Tyriæ vrbis defensores ad terrendos hostes. Idem Glossa Interl. & Lyranus. Et ita audio fieri nostra etiam ætate, vt præsidiarij milites, qui pro mœnibus excubãt, arma sic ex arce suspendant, vt ab externo hoste videri possint. Idem etiam accidere in nauibus, vt arma religentur, & suspendantur in puppib. in parte externa docet Seruius ad illud Virg. 1. Æneid.

37. Ex muris ad exter nam faci arma de pendent

Ezech. c. 27.

Æneæ

Æneas scopulum interea conscendit, & omnem
Prospectum latè pelago petit, Anthea si quà
Iactatum vento videat, Phrygiásque biremes,
Aut Capin, aut celsis in puppibus arma Caici.

Neque sanè si intra puppim arma essent suspensa, è scopulo ab Ænea videri possent. Et idem indicat illud Æneid. lib. 10. quod in eam sententiam adducit Seruius,

Pacem orare manu, prætendere puppibus arma.

Cùm ergo aliarum Gentium more vrbs Ierusalem firma custodia teneretur, vt constat ex hoc Cantico, cap. 3. & 5. vbi vigilum, & custodum murorum mentio fit; & ex Isaia cap. 62. *Super muros tuos, Ierusalem posui custodes*; certum est, arcem ipsam Sion, quæ toti ciuitati ornamento futura erat, non caruisse his custodibus, fortibus scilicet, & strenuis; quorum armis ita exterior turris facies ornabatur, sicut ornari solet pulcherrimæ sponsæ eburneũ collum, monilibus gemmatis, latéque splendentibus.

38. *Sicut turris Dauid collum tuum.*] Si Ecclesiam hîc spectes, eius collum esse Doctores sentiunt S. Tho. Greg. Beda, Apponius, & alij. Rationes variæ in summa hæ sunt. Prima ex Greg. Quia sicut illa Dauidica turris in alto sita, inferiora despicere, sublimia contemplari videtur, & illa eadem eminùs hostes in vrbem bellicas fraudes molientes prospectat; sic optimi Doctores altiùs se à terrenis attollant necesse est, & excelsa in specula perpetuas pro Ecclesia agant excubias. Secunda ex S. Thom. & Beda. Quia sicut per collum cibus ad cætera membra delabitur; sic per diuini verbi dispensatores spiritualis esca ad cætera Ecclesiæ membra transmittitur. Hinc Christus Ioann. 6. postquam panes benedixit, dedit Discipulis, vt ipsi illos deinde in turbas distribuerent. Tertia item ex S. Thoma. Quia sicut collum cætera membra cum capite coniungit; sic Doctor, seu sacer concionator id agit, vt alia Ecclesiæ membra Christo suo capiti cõmittat; quod munus Paulus ad Ephes. 4. Apostolis, & Euangelistis tribuit, id est, Euangelij annunciatoribus. *Dedit*, inquit, *quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas; alios verò Euangelistas, &c. in ædificationem corporis Christi*. Et infrà: *Crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum*, &c. Quarta ratio assignari potest. Quia sicut collum caput sustinet, habétque supra se cum honestate, & reuerentia; sic Euangelicus Doctor Christum gestat in capite, pro quo nihil non subit; cætera vtpote longè inferiora contemnit, & periculis offert audacter, & libenter, dummodo saluum caput sit: quod de serpentibus naturalis tradit historia. Adde etiam quintam. Quia sicut attractus spiritus per collum ad interiora inspiratur; sic per Doctores spiritus vitæ qui à Deo est, ad alios transfunditur. Vnde hi dicuntur Psal. 70. *tanquam montes populus pacem suscipere, & tanquam colles iustitiam*; quæ ad subiectas valles inde deriuantur. Quare cùm aliquis ex hoc numero deficiet, quocumque id modo contigat, verè illud posset flendo populus vsurpare, quod de Iosia Thren. 4. lamentabatur Ieremias, *Spiritus oris nostri Christus captus est*.

[Marginal notes: Allegor. Doctor inferiora despicit. — Alios diuino alimẽto pascit. — Alios cum Christo, tãquam cum suo capite cõiungit. — Doctor Christum supra caput gestat. — Doctor populi quasi spiritus est.]

39. Hæc porrò Dauidica turris ædificata est cum propugnaculis, instru-

[Marginal note: Arma, Doctores Euangelici.]

cta mille clypeis, & omni armatura fortium. Quæ verò sint hæc arma, quæ propugnacula, coniectari non est difficile: illa nimirum, quæ Ecclesiam illustrant, & tuentur, doctrinæ puritas, prædicationis studium, vitæ exemplum, morum splēdor, & viua quædam forma virtutis. Denique armatura fortium, non delicatorum, & mollium; robustorum tela, id est, plena spiritus, atque ardoris verba, quæ terreant, non oblectent; feriant, non demulceāt, gemitus excitent, lacrymas excutiant, non inanes plausus, ac voluptates ineptas, & indecoras.

Facit ad hæc, quòd, vt suprà vidimus, pro *propugnaculis*, quidam verterunt, *monumenta*, alij, *doctrinas*, quæ planè ostendunt spiritualem hanc, & arcanam turrim ornatam esse debere multis rectè factorum signis, & virtutum monumentis, quæ aliis ad imitandum proposita sint, & præsidio contra hostilem vim, & nocturnas fraudes. Quòd si turris illa Dauidis ideo in sublimi fastigio Sionis edita est, vt peregrinis, ignarisque viæ vrbem Ierusalē eminùs ostendat, atque in eam sine errore, tutòque deducat, quod nōnulli senserunt, vt antè diximus, quis dubitet hoc maximè pertinere ad Doctores hosce, quorum vita Pharo similis est, & lucernæ super candelabrum; imò non solùm turri, sed etiam ciuitati supra montem positæ? Neque credo ab hoc loco Matt. c. 5. ablusisse Christum Matth. 5. cùm *lucem mundi, & ciuitatem supra montem positam*, scilicet Sionem, appellauit Apostolos, maximè cùm Septuaginta, quorum tunc versio vulgaris erat, & qua vsi sunt Apostoli, Hebraicam vocem תלפיות *Talpyoth* reliquerint, quæ, vt vidimus, *doctrinam*, & *monumenta* significat. Quòd si ad doctrinam turris illa à Dauide constructa creditur, vt alij certam aliquam formam haberent, & exemplar, ad quod illustre aliquod opus moliantur, nónne id Sacerdotibus, vitæque magistris conuenit, quos populus tanquam duces sequitur, tanquam magistros audit, tanquam virtutum quoddam exemplar intuetur?

Vir Apostolicus aliorum exēplar, & ciuitas supra mōtem.

40. Si *collum*, &, cui collum comparatur, *turrim*, ad animas singulares referas, ex superioribus constat sponsæ collum orationem esse. Ita Theodoretus, & tres Patres. Rationes verò eædem propè sunt, quę de Ecclesiæ collo nuper allatæ. In primis hæc speculatur longè; ideo in excelso Sionis fastigio sita est, quæ *speculam* sonat; collum erectū est, & sublime, sicut & turris. Et status hominis itidem erectus, & sursum spectans, qui natus ad speculandum sublimia, non vultu ad terram prono, atque depresso. Per collum spiritus trahitur ad interiora refrigeranda, atque animanda; præstat idem oratio, quæ ideo os aperit, vt attrahat spiritum. Turris illa instructa est militaribus machinis, vnde à fortibus arma ad arcendos, atque opprimendos hostes assiduè petuntur: at omnium Sanctorum scriptis traditum est, quantùm ad superandas difficultates, detegendas insidias, profligandósque hostes præsidij habeat oratio. Ex hac turri Esther contra Assueri potentiam, & Edictum; ex hac Iudith contra Assyriorum ducem Holophernem; ex hac innumeri alij; ex hac tandem Christus ad durum mortis certamen armatus processit. Hæc nobis stationem designat contra tentationem, & opportunum ad pugnandum locum. Hac muniti Machabæi numero pauci glorio

Orationis multiplex fructus.

gloriosas de innumeris hostium copiis victorias reportarunt, quam cùm non dicuntur præmisisse, grauem ab hostibus plagam accepêre, primùm lib.1.cap.6. ab Antiocho Eupatore; iterũ ibid.cap.8. vbi Iudas Machabæus extinctus fuit.

Duo vbera tua sicut duo hinnuli capræ, qui pascuntur in liliis.

41. Histor. ALienior quibusdam videtur hæc comparatio, cùm hœdi nulla ex parte, aut certè pertenui accedant ad vberum similitudinem; sed mihi videtur aptiori similitudine vberum sponsæ pulchritudinem, & qualitatem non posse exprimi. Quod vt planum fiat, necesse est reuocemus quod suprà de veste nuptiali dictum est; esse nimirum variam, versicolorem, liliis, aliísque floribus, seu textilibus, seu acu pictis eleganter distinctam, ita vt in ea videas vernantis agri viuam quandam formam. Quę ideo à Septuaginta καρπωτὸς appellatur. Sanè lilia, siue acu, Assyrio more picta in elegantiori ornatu, siue ex metallo ficta, ab Hebræis fœminis gestari solita, indicat Iudith, de qua dum se cultiùs ornaret, dicitur cap. 10. sumpsisse quoque lilia inter alia ornamenta, atque vestimenta iucunditatis.

Sponsæ vestis ornata liliis.

Hinc iam, credo, apparet quàm non incommodè ducta sit similitudo: nam si hœduli pascantur inter lilia, hæc cùm caule sint procero, & illorum altitudinem æquent, fit vt tantùm emineant capita, quę vt plurimùm hœduli gestant erecta: hæc verò cùm sint æqualia, quia æquales etiam hœdi, vtpote gemelli, vberum æqualitatem ostẽdunt. Sicut ergo duo hœdulorum capita extant à liliis; sic duo sponsæ vbera videntur extare; atque eminere ex illis liliis, & floribus, quibus extima vestis plumario opere magnificè excolitur. Nisi mauis, quod eodem pertinet, lilia esse quædam ornamenta, quæ sponsæ, aut elegãtes fœminæ gestant è collo, & ad vbera vsque demittũtur. Qualia videtur suscepisse Iudith, de qua nuper cap. 10. quæ dum se ad decipiendum Holophernem ornat, lilia sumpsisse dicitur. Et ea fortasse de causa Psal. 44. *pro liliis* inscribitur, quia splendor ille, qui est à liliis, nuptiali cultui erat familiaris. Hinc etiam constabit, quid sit postea cap. 6. *Venter sicut aceruus tritici vallatus liliis.*

Quòd si quis putet parum esse decorum, & contrà quàm nos omnino contendimus (nihil in his Canticis esse putamus quod ingenuos mores, castos, & pudicos dedeceat) nuda ostentare vbera, ita vt inter lilia conspici potuerint; huius ego cogitationi, credo, non audacter occurrerem, si iuxta ea, quæ diximus in Prolegomenis, dicerem, hîc *vbera* sumi pro aliquo vberum ornamẽto, siue integumento, quale est, quod à Latinis *mammillare* dicitur, quod tegit, & cohibet vbera, quod esse è corio, referréque vberum similitudinem ibi ostendimus. Vide omnino Prolegomenon octauum.

Esset quidem hæc neque futilis, neque infirma responsio: sed ne tãtùm mihi iuris assumere videar in hoc exponendi genere, quod, licèt antiquum sit, non tamen adeò recentioribus aut notum, aut vsurpatum; addam aliam magis quidem obuiam, quæ, quia, si leuiter rem spectes,

ſpectes, aliquid videtur habere minùs ex pudore, atque modeſtia ſpōſæ, paulo longiùs à nobis explicanda eſt. Et primùm obſeruandum, multa in aliquibus regionibus eſſe honeſtiſſima, quæ alibi abeſſe non poſſent à turpitudinis nota, aut ſuſpicione (vt de oſculis ſtatim in principio probauimus) multa olim fuiſſe ſupplicis, grati, atque ingenui animi ſigna, quæ nunc ſtuporis, atque inſaniæ homines arguerent. Quis non admiretur, & pluſquam ruſticum iudicet illum, qui ſi ad Regem ſupplex accedat, illius apprehenderet, atque mulceret barbam? At id feciſſe Thetim docet Homerus libro 1. Iliad. ex antiqua nimirum conſuetudine; quæ ſupplicatura Ioui, eius mentum dextra manu prehendit. Quod in vſu fuiſſe apud Græcos tradit Plinius lib. 11. cap. 45. Quid magis ab omni officio, atque pudore alienum, quàm in ſupplicibus precibus nobilis fœminæ, & in Regia dignitate poſitæ genas tangere? At id Vlyſſes fecit, cùm deprehenſus eſt ſimulato habitu à Troiana Regina, quod docuit Euripides in Hecuba; quam his verbis agentem cum Vlyſſe inducit: ἥψω τῆσδ᾽ γεραιᾶς προσπίτνων παρηΐδος, id eſt, *tetigiſti ſupplex hanc anilem genam*. Quod etiam cum Vlyſſe mutata iam fortuna eadem Hecuba feciſſet, niſi ille faciem auertiſſet; vt ibidem queritur Hecuba. Vide Alexandrum ab Alexandro, & cum eo Tiraquellum libro 2. capite 19. Sic etiam plura alia prioribus ſæculis fuerunt honeſta, atque probata, quæ modò poſterior ætas faſtidit, & damnat. Et de vberibus, aut nudis omnino, aut tenui, atque perſpicuo velo ita coopertis, vt parum abſint à nudis, res eſt magis explorata. De Lacænis honeſtiſſimis alioqui puellis notum eſt, veſtes habuiſſe ſubtiles, atque perſpicuas; à quibus etiam virgines Hebrææ ſimile veſtimenti genus acceperunt; quod *Laconicum pellucidum* vocatur; ſic enim vertunt Septuaginta illud Iſaiæ capite 3. *Palliola, & linteamina.*

Reg. Quæ aliis locis honeſta, aliis indecora, & contrà.

Ibi tradit Baſilius, Hebræas virgines more Laconico in ſuis deliciis pellucidas habuiſſe veſtes. Eiuſmodi aliquam habuiſſe veriſimile eſt, Hebræam virginem in nuptialibus ſacris, quæ vbera non ita velaret, vt omnino tegeret, & ſpōsā in hoc Epithalamio. Quod etſi quotidianum, & frequens reprehendi ſoleat, in nuptiarum tamen deliciis ſemel, aut iterum adhiberi pro gentium conſuetudine, non eſt mirandum. Tunc verò, cùm non ita velarentur vbera, vt à curioſis oculis notari non poſſent, rectè & nunc ab ſponſo, & capite 7. à puellis Solymitanis, & videri, & accommodata aliqua ſimilitudine explicari potuerunt. 43.

Quòd ſi dicamus nuda omnino fuiſſe ſponſæ vbera, nihil, credo, dicemus, quod antiquus pudor, & modeſtia horruerint; cùm neque modò aliquæ nationes horreant, in quibus ſeueræ ſunt pudoris, & modeſtiæ leges. In Hiſpania, vbi ſeueriſſima eſt diſciplina, pars illa, quę ad Pyrenęos, Celtaſq; pertinet, nihil in ea nuditate indecorum putat. Antiquis temporibus indecorum non fuiſſe ſatis indicat inter Barbaras gentes, quod de Amazonibus tradunt hiſtorici, quę ſiniſtram, quam vnam ſibi reliquerunt mammā, dextera exuſta, inter media etiam caſtrorū pericula nudā habent: quæ tamen non tam mulieribus deliciis, quàm militari ſtrepitu 44.

44. Vbera nudari alicubi non indecorum.

pitu delectantur; de quibus Curtius lib. 6. *Vestis non toti Amazonum corpori obducitur; nam læua pars ad pectus est nuda.* Idem Propertius libr. 3. Eleg. 3.

Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis
Turba.———

Et de Penthesilea Virgil. 1. Æneid. cùm esset in medio armorum æstu, ait:

Aurea subnectens exertæ cingula mammæ.

Et de Dianæ comitibus; quæ virginei erant pudoris amantissimæ, idē canit Callimachus in Hymno Dianæ; γυμνὸς ἀεὶ παρεφαίνετο μαζὸς, id est, *nuda super apparebat mamma.* Quod esse in Italia olim vsitatum indicat Virg. ex illorum credo sæculorum more in Camilla lib. 11. Æneid.

Nudum exerta latus.———

In qua puto expressam esse Italicarū virginum consuetudinem. Certè id docent antiqua marmora, in quibus sic expressæ sunt illustrium fœminarum imagines, vt vbera velata non sint; nisi nos fallunt, qui Romanorum imagines expressas ex ære, ac marmore, ad chartas transtulerunt. Quam suo etiam tempore viguisse docet Hieronymus in epist. ad Demetriadem de virginitate seruanda, dum illi eam commendat sociam, quæ procedens in publicum, non pectus, non collum denudat, nec pallio reuoluto ceruices aperit. Hæc ex humana eruditione adduxi, nequis miretur, si audiat, nuda esse vbera sponsæ in hoc sacro Epithalamio; quando olim, & nunc etiam in regionibus omni cultu, atque vrbanitate excultis visum fuerit neque indecorum, neque inurbanum.

45. An verò Hebræis virginibus id olim in vsu fuerit, nihil certū habeo; sed est satis verisimile, cùm aliis nationibus illud esset frequens, à quibus sicut peregrinam vestem acceperunt, vt indicat Sophonias cap. 1. sic etiam non est improbabilé, hanc etiam consuetudinem accepisse. Cur verò virgines præsertim nuda gestare vbera debuerint, ea ratio videtur; neque sanè leuis, quia, vt docet Hieronymus in illud Isai. c. 65. [*Lætamini cum Ierusalem.*] *Vbera*, inquit, *corruptarum fracta sunt, laxa, atque iacentia:* (cui assonat illud Ezech. c. 23. *Fracta sunt mammæ pubertatis earum.*) *vbera verò virginum integra, & virginali pudore stantia.* Quid ergo mirum, si cùm tanto esset in honore virginitas inter Hebræos in iis, quæ nondum nuptias inierunt, & ea violata capitali supplicio puniatur, si Hebrææ virgines illud seruati pudoris argumentum propositum habere voluerint aliorum oculis? Et fortasse ad illum vsum gestabāt fasciam pectoralem, quam ita amabant, vt ea in amoris eximij comparationem adducatur Ierem. c. 2. *Numquid obliuiscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ?* Certè eum vsum videtur habuisse apud Romanas virgines, quæ apud ipsos etiam dicitur *fascia pectoralis*; nempe vt mammas ea quantitate, ac forma apparere faciat, qualis in virginibus spectari, & commendari solet. De qua Martialis lib. 14. Epigram. 134. cuius titulus est *Fascia pectoralis.* Quæ verba malo ab ipso Martiali audias, quàm à me. Quod etiam videtur significasse spōsa cap. 8. dum dicit vbera sibi esse sicut turrim, nempe, non subacta, aut languētia, sicut earum, quæ aliorum libidini succubuerunt; sed stantia, ac dura, quæ nullis blandimentis mollescere, nullis machinis subigi, ac frangi possint. Longior fui, quā vellem in hac de vberibus cogitatione, cuius rei, opinor, à pio, & casto lecto-

re veniã obtinebo; qui si minùs diligentiam, certè voluntatem meam non improbabit, quæ id agit, vt ab hoc purissimo Epithalamio omnem speciẽ turpitudinis remoueat. Quòd si hæc postrema minùs placebunt, quod non puto, certè quæ priori loco dicta sunt à me in Prolegomeno 8. minùs habent, quod respuant castæ, atque pudentes aures.

46. Allegor. *Duo vbera tua sicut duo hinnuli capre.*] Quia id proprium est vberum, vt alios suauissimo alimento sustentent, quærendum nobis est aliquid, à quo sumatur cibi candor, atque suauitas, & cuius apta similitudo sit in vberibus. Quidam hîc Scripturã adumbrari putant, id est, duo testamẽta, ex quibus salutare lac perenni suctu trahitur. Alij parum diuersè tabulas legis, in quibus est R. Salomõ. Non longè abeunt Nyssen. & Theodoretus, quorum ille doctrinam, hic doctrinæ fontes in vberibus vident. Carpathius verò geminã charitatẽ. Aptè quidẽ omnes: vnde enim cõmodiùs Ecclesia, vel etiam anima adulta iam, & alendis fœtibus robusta doctrinã aliis immulgeat, quàm è sacris literis, quæ perpetuò scatent lacteo quodam, ac diuino nectare? Eloquia enim Dei purgatis faucibus, ac puro stomacho dulcia sunt, & supra mel, & fauum. Hæc vbera quotidie premit Ecclesia, monétque paruulos, vt lac concupiscant.

Scriptura Ecclesiæ vbera.

47. Doctores Ecclesiæ vbera. Veruntamen recepta magis est illorum sententia, qui dum in spõsa Ecclesiæ imaginẽ aspiciunt, per *vbera* illius Doctores designari putant. Ita Greg. S. Tho. Beda. Neque longè abludunt Doctores Hebræi, qui Ecclesiæ Israëliticæ Moysem, & Aaron nõ aliter, atque duo vbera affingũt: nã sicut mater, quod habet à natura pro filiis alimentũ, per vbera, tanquã per naturales quosdã ductus transmittit; sic Ecclesia per Doctores suos, atq; magistros, lac, quod habet cœlestis doctrinæ, filiis impertit.

Hi verò cõparantur caprarũ hinnulis, quia (vt dicit S. Tho. & Beda) acumen habere in contemplando, & in agendo celeritatẽ debent, etiamsi currendũ sit per montem Bether, id est, per asperas, & salebrosas vias. Vel certè cùm sponsus Christus cõparatus fuerit suprà cũ caprea, huius capreæ filij sint Doctores oportet, si dignè fungi suo munere velint. Neque est aliud pasci inter lilia, quàm versari inter exẽpla Christi, i. eius vestigiis niti, ex quibus erumpunt lilia multo veriùs, quàm ex illo, de quo stultè, atque assentatoriè Persius;

— quidquid calcauerit hic, rosa fiat.

Exẽplar habemus Doctoris optimi, atque Euangelicæ nutricis in Paulo, quẽ magno suo merito Christi pectus, & Ecclesiæ mammillã appelles; qui infirmæ priùs, atq; primæuæ, deinde magis adultę, atq; robustę proli lac Euãgelicũ immulsit; illi quidẽ, & pręsens verbo, & absens per Epistolas, huic verò Epistolarũ ministerio, quas quotidie fidelibus proponit Ecclesia. Sanè Ambr. Serm. 68. Paulum nutritorẽ Ecclesiæ vocat, & eius Epistolas Ecclesiæ vbera. Cùm enim dixisset, ex percusso Pauli collo pro sanguine fluxisse lac (quod etiã tradit Chrys. Hom. 5. orat. in Princip. Apostolorum) addit. *Quid enim mirũ si abundat lacte nutritor Ecclesia?* Et paulo pòst: *Quæ Epistolæ tanquam vbera Ecclesiarum populos enutriunt ad salutem.* Voluit autẽ Deus, vt opinor, illo niuei lactis affluxu ostendere, quã abundarẽt lacte illa Euangelicæ nutricis vbera, quę etiã moriẽte Paulo vim maximã effudêre infantilis alimẽti. Cùm enim nutritor ille maximus nõ tã sibi, quàm alẽdis Ecclesiæ filiis natus videretur, cibus omnis

48. Paulus Christi mammilla, & Ecclesiæ nutritor.

nis in Paulo, non tam in sanguinem, qui ipsius futurus esset alimentum, quàm in lac, quod ad aliorum cibũ, & incrementum pertinet, conuersus videbatur. Vt enim cibus omnis lactescit in vberibus, quia lac, & vbera pro aliorũ victu, vitáque data sunt à natura; sic quidquid in Paulo fœcũdum, atque dulce est, id ad aliorũ vsum totum videtur esse concessum. Quod quidẽ à nemine meliùs, quàm ab ipso didicimus 2. Cor. 1. *Benedictus Deus, &c. qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, vt possimus & ipsi consolari eos, qui in omni pressura sunt, per exhortationem, qua exhortamur & ipsi à Deo.* Et paulo pòst: *Siue autẽ tribulamur pro vestra exhortatione, & salute; siue consolamur pro vestra consolatione, & salute.* Ecce quomodo Euangelica nutrix in lac alimentũ omne conuertit; qui etiam inter lilia pascitur, id est, inter exempla Christi assiduè versatur, cùm nescire se aliquid neget, nisi Christum, & hunc crucifixum; & liliorum halitum aspiret, cùm Christi bonus odor sit.

49. Si verò hîc quis animã intelligat per *vbera*, geminam etiam charitatẽ cũ Carpathio cõmodè licebit agnoscere; per quam totam se anima, atque omnino libens effundit. Hanc verò aptissimè captæ gemelli fœtus exprimunt: quia & acutè vident, & currunt celeriter; & hi assidui sunt in liliorũ pabulis, vnde habẽt, vt suaue aliquid, & diuinum aspirẽt, & distẽta sint vbera eo lacte, quod ad salutẽ aptum, & ad robur efficax futurum est. Porrò huic spõsæ talia affinguntur vbera, quia iam in amore sponsi progressa fuerat, & ideo alias adolescentulas paulò antè ad spectandum sponsum diademate coronatũ inuitarat: vsu etenim euenire solet in spirituali, & mystico cõceptu, & partu id, quod in naturali quotidiana docet experientia. Est autem natura cõparatum, vt cùm primùm animal ad illud ætatis robur accesserit, vt procreare iam sibi similẽ possit, pulsum habeat à natura adeò vehementẽ, vt ægrè admodùm à se ipso impetret, quominus in illud præceps feratur: cùm autem nuptiis matura est, & habilis ætas, intumescũt vbera, & partui proxima implentur lacte, quod expressum aliis nutrimento futurũ est. Sic nimirũ anima in amore paulo robustior, & gignere cupit sponso similem prolẽ, & alere suis etiã visceribus. Quod contigit Paulo, cùm dixit ad Galat. 4. *Filioli mei, quos iterũ parturio, donec formetur Christus in vobis.* Optimè ergo anima, quæ tanto nupsit spõso, imò quæ iam ab eo cõcepit, vbera habere dicitur iã tumẽtia, iam premenda, quæ à liliis succũ, & odorẽ traxêre, & quæ à liliorum pabulo nunquam discedunt.

Qui amore Dei inflammãtur, alios etiam inflammare student.

Animæ ũ zelus.

Donec aspiret dies.

QVid sit *aspirare diem, & vmbrã inclinari*, alibi iam dictum. Dicuntur verò ad illud vsque tempus pasci, quia sub Hesperũ à pabulo, vel domum, vel ad caulas reuocantur. Virgil. 50.

Historia.

Ite domum saturæ, venit Hesperus, ite capellæ.

Quidam hæc verba coniungunt cũ sequentibus, ita vt sponsus dicat, tãdiu velle se in monte cõmorari myrrhæ, donec nox appetat: quasi ibi rustici operis aliquid sit, cuius oblitus est, dum sponsæ deliciis seruit, & suo etiam amori plus satis indulget. Sed deinde se ipsum rusticitatis incusat, cùm sponsa quæ tota est pulchra, neque vllam habet, vel leuissimam maculam, omnem prorsus animum, atque studium ad se trahere

debuerit. Sed communiter omnes superioribus adiungunt; neque enim apparet, quid sponsus facturus fuerit in monte myrrhæ, cùm iam satis myrrhæ, & aliorum aromatum messuerit, vt ipse dicit infrà cap.5. Et sanè si simulet se velle discedere, vt sui desiderium magis in sponsa augeat, & inflammet, non subdit, quod consentaneum erat rei amatoriæ, vt illum sponsa retineat, vel discessum prosequatur aut votis, aut lacrymis. Quare sicut suprà agni dicuntur pasci donec aspiret dies; sic etiam nunc hœdi vsque ad illud tempus. Neque sine causa tempus illud advesperascentis diei proponitur, quia eo tempore depositura est Sulamitis vestē illam floridam, & liliatam, propter quam eius vbera duobus gemellis capræ dicuntur similia.

51. Allegor. *Donec aspiret dies.*] Ecclesiæ vbera, id est, Doctores inter lilia pascūtur, quia Scripturæ lacte, & meditatione pectus complēt. Greg. & Carpathius lilia hîc vitæ puritatis, candoris morum, & innocentiæ typum esse putant. In vtroque versando, & excolendo se pascunt, & oblectant, & longam viuendi moram in Deum intenti vtcumque sustentant, donec inclinatis iam vmbris, & orta post mortem noua luce, Deo fruantur, qui verè lilium conuallium est; illis enim, qui mundo sunt corde, videndi Deum facultas promittitur; iis verò, qui animo sunt impuro, neque oritur cœleste lumen; neque si orietur, illius cernendi potestatem habent. Ex his collige, ad mortem vsque illis, quibus Ecclesiæ vberum nomen, & munus datum est, laborandum esse, vt & se ipsos puris moribus, & alios excolant cœlesti doctrina. Si verò de singularis animæ vberibus agas, per eáq; (vt diximus) geminā charitatem intelligas, iisdé omnino pascuis implentur illa vbera. Vide Bernardū Serm. 10. in Cant. vbi docet talia vbera in oratione repleri, & familiari cum Deo consuetudine.

Doctores quibus rebus vacare debeant.

Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. Veni de Libano.

Q Vidam existimāt, hæc esse verba sponsæ, quæ quo est virginali pudore, atque modestia, ægrè fert laudari se adeò effusè. Ait ergo velle se inde in montem abire, ne corām de se tam magnificè audiat. Sed non est discedendum à communi scriptorum sententia, qui hæc sponso tribuunt, sicut quæ proximè antecedunt, & consequuntur. Quòd si adhuc sponsi verba sunt ista, locus est satis impeditus, quémque expedire non leuis sit operæ. 52. Histor.

Cùm variæ sint Interpretum sententiæ, vt in re obscura necesse est, & præter illas mihi occurrerent aliæ, quæ neque ab instituto, filóque sermonis videbantur alienæ; ex omnibus tamen eam elegi, quæ illi articulo, in quo tunc erat nuptialis cursus, consentanea magis videbatur. Erāt autē iam cōiuges in ferculo Salomonis compositi; iamiam inchoandus, aut nuper inchoatus ab hortis genialis pompæ in vrbem progressus, & in domum sponsi. Aptè ergo euocat sponsus dilectam suam in vrbē ad extremā Epithalamij scenam, de qua c.8. postquam in syluis, i. in domo vulgi, vel in domo saltus Libani geniali voluptati, ac ludo satis, & studij, & otij datū est, quia iam sponsa tota est pulchra, & ad illū in vrbem triumphalem ingressum satis ornata. Vnde dicit; *Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te.* Quare

Ierusalem mōs myrrhæ, & collis thuris. Quare dicit iturum se ad montem myrrhæ, & collem thuris, qui idem est per epexegesim, per quem intelligo vrbem Ierusalem: est enim elegans allusio ad montem Moria; eadem enim vox modico flexu, & mōtem myrrhæ significat, & montem Moria, vbi Abraham sacrificare voluit Isaac, qui & *mons visionis* dicitur, vbi postea ædificatum est Templum, vt constat ex 2. Paralip. c. 3. Qui locus mons etiam thuris dici potest, quia omnia aromata ibi cremantur. Certè Templum *Libanus* appellatur, vt docuit Hieronymus in cap. 3. & cap. 5. Isaiæ, quia Libani gloria ad Templum est translata; vel quia inde comportata materia ad Templi fabricam; vel quia quod in Libano odoriferum nascitur, assiduè crematur in Templo. Et sanè Libanus *thus* etiam significat. Quare Templum, quod Libanus dicitur, iuxta illud Zachar. 11. *Aperi Libane portas tuas*; thus etiam, aut mons thuris dici posset. Dum ergo sponsa vocatur ex Libano, & Hermon, patrio scilicet, & naturali solo, vbi thuris copiosus prouentus est, & myrrhæ, abire iubetur ad aliū montem, qui, quoniam in eo Libani fructus magna ex parte consumitur, Libanus dicitur. Ac si dicat spōsus; Mitte iam tuum Libanū montem, scilicet thuris, & myrrhæ; & veni ad meum Libanum, qui & meliori titulo mons thuris, & myrrhæ dici potest, & habet præterea, quòd in eo non sunt pardorū cubilia, neque leonum. Hanc sententiam indicat Athanasius in Synopsi, qui ex Libano, & Hermō, qui sunt extra regionem, quam Israëlitæ habitāt, colligit, sponsam hanc esse Gentilem; sicut etiam Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 11. Seruat autem hic allegoriam, quando ciuitatem nobilissimam montium nominibus adumbrat, quia non recedit à re Bucolica, & pastoritia, sicut Virgil. Eclog. 1. per *Amaryllida*, Romam, & per *Galatheam*, Mantuam intelligit.

Ierusalem Libanus.

Vt verò sponsa hæc ruri educata agrestes illas delicias è patrio solo contemnat, id est, vt obliuiscatur populum suum, & domum patris sui, obiicit parum ibi tutò habitari posse, vbi ferarum lustra sunt, & leonū cubilia, quæ fœmineo sexui, in ætate maximè puellari odiosa sunt, & horribilia. Videtur autem allusum ad illud Psalm. 67. *Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus, mons pinguis. Vt quid suspicamini montes coagulatos?* Id est, mons ille, quem Dominus inhabitat, mōs vber est, & aromatifer, alij inculti, pleni timoris; vbi quod ames, nihil est, quod timeas, multùm. Et quod in illo Psalmo dicitur de monte Sinai, id etiā nunc dicitur de Ierusalē. Vt enim ibi olim pactū coniugium inter Deum, & hominem; sic etiam nunc in Ierusalem mysticū hoc cōnubium celebratur. Quam ob caussam mons Sinai coniunctus esse dicitur cum ea, quæ nunc est Ierusalē, ad Galat. 4. Cùm verò loco, ac situ mons ille à Ierusalem longè recesserit, vtpote in Arabia, coniunctus tamen esse dicitur mysterij affinitate, quia in vtróque loco spiritualia cōnubia cōtracta sunt, quæ duo testamenta dicuntur ab Apostolo, id est, duo pacta. Quod vox Græca satis ostēdit: συστοιχεῖν enim valet, aut *habere eundem ordinem*, aut *eodem ordine locari*. Vt autē præ Sinai monte vberi, & coagulato cæteri steriles sunt, & horridi sic prę mōte Moria mōtes Libanus, Sanir, & Amana, alioqui vberes, & pulchri, steriles sunt, atque deformes. 53.

Psal. 67.

Ad Gal. 4.

Qui autem sint hi montes, obscurum est. De Libano res est magis nota; constat enim esse altissimum, 54.

Libanus mons.

atque amœnissimum omnium, quos habet Syria; qui terram promissionis à Septentrione distinguit, quique propter amœnitatem, & pulchritudinem in rerũ pulcherrimarum comparationem adduci solet. Isaiæ 33. *Gloria Libani data est ei*; & infrà c. 5. *Species eius, vt Libanus*. Sũpsit nomen siue à candore, quia in summa etiã æstate niuibus tegitur, vt docet Hieronymus in illud Ierem. 18 *Nũquid deficiet de petra agri nix Libani?* De locis Hebraicis, in voce *Hermon*, æstiuas niues propter delicias inde Tyrum deferri tradit; siue à thure, cuius in eo monte maximus prouẽtus. Thus verò tã apud Hebræos, quàm apud Græcos *Libanus* vocatur.

55. Hermon mons trinominis. De Hermon, Sanir, & Amana res est obscurior. Et quidem quod attinet ad Hermon; duos fuisse montes eiusdem nominis Hieronymus indicat in Epitaphiis Paulæ: & videntur distingui 1. Paral. c. 5. & Ps. 41. Psal. 41. *Memor ero tui de terra Iordanis, & Hermonim* (sic enim legitur in Bibliis correctis à Sixto) *à monte modico*, id est, ab eo monte, qui ex Hermonim, id est, ex duobus Hermonibus, minor est. Hermon, de quo hîc sermo est, pars est Libani, qui etiam dicitur Sanir. Deut. 3. *Tulimus terram trans Iordanem, &c. à torrente Arnon, vsque ad montẽ Hermõ, quẽ Sidonij Sariõ vocant, & Amorrhæi Sanir*. Sanir mons. Qui mons etiam dicitur Sion, vel Seon. Deut. 4. *Vsque ad montem Sion, qui est Hermon*. Neque hunc puta esse Sion, in quo est Ierusalem; nam hic ציון dicitur; ille verò שיאון; dicitur etiam Thrachon à Strabone, vnde Thachonitis Regio.

56. Sed videtur obstare, quia 1. Paralip. c. 5. Sanir ponitur distinctus ab Hermon. *Filij quoque dimidiæ tribus Manasse possederunt terram à finibus Basan, vsque Baal Hermon, & Sanir, & montem Hermon*. Respondeo, fieri potuisse, vt tempore Og Regis Basan mons idem πολυώνυμος fuerit, id est, habuerit multa nomina; progressu verò temporis mons ipse in diuersas partes propter hominum commoditatem distractus, ipsa quoque nomina distraxerit; ita vt altera pars dicatur Hermon, altera Sanir. Regula. Mõtes, & flumina in variis locis variis appellantur nominibus. Sicut multæ res, antè binomines, postea alteri parti alterum nomen seorsim accommodant, vt Tagus, qui ab Hispanis *Taio* dicitur, & *Teio*, distractis in partes diuersas nominibus, *Taio* dicitur pars, quæ orientem Solem, *Teio*, quæ occidentẽ spectat. Sic etiam binominis fluuius Ister, qui etiam Danubius dicitur, vt tradit Plinius lib. 4. cap. 12. Danubius vsque ad Illyricum, inde ad Ostium Ister appellatur. Et ex eodem Plinio lib. 7. cap. 24. Tygris, quà tardior fluit, Diglito, quà concitatior, Tygris vocatur. Et Euphrates ex eodem Plinio, proximus suo capiti Pyxiratus, deinde per Taurum erumpens, Omira nominatur: & fluuius, qui ad Cælenas vsque Marsias, idem ab eo loco egressus Lycus dicitur. Ita Quintus Curtius lib. 3. in principio. Tempore autem Salomonis iam Sanir distinguebatur ab Hermon, sicut & Baal Hermon, & mõs Hermon, quæ 1. Paralip. 5. ab Hermon diuersa numerantur. Quòd autem Hermon, de quo hîc est sermo, sit ille, qui est in Libano, ex eo constat, quia, qui hîc dicitur Hermõ, est etiam Sanir. At Sanir in Libano est; nam & inde sumptæ sunt abietes, & finitimus dicitur esse Tyro. Ezechiel c. 27. cum Tyro loquens: *Finitimi tui, qui te ædificauerunt, impleuerunt decorem tuum abietibus de Sanir, extruxerunt te*. Septuaginta reddiderũt, *cedris*. Quod

etiam

etiã admittit Hieronymus in hunc locum.

57. Amana quid. Quid sit Amana; incertum, quia tantùm reperitur hoc loco. Suspicor esse montem in Libano prope Hermon: nam quod quidam existimant, Amanum esse, qui Syriam à Cilicia dirimit, non est verisimile, cùm Amanus longè absit à Sanir, & Hermon. Septuaginta vertunt, *à principio fidei*. Et sanè si hoc admittimus (quod sine vulgatæ offensione admitti potest, in qua sæpe vox Hebraica relinquitur, sicut etiã nõ rarò pro Hebraico nomine proprio, eius adhibetur significatio) colligitur vbi nata, atque educata sponsa fuerit, nempe in syluis, & in his maximè, vbi ferarũ lustra sunt; neque quicquam periculo vacuũ. Quod verò sponsa hæc peregrina fingatur, & alienigena, suprà in Prolegomenis probatum est. A principio ergo fidei coniugalis sponsam vocat, quia ibi primùm excitatus animus ad amandum, ibi prima cõiugalis amoris incunabula; ibi promissa familiæ, thalamíque societas. Neque videtur absimile illud Maro.

——paruam te roscida mella
——vidi cum matre legentem.
Vt vidi, vt perij.——

Et Theocritus Idyl. 11. optimè idem explicat; & quod statim sequitur, se percussum esse amore, ab vtroque etiam subiungitur.

58. Hortatur ergo sponsus peregrinam, & rusticam puellam, iam sibi desponsatam, vt sensit Theodoretus, & tres apud ipsum Patres, vt paterna domo derelicta secum veniat. Porrò pro, *veni*, Hebraicè est אתי *Iti*, id est, *mecum*. Ac si dicat: mecum de Libano sponsa mea, mecũ de Libano. Quod nostram quoque sententiam magis confirmat: dixerat enim sponsus iturum se ad mõtem myrrhę; nunc hortatur spõsam, vt de Libano secũ veniat ad montẽ, nempe myrrhæ, & ad collẽ thuris, quò ipse properabat. Porrò Septuaginta vertunt; *Venies, & transibis à principio fidei*. Et ita variis locis legit Ambrosius. vbi pulchet sese ostendit spiritualis sensus. Videtur enim admonere sponsus, vt sicut ipse venit transiliens colles, sic ipsa transiliat suum Hermon, & Sanir; neque terreatur, quòd mediam viam occupent leones, & pardi, &c. quia ipse aderit, & ideo dicit, *mecum de Libano*, &c. Et certè ei, qui de paterna domo relinquenda cogitationem suscepit, occurrunt leones, id est, varij metus; sed hi nõ morantur acres, & audaces animos; sed languidos, ac fœmineos, eos scilicet, qui rei paulo durioris obiectu æstuant, & dicunt; *Leo est in via, & leæna in itineribus*. Qui ad nuptias aspirat tanti sponsi, strenuo sit animo oportet, & his humanis longè superiori. Deo vocante, & comite nihil timendum.

Veni, coronaberis.

59. Histor. HEbraicè תשורי *Tasuri*, quòd deduci potest vel ab אשר *Asar*, vt deducunt omnes penè Doctores Hebræorũ; quod inter alia etiam significat, *intueri*, hoc sensu: Veni de Libano, & aspicies de vertice Sanir, & capite Amana, pinguissimã, atque optimã terram Israël. Sed Hieronymus deduxit à שור *Sur*, quod *dominari* significat, aut *principem esse*. Erit ergo sensus; Veni de syluis horridis, & incultis, vbi ferarũ more, & inter feras vitam agebas horridam; vt accipias coronã, non quæ citò marcescit, è floribus, sed ex auro, qualis principem fœminam, & Reginam decet. Dictum verò iam est, sponsam in Epithalamiis solere Reginã vocari. Vnde etiam aliquod argumentum

tum sumitur ad probandam posteriorem sententiam, quæ sponsam ideo euocari dicit è Libano, vt in Ierusalem quasi Regina coronetur.

60. Allegor. *Vadam ad montem myrrhæ.*] Variè hic locus à nobis expositus est; sequar expositionem vltimam, quæ mihi magis probata est, iuxta quam ostenditur locus, ad quem ex agro sponsa traducitur. Cùm verò Ierusalem quam in monte myrrhæ, & thuris colle cognoscebamus, cœlestis patriæ quædam imago sit, in illam domum sponsam vocat, quam iam nuptiali ornatu sic excoluerat, vt ad sponsæ maiestatem, & gloriã nihil esset reliquum: quare commodè subditur; *Tota pulchra es, amica mea*, &c. Ac si dicat: expleui, quod promisi, iam candida facta es; pennas habes columbæ deargentatæ; in pallore aurei reclinatorij habes reclinata posteriora dorsi. Illud iam superest, vt mecum de tuo Libano, ac Hermon in mõtem myrrhæ promouearis.

Ierusalẽ, religiosus, sacratusq; Deo locus. Porrò cùm Ierusalem *religionem* sonet, & *sanctitatem*, quia ibi Sacerdotes, & Templum, ibi sacrificia, & aræ; sumi etiam potest mons myrrhæ, & collis thuris pro eo loco, in quo sanctitatis, & religionis habetur præcipua, atque perpetua ratio; ad quam à rustico, & inutili studio, id est, à terrenorum cura, quæ futura est sponsa, noua illa status mutatione traducitur. Et secundam hanc sententiam eo libentiùs amplector, quia cap. 8. aliqua nobis necessariò dicenda sunt, quæ cum traductione sponsæ in cœlum congruere non possunt; vt de zelotypia sponsi, de connubialibus præceptis, quibus sponsæ fidei, atque constantiæ cauetur. Quæ omnia in cœlo, vbi nihil est ab adulterio, aut à leuitate periculi, necessaria non sunt. Anima ergo, quæ futura est Regij thalami consors, statuat apud se hoc primùm, nunquam esse recedendum à mõte myrrhæ, viuendum in sponsi conspectu, capiendum ex aris victimarum odorem, curandũ ne quid vestimenta oleant, præter myrrham, & thus, id est, vt per orationem se, & mortificationem tanquam in altari thymiamatis, & holocaustorum totam impendat.

Veni de Libano.] Non patitur diuinus sponsus illam, quam tori sociam habere vult, morari in syluestribus ac confragosis locis, vbi leonum sunt, & pardorum cubilia, atque adeò nulla pars tuta à periculo est. Pro *veni*, Heb. esse, *mecum*, dictũ est, ex quo liquet quanta sit locorũ, sociorúmque dissimilitudo: versabatur antea sponsa in Libano, & Hermon, locis quidem incultis, vastis, ac situ horridis, agebat inter feras, vnde ipsa ferino propè victu, ac cultu vitam propagabat suam: inde euocatur in vrbem illam, quę religionis, ac pietatis sedes est. Sanè extra montẽ myrrhæ nihil est metu vacuum, quia passim obuia miserorum strages: socium iam habet leonum, pardorúmque loco humanissimum sponsum, à quo molli, ac dulci fouetur amplexu: neque est, quòd eo præsente cuiusquam vim, aut insidias metuat. Felix ista conditio proponitur illi animæ, quæ nuptias ambit cœlestis sponsi, modò statuat superiorem vitam syluestrem, ac sordidam deserere, natas secum, aut eodem loco feras contemnere. Vocatur ad Ierusalẽ terrestrem illam quidẽ, id est, ad locũ studiúmque, in quo sãctitas & quęritur, & colitur; sed quę expedita postea via ad cœlestem transmittit. 61. Allegor. Sæculi periculũ, & religionis securitas.

Sed

Sed à quo, Deus bene, loco? nempe ab eo, in quo ad inferos infiniti pene, atque vasti hiatus, in quos assiduè cogunt toto illo syluestri tractu horribiles leonum, atque pardorum fremitus.

62. Quia verò Religiosæ familiæ multum habent affinitatis cum Ierusalem, quia myrrha abundant, & thure, quia ibi frequentes victimæ, & iuge sacrificium, & mundus Libano, & Hermon, &c. quàm simillimus est, quia in eo & frequentes salebræ, & ferarum lustra; cùm Deus aliquem è mundo vocat in Religionem, è Libano planè vocat in Ierusalem. Ter autem ingeminat illud, *veni*, quia tria vota Religiosum verum à mundo vendicant. Sæcularia verò omnia & sordida sunt, qualia ferarum cubilia, & periculosa. Quis enim tutò inter feras habitet, atque in medio nationis prauæ? Illis verò qui ab huius Libani, id est, à sæculi periculis ad Religionis claustra euolare cõtendũt, occurrunt leones, & pardi, id est, impedimenta, & metus, quæ aut vera sunt, aut ea sibi fingit animi mollities, illud secum tacitè reputans; *Leo est in via, & leæna in itineribus*. Prouerb. 26. Ideo sponsus dicit, *Mecum de Libano*, quia Christo nostri consilij auspice, & comite, nihil est, quod periculi, aut moræ quid possit afferre: *nam, si ambulauero*, inquit Dauid Psal. 22. *in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quia tu mecum es*. Dum verò vocat è Libano, iubet, vt obliuiscatur populum suum, & domum patris sui; quia aliter non concupiscet Rex, id est, sponsus, speciem eius.

Tria Religionis vota.

Hìc etiam ex Interpretibus multi, dũ B. Virginem totam esse pulchrã audiunt, ac sine vlla macula, primam ab illa originalis culpæ labem remouent; ita Bellarminus to. 3. lib. 4. c. 15. & Idiota in contemplatione Virginis c. 2. *Tota pulchra es, virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto, & macula peccati, siue mortalis, siue venialis non est in te*. Vt enim Virgo in ipso conceptionis articulo sponsa fuit Dei, sic à Deo sponso in eodem articulo tota pulchra, & sine macula vocari potuit. Quorum ego cogitationi addo, sponsam, cùm tota dicitur pulchra, vocari de Libano, qui mons est, à quo incipit Dei funiculus, & hæreditas, quíque licèt occupatus, & possessus à Gentibus, pertinebat tamen ad Israëlis sortem. Quare non ab aliena possessione vocat sponsus, sed à sua, ad arctiorem nempe complexum, sacrásque connubij mystici delicias. De Libano vocatur, quia in Libano concepta, in Libano nata, neque vnquam in aliena regione pedem posuit, aut Cananæo, id est, alieno dominò seruiuit. Accedit, quòd Libanus *candidum* significat: candor autem puritatis symbolum est, atque mũditiæ. A Libano igitur vocatur, id est, à loco candenti, & puro, non à Selmon monte vmbroso, & nigro; ex quo præter vnã Mariam vocantur reliqui. Erat autem Libano candor à niue adeò familiaris, atque perpetuus, vt Prouerbiali specie, quod perpetuum fore significabatur, cum Libani candore conferretur. Ierem. cap. 18. v. 14. *Nunquid deficiet de petra agri nix Libani?* Sic B. Virgini candor, & puritas perpetua, & pene naturalis fuit; quia non illi priùs natura data rationalis, quàm candor, & puritas.

Adde his, quòd etiam ibi explicationis, vt reor, gratiâ, de Sanir euocatur, de Hermõ, & Amana, *de cubilibus* nempe *leonum, de montibus*

pardorum. vbi mirificè exprimitur in præſeruanda Virgine diuina prouidentia. Vt enim in montium latebris occultātur leones, pardi, ſerpentes, & ſi quid aliud aut peſtiferos habet morſus, aut peſtilentem halitum: quæ belluarum antra in ſcopulorum vertice non ſunt, ſed in deſcenſu, & latere, aut ad radices imas. Quare qui à vertice, ſummóque faſtigio vocaretur, non putaretur aut à ſerpente infectus, aut à leone ſaucius. Sic B. Virgo à vertice vocatur Sanir, id eſt, ab ea parte, quæ nō eſt à leonibus, ſeu pardis habitata, antequam ad illorum cubicula deſcenderet, & ab eo faſtigio, quod propter altitudinem illius obſcuritatis expers eſt, quam inducūt ſylueſtrium arborum horrentes vmbræ. Idque iuxta *Sanir* etymō, quod *lucerna dentem*, ſeu *ſcopulum* ſignificat, id eſt, præaltum locum, vbi fax excitatur, & nocturnæ flammæ. Quales ſunt ad maris ripas erecti Phari, qui nauigantibus & portum oſtendunt, & maritimos curſus ſine errore dirigunt. Idem de Hermon dicendum, quod *occiſionem, corruptionem*, ſeu *maledictionem* ſonat. A vertice itaque vocatur Hermon, id eſt, ab ipſo limine, antequam plagam exciperet vllā, aut maledictionem ſubiret. Illud autē, quod *de capite* dicitur *Amana*, magis ad conceptionem Virginis immaculatam facit. Pro *capite*, Septuaginta reddunt, *à principio fidei. Fidē* etenim ſonat Amana. Quaſi ſponſus dicat; nullo vitæ momento Virginem fuiſſe non fidelem. Ad extremum addo; vbi vulgatus habet, *Veni de Libano*; Heb. eſſe, *Mecum de Libano.* Quaſi nunquam illi defuerit (tanquam ſponſus nempe, quia vt ſpōſus loquitur) etiā dum eſſet in Libano, & in vertice Sanir. Quare vt ſecum eduxit à Libano, Sanir, & Hermon; ſic in his locis, vbi periculum eſſe videbatur, ſemper ſecum in ſinu, atque cōplexu tenuit. Porrò prædicari de B. Virgine, quod de ſua Ieruſalem Pſ. 86. cecinit Dauid, quòd nempe fundamenta locauerit in montibus, communis Doctorum cogitatio eſt. Quare optimè, & ad cogitationem communem attemperatè, fundata, id eſt, concepta dici poteſt Maria in capite Amana, & vertice Sanir, & Hermon, quo ſenſu nuper explicuimus.

Vulneraſti cor meum, ſoror mea, ſponſa.

RAtionem reddit, cur ſponſam reuocet è Libano ad thalami ſocietatem, quia altè ipſius animo vis amoris inſederat. Cur verò dicatur vno vulneratus oculo, ea fortaſſe eſt ratio, quia velata ſponſæ facies nuptiali more non facilè vtrumque oculum ſpectandum offerebat; maximè ſi Solymitides puellæ ſic ornabantur, ſicut Tertulliani, & Hieronymi temporibus Arabicæ, de quibus Tertullianus lib. de velandis virginibus ad finem. *Iudicabunt*, inquit, *nos Arabicæ fœminæ Ethnicæ, quæ non caput, ſed & faciem quoque ita totam tegunt, vt vno oculo liberato contentæ ſint dimidiam frui lucem, potius quàm totam faciem proſtituere.* Hieronymus in c. 3. Iſaiæ, & in traditionibus Hebraicis ſuper Geneſ. hoc Arabicarū fœminarum velamen, pallium appellat, & theriſtrum; Hebraicè רדידים *Redidim:* quo modo appellatur etiam velum quod ab ſponſa cap. 5. detractum eſt. Ex quo nonulla coniectura ſumitur, ſponſam, cùm primum viſa eſt à ſponſo in Amana, id eſt, principio fidei, tectam eſſe pallio, ſeu theriſtro, & vnū tantùm oculum 63. Hiſtor. Facies fœminarum velanda.

oculum ostendisse. Et hæc mihi videtur cõmodior expositio, quia licèt verum sit, inter coronæ ramos, aut inter pendulos à fronte crines alterum oculorum latere; hoc tamẽ contingit nuptiarum tempore, quo sponsæ coronantur. At sponsus insinuare videtur longè antè captum se fuisse eius amore, nimirum cùm ruri ageret in Libano, & Sanir. Et est verisimile, eo tẽpore habuisse theristrum, cuius ille præcipuus vsus est, vt faciem ab æstu, nigroréque defendat.

Si quis tamen referat ad nuptiale tẽpus, quo sponsa induitur coronata, facilè intelligitur, quomodo vnus oculus tantùm videri potuerit, aut saltem non vterque liberè; neque enim corona ita texebatur, vt instar circuli, & fasciæ caput ambiret potiùs, quàm obnuberet; alioqui caput sponsi non compararetur Carmelo; neque sponsæ crines capris in monte Galaad, quæ inter frutices, & arbusta errant. Quod verò rami, & frondes ad faciem etiam descendant ex nuptiali corona, indicat Statius in Epithalamio Stellæ.

Tu modò fronte rosas, violis modò lilia mixta
Excipis, & domine niueis à vultibus obstas.

Et Christi corona non instar circuli circumligasse, sed totum texisse caput existimatur.

In vno crine colli tui.

64. Histor. HEb. ענק *Anak*, quod inter alia *torquem* significat. Septuaginta verterunt ἐνθέματι, id est, *impositione*, vel *ornamento*. Aquila ἀλλάγματι. Ex quo videtur posse colligi, crines hîc vocari, non capillos vtrinque diffluentes, & inuolitantes collo, sed qui in speciem aliquam decorè intorti collum & velant, & decorant. Quod esse Hebræis fœminis familiare mihi persuadeo, quia etiã id viris in vsu esse video, à quibus magis alienum videbatur. Nam sponsus cap. 5. cincinnos se habere dicit; & qui Samsonis septem crines dicuntur, Heb. מחלפות *Machlephoth* vocantur Iud. 16. & Septuaginta vertunt σειρὰς, id est, *catenas*, seu *cirros*. Porrò ex vetustis imaginibus constat quàm variè fœminarum capilli formas assumant, modò in nodum collecti, modò in resticulã, aut cincinnos coacti, modò in vndularum flexus intorti. Vide Clem. Alex. lib. 3. Pædag. cap. 11. Et sanè si hîc intelligas capillos ex arte compositos, & non ex incuria, quo interdum nihil accuratius, naturaliter errantes, existimare quis posset, sponsum & capillis, & oculis hoc eodem articulo à spõsa vulnerari, quo Epithalamium canitur: quia non est verisimile ante hoc tẽpus puellam, & rusticam, & modestam tantùm studij habuisse intorquendæ comæ. Nihilominus tamẽ existimo hæc referri ad superiora tempora; nam licèt modo suprà dicto in sponsæ capite ita ritu nuptiali cæsaries vibretur, & ædificetur caput (vt loquitur Iuuenalis Satyra 6. vel turrificetur, vt dixit suprà Nazianzenus; vnde sponsæ collum turri comparatur, cui imposita sunt propugnacula) nihilominus vulgaris alius capillorum ornatus, neque honestas dedecet, neque est à rusticis puellis alienus; quia neque abhorret à munditia, & ille perfacilis, & pene naturalis est. Et sicut ante nuptiale tempus in Amana, id est, principio fidei, vulneratũ diximus altero spõsę oculo; si dicẽdũ est ibidẽ, eiusdẽ crinibus esse vulneratũ. Hunc locum videtur omnino expressisse Theocritus Idyllio 5.

Capilli fœminarum variè intorti, & interdum virorum.

Et me lenis amat Cratides, facit ille furentem
Obuius, vt tenero mota est coma pendula collo.

65. Illud verò obseruandum, pro, *vulnerasti*, Hebr. esse לבבתני *Lebabtini*, quod variè ab Interpretibus redditur. Septuaginta vertunt ἐκαρδίωσας, id est, *abstulisti cor.* Ambr. Ps. 118. octon. 11. v. 2. *Corde cepisti me.* Quinta editio, ἐθάρσυνας, id est, *audacem me fecisti.* Symmachus apud Theodoretum, *excitasti.* Quæ licèt videantur longè esse diuersa, eidē tamen sententiæ valdè sunt affinia. Verbum Hebraicum à לב *Leb*, id est, à *corde* trahitur: significat verò magno aliquo sensu, ac motu cor afficere, siue nouum inducere, siue vetus auferre; siue vim addere, & audaciam; siue quempiam à corde capere, & tenere, quasi cordi vincula sint iniecta. Quæ omnia significant cor amantis in eius, qui amatur, esse potestate. Aptè verò vulgatus vertit, *vulnerasti*, quia, quæ à nobis dicta, grauia sunt cordis vulnera. Cùmque omnia vim habeāt maximam, amorisque naturam mirificam exprimant; illud tamen Ambrosij perquàm bellè, ac significāter, nam significat amantem, quia à corde tenetur, & gubernatur, facilè, atque vltrò, quò alter velit, versari, ac trahi. Si quis autem Hebraicum verbum vno velit Latino reddere, aptum videtur, *incordiare*, quo vsus est Plautus in Cistellaria. Ad capiendum verò cor, vulnerandum, & inflāmandum aptissimi videntur capilli, atque oculi; illi, quia ligant, vt sponsum à corde capiant; hi, quia radios vibrant, & quasi sagittas emittūt: vt de Helena Theocritus Idyl. 18. Quare spōsam secum euocat è Libano, quia nisi illa veniat, ipse, qui vinculis cōstrictus est, ab ea diuelli non potest.

Amans in amati potestate.

Secundò obseruandum, spōsam hîc sororem vocari, siue quia hoc nomen est amatorium; vnde tam apud sacros, quàm apud profanos authores, qui se mutuò amant, fratrum, ac sororū nomine se vicissim salutant. Vnde Sapiētia quæ Prou. 7. soror dicitur, sumpta à nuptiis metaphora, eadem Sapien. c. 8. spōsa vocatur: & Esther c. 5. Assuerus se vocat fratrem Esther. Et licèt profani scriptores amicas, & concubinas sæpe vocent sorores; tamē in re amatoria non semper impurū amorem, sed castum sæpissime, atque legitimum significat. Quare non omnino placet, quod Lipsius docuit l. 3. var. c. 1. sororē in turpiorē significationem accipi; licèt id aliquādo contingat. Hîc ergo spōsus sororem suam appellat, & spōsam, quia quidquid in sorore, atque sponsa amabile est, id in hac vna simul inuenitur. 66.

Spōsa cur vocata soror.

Vel certè soror dicitur Hebræorum more, qui cognatos omnes fratres appelant, & sorores; quibus cùm non liceret matrimonium inire cum iis, qui cognationis essent alienæ, meritò sponsas, quia cognatæ erant, sorores vocabant. Quæ compellatio, quia est in matrimoniis solemnis, translata est ad eas, quibuscum sponso non esset commune genus; qualis est hæc sponsa, quæ peregrina, & alienigena fingitur. Et hæc ratio sufficiens erat, vt externa fœmina vocaretur soror: sed est alia grauior, nam peregrinam, & captiuam ducere poterat Israëlita, Deut. cap. 21. eo tamen ritu, atque his ceremoniis, quæ significant illam à se totam esse mutatam, & quasi tunc natam in aliena domo, aut in alienæ familiæ ius, & nobilitatem vocatam. Quare iubetur non solùm gentilitiam vestem deponere; 67.

Cognati, fratres, & sorores dicuntur.

deponere, sed etiam capillos, & vngues resecare, ac deplorare parẽtes. Quæ omnia significant, quoad eius fieri potuit, retexuisse se, naturámque priorem peregrinam puellam, & relictis, quæ priùs à parentibus habuit, id vnum habere, quod accepit à sponso. Quare iam appellatur Solymitana, vel Sulamitis, quæ Solymitano, & Israëlitis, quæ Israëlitæ nupsit, cognata vtrique, & soror ipsius, vtpote in eamdem familiam, & domum cooptata. Quòd verò quæ alteri nupsit, ad coniugis familiam, & non iam amplius ad parentum pertineat, videtur non obscurè colligi ex cap. 21. Leuit. vbi Sacerdos prohibetur cõtaminari in mortibus ciuium suorum, nisi tantùm in consanguineis, & propinquis; & addit, *id est, super patrem, & matrem, & filium, & filiam, fratrem quoque, & sororem virginem, quæ non est nupta viro.* Ecce quomodo à cognatione separetur, quæ alteri se matrimonio coniunxit. Et cap. 22. cùm permittatur his, qui sunt è familia Sacerdotũ, sanctificatis vesci, etiam vernaculis, non tamen permittitur filiæ nuptæ, nisi vidua, vel repudiata, & absque liberis redeat in domum patris. Vide Abul. in hæc loca Leuit. Et idem Interlinearis in priori, & Lyra in posteriori testimonio. Inter Romanos, vt scribit A. Gellius lib. 18. cap. 6. materfamilias in mariti sui familiam veniebat. Quemadmodum vxor, non solùm familiam & genus sumat à marito; sed etiam nomen, vide infrà cap. 8. ad illud, *quasi pacem reperiens.*

Sponsa in sponsi familiã, & genus cooptatur.

68. *Vulnerasti cor meum.*] Suprà in cortice, *excordasti me*, vel *cepisti me à corde.* Exprimitur hîc magna amoris potentia, siue cor saucium esse dicas, siue in sponsæ pectus migrasse; nam vtrumque amanti lethale est. Vide quæ cap. 1. de osculi natura, & significatione diximus. Molle corplanè Domini est, quod facilè ad se quilibet trahet vel vno osculo, id est, cogitatione recta, quæ Deum vnum spectat, ad eúmque refert, quæ videt reliqua: atque vno crine id est, desiderio, seu affectu, quo in Deo acquiescat vno, & in quo se ipsum, atq; alia quærenda, & amanda iudicet. Aliter neque in pretio esse, neque amoris digna esse omnino putat.

Allegor. Amoris vis admirabilis.

Quis verò hîc aut explicet, aut cogitet, quid boni nactus sit, qui Christi cor aut vulnerare potuit, aut eripere? quid nõ speret, qui Domini cor in potestate habeat; & quod vno crine colli sui non aliter verset, quàm equus docilis versari habenis solet? Id enim sonat, vt vertit Ambros. *à corde cepisti.* Quid iam amplius cupiat, qui apud se habet bonorum omnium fontem, & viuentis aquæ, & in vitam æternam salientis perenne flumẽ? Sed is, qui cor se putat habere Domini, hinc coniiciet ea se opinione non falli, si à Domini corde, quod iam pro suo secum habet, omnino regatur; si eo viuat, & spiret; si Dominum deniq; cogitatione, sermone, & omni alio motu referat. Licèt enim vulneratum sit Domini cor, viuit tamẽ, & suam nobis vitam, atque spiritum præstat; imò, vt nos nobis ipsis moriamur efficit. Vulnerauerat Paulus, & ad se traxerat Christi cor cùm dixit, *Viuo autem, iam non ego, viuit in me Christus.* Quòd si oculis vulneratur Deus, & ligatur crinibus, sanctis videlicet affectibus, & cogitationibus puris, cauendum vehemẽter est, ne oculus nequam sit: nã ille non tam capit, & vulnerat, quàm abigit à se Dominum offensum. Cauendum item ne præscindatur cri-

Ex amore Dei quot proueniũt bona.

Quomodo Deus retinẽdus

nis, qui nobis alligat, & nostrum facit esse Deum. Sanè Samson, cùm seruauit crines, super quos nouaculam ascendere Nazaræorum lex, & religio vetabat, secum habuit quasi alligatum Deum, & ab eo virtutem hostibus formidabilem. At abscissis cōtra diuinum præceptum septē crinibus, infirmum se esse cognouit, & illis, quibus antè terrori fuerat, haberi ludibrio. Sic enim de illo Iudic. 16. *Nesciens quòd recessisset ab eo Dominus.* Quare, si cui abscissi sunt crines, id est, alienæ cogitationes in animum admissę, curet vt renascantur, & cum eis, quæ iam abierat, fortitudo recurret, quemadmodum accidit Samsoni.

Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ! pulchriora sunt vbera tua vino.

69. Histor. TAntundem, totidémque pene, atque iisdem verbis audierat sponsus in principio statim huius Epithalamij, & laudem nunc eadē mensura remetitur. Quare nihil est, quod addamus ad illa superiora: nisi quòd sponsa vbera sponsi sui pulchra esse dicit; quasi à se illam pulchritudinem habeat. Sponsus verò dicit vbera sponsæ pulchruisse, id est, facta esse pulchra, vt vertūt Septuaginta, Aquila, & Symmachus. Ex quo indicatur fuisse tempus, in quo adeò pulchra non fuerint, & quòd pulchra sint, sponsi liberalitati esse tribuēdum. Vbi etiam obserua priori loco, vbi vbera pulchriora dicuntur esse vino, non esse eamdē vocem, quę suprà; cùm mammæ vocantur pulchræ; nam secundo loco est vox, quæ *bonum* significat, & *gratum*, quam vulgatus cap. 1. in principio vertit *meliora vino*; cùm etiam de sponsi vberibus esset sermo. Est ergo tam hìc, quàm illìc sensus: Dulciora, aut gratiora sunt vbera tua vino. Quòd Genes. 45. oculi Iuda dicuntur vino pulchriores, alius sensus, & alia ratio est. Porrò sicut in *cella vinaria* omnia intelliguntur oblectamenta, vt diximus cap. 2. numer. 8. sic etiam multo magis in *vino*. Quare dum gratiora, seu meliora dicuntur vino sponsæ vbera, nihil illis dicitur esse suauius.

Odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.

HIc, credo, de vnguentis sermo est, quæ sunt ad vbera, de quibus proximè; nam gestare fœminas in deliciis ad vbera, super cor olfactoria vasa, quæ Isaiæ cap. 3. dicuntur *olfactoriola*, Hebr. *domus animæ*, satis constat ex cap. 1. vbi fasciculum myrrhæ, seu alligamentum myrrhæ sponsa dicit inter vbera sua commoratura. Vsitatum verò inter Gentes, vt vbera, & quæ cordi vicina sunt, rore aspergantur odorifero, docet Athenæus lib. 15. cap. 14. 70.

Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ!] Quæ grata nobis, & quodam modo iam nostra sunt, retractata sæpe, & quasi regustata amorem sui accendunt, adeò non satiant. Magnas diuinus sponsus delicias esse reputat in vberum, labiorúmque sponsæ candore, atque modestia, id est, in affectuum, sermonum, atque omni externi odoris puritate, ac fragrantia, atque adeò quæ gustata semel valdè placuerunt, illa regustat iterum, repetitque cum incredibili, 71. Allegor.

credibili, vt ipsa dicendi figura oſtẽdit, voluptate; & huc ſpectat hæc vberum, labiorum, atq; odoris iterata commemoratio. Quem ergo iã tædeat, aut cui faſtidio, atque moleſtiæ ſit illa opere ipſo millies repetere, quæ repetita millies ſuauiſſimus ſponſus voluptate, quàm credi poteſt, maiori, millies ad palatum, millies ad oculos, millies ad omnẽ ſenſum voluptarium refert? Porrò vbera per quæ ſignificantur Doctores, bene olere dicuntur, quia etiam aſſimilati ſunt caprarum hinnulis, qui inter lilia paſcuntur; ex quibus ſuccum trahunt ſuauiter olẽtem: & halitum habent ex eo ſucco iucundiſſimum.

Fauus diſtillans labia tua ſponſa, & lac ſub lingua tua.

72. Hiſtor. Oris et ſermonis commendatio à ſuauitate ſermonis.

LAudat hîc ſponſus ſuauitatem, quam habet ſponſa in ſermone mirificam: eſt enim commune tam profanis, quàm ſacris authorib. lactis ac mellis nomen orationi leniter, ſuaniterque mananti accommodare. Quare Theophraſti lactea dicitur eloquentia, & Neſtoris melle dulcior fluere oratio: & Theocritus Idyl. 24.

Dulcius os quocumque cibo; quod ab ore fluebat

Vocis opus, mel, atque fauos dixiſſe licebat.

Inter authores etiam ſacros melli ſæpe, atque lacti ſimilis eſt oratio. Prouer.16. *Fauus mellis compoſita verba.* Pſal.118. *Eloquia Domini dulciora ſuper mel, & fauũ.* Et alibi. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tuà, ſuper mel ori meo!* Quod licèt nonnunquam in malam partem aſſumatur; Prouerb.5. *Fauus diſtillans labia meretricis*; tamen ſemper ſignificat orationis ſuauitatem.

Si quis tamen de oris odore, id eſt, grato, atque puro anhelitu interpretetur, dixerit ſanè nihil, quod alienum ſit à puellarum munditia, atque decore, aut à nuptiarum ritu. 73. Halitus oris vt ſuauis ſit curãt maximè fœminæ.
Clemens certè Alex. lib. 3. Pædag. cap.3. & cap.11. tradit; ſolere fœminas maſtichem rodere, vt gratus ſit anhelitus. Et Martialis lib. 5. Epigr. 38. fragrare ait os Herotiontis puellæ, *quod roſarium Pæſti; quod Atticarũ prima mella cerarum.* Admonitus ergo ſponſus lactis, & mellis, quod geniali conuiuio proponebatur, de quo ſtatim cap. 5. dicit ſponſæ non eſſe opus, vt aliunde mel petat, & lac, cùm ipſa ſit tota merum lac, & mel; quo non ſecus ſtillat os illius, atque ſi in eo apes, tanquam in alueolo fauos finxiſſent.

74. Allegor. Verba ſãcta fructus ſunt ſancti pectoris.

Fauus diſtillans labia tua ſponſa, mel, & lac ſub lingua tua.] Oſtenditur cur ſponſæ labia dulcia ſint, melléque, & lacte ſtillent; quia nimirum intra os, & ſub lingua latet; vnde ad labia erumpat dulce illud, quod tanquam fauus in aliorum vſum, & delicias effundãt. Quid enim mirũ, ſi cyprus ſudet balſamo cùm radix, & ſtirps, quæ ſunt tanquam cypri viſcera, balſami efficientem vim intra ſe alant, atque cohibeant? Electro ſudant arbores ad Eridani ripas, & thure, ac myrrha in Libano aromatiferæ plantæ; quia nobilem ſuccum intra corticem gignunt occultè, quem deinde coctum, atque maturum foras exudant, & effundunt. Neque fauus, cui ſponſæ comparãtur labia, melle ſtillaret, niſi melle priùs latentes intus cellulas apis impleuiſſet. Stillant ſponſæ labia inſtar faui melliflua ſuauitate, quia mellifluos intus in animo alit, & for

Ex oratione vim & suauitatem accipit lingua.

mat succos, quia sub lingua lac habet, & mel, id est, quia secum tacitè, diu, multúmque loquitur, id quod deinde assidua meditatione formatum labiis committat, & linguæ, quæ tacitas cogitationes animi promat, & euulget. Habere autem aliquid sub lingua, quid aliud est, quàm meditari, & tacitè secum, & secretò loqui? Quod *ruminandi* verbo viri spirituales satis aptè significant. Quòd verò meditationis opus hac loquendi figura exprimi possit, indicat illud Psalm. 10. *sub lingua eius labor, & dolor*, id est, secum meditatur, & cogitat, machinatúrque tacitè, quomodo alijs laborem pariat & dolorem. Hîc ergo docentur, qui Christi sponsæ esse, ac videri student, quíque ad sponsi eloquium linguã suam formare, atque erudire cupiunt, vacandum esse assiduè meditationi, quæ linguam instruat, & Euangelio confectet, & millies secum repetat, quæ volet in aliorum sinum vtiliter expromere. Sic enim fiet, vt verba vim habeant ab eo ardore conceptam, quo in oratione formata, atque inflammata sunt. Sin verò aliter velit concionem, aut familiarem sermonem instituere, inania erunt verba, & vacui sine mente soni, sicut æs sonans, aut cymbalum tinniens, quæ obtundunt potiùs, quàm instruunt, & ædificant audientem. Habes hæc eadem, aut his affinia Prouerb. cap. 16. v. 23. vbi ostenditur, ex corde sapientis, id est, vt ego interpretor, ex eo, quod assidua cura, & meditatio frequens cordi sapientis infixit (id est, viri sancti; hic enim in Scriptura sacra sapiens vocatur) verba fluere instar faui suauissimo stillantis nectare. *Cor sapientis erudit os eius, & labiis eius addet gratiam, fauus mellis compositia verba.*

Psal. 10.

Frequens hoc est apud Doctores sacros, spiritualisque vitæ magistros, & duces, qui docent expedire maximè, vt piam aliquam cogitationem in animo perpetuò verset is, qui populi hortator, & magister est; id enim ad linguam erumpit, quod ebullit, & efferbescit in animo. *Ex abundantia etenim cordis os loquitur.* Matth. 12. Sanè August. tractatu 36. in Ioannem, de Ioanne prodit, in manifesto eructasse, quæ in secreto biberat superna mysteria. 75.

De lacte, quod etiam esse dicitur sub sponsæ lingua, res est apertior: quia lac doctrinæ symbolum est, quod mater alit, & maturat non tam sibi, quàm proli. Debet autem fidelis minister Euangelij, doctrinæ lac, priùs in pectore concoquere, nisi velit, & illud, & traditum sibi quasi nutrici Ecclesiæ fœtum perdere: id calore orationis, aut solùm, aut præcipuè fieri nemo dubitat. Quomodo Paulus lac illud salutare præparabat, quod filiis immulgebat paruulis. 1. Cor. cap. 3. *Lac vobis potum dedi.*

Hîc præterea aliquid odorati videor arcanum & mysticum. In Ecclesiæ principiis ad tempus vsque Hieronymi, & eo fortasse amplius susceptis è sacro fonte Neophytis mel porrigebatur, & lac. Ita Tertullianus lib. de corona militis cap. 3. *Ter, inquit, mergitamur, inde suscepti lactis, & mellis concordiam prægustamus.* Idem Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, non longè à medio. In Baptismo verò alienigenæ animæ in Ecclesiam, id est, in sponsi domum & thalamum vocantur. Quare sicut vestis illis porrigitur candida, quæ sponsæ ornamentum est, & insigne, fiúntque sicut 76.

Neophytis olim lac porrigebatur, & mel.

ficut pennæ argenteæ columbæ: fic etiam, vt fponfæ folent, quemadmodum ex hoc loco, & cap. 5. colligitur, melle cibantur & lacte. Quod fanè non accipiunt Neophyti, nifi priùs detersis per Baptifmum fordibus; quemadmodum neque fpófa nifi poftquam depofito fufcore, quem ex vinearum cuftodia, & rufticana vita contraxit. Hûc præterea facit, quòd olim apud Æthiopas, vt ex eorum Rituali libro perfpicuum eft, in cõfirmationis Sacraméto lac porrigebatur, & mel: & ne quid ad fponfæ ornamentum, & myftici cõnubij facra deeffet, veftis prætera tradebatur cãdida, & alia deinde varia, atque polymita, nuptiale, vt nuper diximus, fponfarum infigne.

Et odor veftimentorum tuorum ficut odor thuris.

77. Hiftor. VSitatum effe, veftes, aut confpergi odoribus ex vnguento, aut ex thure, aut alio quouis aromate fubfumigari, docet Clemens Alex. lib. 2. Pædag. cap. 8. & apud Homerũ Odyff. ε. Calypfo dediffe fertur Vlyffi veftem θυώδεα, id eft, *olentem thus*. Sed quòd idem vfitatum effet inter Hebræos, maximè nuptiali tempore, conftat ex Pfalm. 44. *Myrrha, & gutta, & cafia à veftimẽtis tuis*; fed vfitatum etiã extra nuptiarũ delicias; Genef. 27. vbi Ifaac fenfit veftimentorum fragrantiã, dixit: *Ecce odor filij mei, quafi odor agri pleni*; in Hebr. non eft, *pleni*. Chaldaica interpretatur, *ficut odor incenfi ex optimis aromatibus*.

(Veftis odorata.)

78. Allegor. *Odor veftimentorum, &c. ficut odor thuris.*] Veftimentis defignari opera, docet hîc Greg. S. Thom. & Beda. Quare Apocal. 19. ornamenta fpõfæ opera fancta effe dicuntur. *Vxor eius præparauit fe, & datum eft illi, vt cooperiat fe byffino fplendenti, & candido; byffinum enim iuftificationes funt Sanctorum*. & Iob. 29. *Iuftitia indutus fum, & veftiui me ficut veftimento, & diademate, indicio meo*. Hoc fenfu Apocal. 16. iubemur cuftodire veftimenta noftra, ne nudi ambulemus, & appareat turpitudo noftra, id eft, ne per confequens peccatum meritis, vt Theologi dicunt, mortificatis nudi relinquamur. Dicuntur autem hæc veftiméta olere thus, quia procedunt ex eo, quod quis in oratione cõcepit; nam perfectorũ opera partus quidam orationis funt. Et ficut id, quod ad lucernam magno ftudio elaboratum eft, olere lucernam dicitur; fic opus quod coram Deo in oratione priùs cogitatum, atque cõceptum fuit, atque ex ipfius voluntate, & imperio fufceptum, thus, id eft, orationem olere dici poteft. Siue quia fanctum opus oratio quædam eft ad Deum; quia non minùs clamat, quàm oratio. Ita pene S. Thom. & Beda. Quòd autem opus bonum clamet, obfcurum non eft, & de eleemofyna exprefsè traditur Eccli. 29. *Conclude eleemofynam in finu pauperis, & hæc pro te orabit*. Sicut opus malum etiam clamat: vnde ab Ifaia cap. 5. clamor vocatur; & fpecialiter peccata quædam vocantur clamantia.

(Opera noftra orationẽ olere debent.)

Et hoc fenfu putant Greg. S. Thom. & Beda explicandum effe 79.
illud Lucæ 18. *Oportet femper orare*; (Lucæ c. 18.)
neque aliter impleri poffe præceptum nifi conuerfatio talis fit, vt in confpectu Dei oratio deputetur. Felix, cuius opera ad Deũ ita clamãt, vt perpetuò orent, réq; ipfa exorẽt, quod ex vfu ipfius diuináque gloria futurum eft. Infelix verò, qui

Ex oratione vim, & suauitatem accipit lingua. mat succos, quia sub lingua lac habet, & mel, id est, quia secum tacitè, diu, multúmque loquitur, id quod deinde assidua meditatione formatum labiis committat, & linguæ, quæ tacitas cogitationes animi promat, & euulget. Habere autem aliquid sub lingua, quid aliud est, quàm meditari, & tacitè secum, & secretò loqui? Quod *ruminandi* verbo viri spirituales satis aptè significant. Quòd verò meditationis opus hac loquendi figura exprimi possit, indicat illud Psalm. 10.
Psal. 10. *sub lingua eius labor, & dolor*, id est, secum meditatur, & cogitat, machinatúrque tacitè, quomodo alijs laborem pariat & dolorem. Hic ergo docentur, qui Christi sponsæ esse, ac videri student, quíque ad sponsi eloquium linguã suam formare, atque erudire cupiunt, vacandum esse assiduè meditationi, quæ linguam instruat, & Euangelio consecret, & millies secum repetat, quæ volet in aliorum sinum vtiliter exprómere. Sic enim fiet, vt verba vim habeant ab eo ardore conceptam, quo in oratione formata, atque inflammata sunt. Sin verò aliter velit concionem, aut familiarem sermonem instituere, inania erunt verba, & vacui sine mente soni; sicut æs sonans, aut cymbalum tinniens, quæ obtundunt potiùs, quàm instruunt, & ædificant audientem. Habes hæc eadem, aut his affinia Prouerb. cap. 16. v. 23. vbi ostenditur, ex corde sapientis, id est, vt ego interpretor, ex eo, quod assidua cura, & meditatio frequens cordi sapientis infixit (id est, viri sancti; hic enim in Scriptura sacra sapiens vocatur) verba fluere instar faui suauissimo stillantis nectare. *Cor sapientis erudit os eius, & labiis eius addet gratiam, fauus mellis composita verba.*

75. Frequens hoc est apud Doctores sacros, spiritualisque vitæ magistros, & duces, qui docent expedire maximè, vt piam aliquam cogitationem in animo perpetuò versetis, qui populi hortator, & magister est; id enim ad linguam erumpit, quod ebullit, & effervescit in animo. *Ex abundantia etenim cordis os loquitur.* Matth. 12. Sanè August. tractatu 36. in Ioannem, de Ioanne prodit, in manifesto eructasse, quæ in secreto biberat superna mysteria.

De lacte, quod etiam esse dicitur sub sponsæ lingua, res est apertior: quia lac doctrinæ symbolum est, quod mater alit, & maturat non tam sibi, quàm proli. Debet autem fidelis minister Euangelij, doctrinæ lac prius in pectore concoquere, nisi velit, & illud, & traditum sibi quasi nutrici Ecclesiæ fœtum perdere: id calore orationis, aut solùm, aut præcipuè fieri nemo dubitat. Quomodo Paulus lac illud salutare præparabat, quod filiis immulgebat paruulis. 1. Cor. cap. 3. *Lac vobis potum dedi.*

76. Neophytis olim lac porrigebatur, & mel. Hic præterea aliquid odorari videor arcanum & mysticum. In Ecclesiæ principiis ad tempus vsque Hieronymi, & eo fortasse amplius susceptis è sacro fonte Neophytis mel porrigebatur, & lac. Ita Tertullianus lib. de corona militis cap. 3. *Ter, inquit, mergitamur, inde suscepti lactis, & mellis concordiam prægustamus.* Idem Hieronymus in Dialogo contra Luciferianos, non longè à medio. In Baptismo verò alienigenæ animæ in Ecclesiam, id est, in sponsi domum & thalamum vocantur. Quare sicut vestis illis porrigitur candida, quæ sponsæ ornamentum est, & insigne, fiúntque sicut

ſicut pennæ argenteæ columbæ: ſic etiam, vt ſponſæ ſolent, quemadmodum ex hoc loco, & cap. 5. colligitur, melle cibantur & lacte. Quod ſanè non accipiunt Neophyti, niſi priùs detersis per Baptiſmum ſordibus; quemadmodum neque ſpóſa niſi poſtquam depoſito fuſcore, quem ex vinearum cuſtodia, & ruſticana vita contraxit. Hûc prӕterea facit, quòd olim apud Æthiopas, vt ex eorum Rituali libro perſpicuum eſt, in cõfirmationis Sacraméto lac porrigebatur, & mel: & ne quid ad ſponſæ ornamentum, & myſtici cõnubij ſacra deeſſet, veſtis prӕterea tradebatur cãdida, & alia deinde varia, atque polymita, nuptiale, vt nuper diximus, ſponſarum inſigne.

Et odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris.

77. Hiſtor. VSitatum eſſe, veſtes, aut conſpergi odoribus ex vnguento, aut ex thure, aut alio quouis aromate ſubfumigari, docet Clemens Alex. lib. 2. Pędag. cap. 8. & apud Homerũ Odyſſ. 1. Calypſo dediſſe fertur Vlyſſi veſtem θυώδεα, id eſt, *olentem thus*. Sed quòd idem vſitatum eſſet inter Hebræos, maximè nuptiali tempore, conſtat ex Pſalm. 44. *Myrrha, & gutta, & caſia à veſtimẽtis tuis*; ſed vſitatum eriã extra nuptiarũ delicias; Geneſ. 27. vbi Iſaac ſenſit veſtimentorum fragrantiã, dixit: *Ecce odor filij mei, quaſi odor agri pleni*; in Hebr. non eſt, *pleni*. Chaldaica interpretatur, *ſicut odor incenſi ex optimis aromatibus*.

Veſtiũ odorata.

78. Allegor. Opera noſtra orationẽ olere debent. *Odor veſtimentorum, &c. ſicut odor thuris.*] Veſtimentis deſignari opera, docet hîc Greg. S. Thom. & Beda. Quare Apocal. 19. ornamenta ſpóſæ opera ſancta eſſe dicuntur. *Vxor eius præparauit ſe, & datum eſt illi, vt cooperiat ſe byſſino ſplendenti, & candido; byſſinum enim iuſtificationes ſunt Sanctorum*. & Iob. 29. *Iuſtitia indutus ſum, & veſtiui me ſicut veſtimento, & diademate, iudicio meo*. Hoc ſenſu Apocal. 16. iubemur cuſtodire veſtimenta noſtra, ne nudi ambulemus, & appareat turpitudo noſtra, id eſt, ne per conſequens peccatum meritis, vt Theologi dicunt, mortificatis nudi relinquamur. Dicuntur autem hæc veſtiméta olere thus, quia procedunt ex eo, quod quis in oratione cõcepit; nam perfectorũ opera partus quidam orationis ſunt. Et ſicut id, quod ad lucernam magno ſtudio elaboratum eſt, olere lucernam dicitur; ſic opus quod coram Deo in oratione priùs cogitatum, atque cõceptum fuit, atque ex ipſius voluntate, & imperio ſuſceptum, thus, id eſt, orationem olere dici poteſt. Siue quia ſanctum opus oratio quædam eſt ad Deum; quia non minùs clamat, quàm oratio. Ita pene S. Thom. & Beda. Quòd autem opus bonum clamet, obſcurum non eſt, & de eleemoſyna expreſsè traditur Eccli. 29. *Conclude eleemoſynam in ſinu pauperis, & hæc pro te orabit*. Sicut opus malum etiam clamat: vnde ab Iſaia cap. 5. clamor vocatur; & ſpecialiter peccata quædam vocantur clamantia.

Et hoc ſenſu putant Greg. S. Thom. & Beda explicandum eſſe illud Lucæ 18. *Oportet ſemper orare*; 79. Lucæ c. 18. neque aliter impleri poſſe præceptum, niſi conuerſatio talis ſit, vt in conſpectu Dei oratio deputetur. Felix, cuius opera ad Deũ ita clamãt, vt perpetuò orent, réq; ipſa exorẽt, quod ex vſu ipſius diuináque gloria futurum eſt. Infelix verò; qui

assiduè malè viuendo petit, réque ipsa consequitur ab offenso Numine exitium sempiternum.

Hortus conclusus, fons signatus.

80. Histor. NOn facile explicatu est, quomodo hic locus sit intelligendus: nã hortus appellari posset spõsa, vel quia ornata floribus est, qualibus horti, quos in deliciis habent Principes, conspicui sunt; vnde postea dicitur habere emissiones Paradisi, id est, propagines, seu odores; vel certè, quia nuptialis vestis, aut ita erat graphicè distincta, vt varias exprimeret arborum, atque herbarum formas, vt diximus suprà ad illud cap. 3. *Propter filias Ierusalem*; vel tandem, quod mihi videtur esse veritati propius, confertur cum horto vndique concluso; subauditur verò Hebræorum more similitudinis nota. Est autem verisimile, viridaria esse quamplurima in Hierosolymitano tractu, & maximè Hierichuntino; quia erat valdè ad omnes delicias accõmodatus. Vnde dicitur Eccli. c. 24. *Quasi plantatio rosæ in Iericho.* Et quidem Iosephus lib. 8. Antiq. cap. 2. Regionem esse tradit, quæ à Hierosolymis duorum tantùm schœnorum spatio aberat nomine Hettan, hortis, & inductis fontibus amœnã, quam Salomon animi gratiâ sæpissime obibat. Alicui ergo istorũ hortorũ concluso sponsa similis vocatur: nam hic solet esse lõgè speciosior, quia consitus non syluestribus, & vastis sed electis plãtis; quarum eximiæ naturæ, ac pulchritudini si accedat ars topiaria, nihil aspectu iucundius, nihil odoratu gratius; tum quia cùm tantùm sit oculis peruius, si tamen aliquo modo peruius est, neque conculcatus à feris, neque suo flore à prætereuntibus spoliatus, suum sibi illibatum semper nitorem seruat.

Hac verò, & verborum, & picturæ forma pudicæ fœminæ, & quæ tantùm viri sui oculis placere studeat, mores describuntur: & multo magis signati fontis hieroglyphico, ex quo nullus vnquam libare quicquam permissus est. Nomen verò fontis, & siris ex Scripturæ vsu ad honestatem pertinet. Ierem. 2. *Prohibe guttur tuum à siti*, id est, à libidine: quæ honestissima metaphora est, qua cohibetur fœminarũ intemperantia. Et Prouerb. 5. *Bibe aquam de cisterna tua, & fi vena tua benedicta*, id est, abstine ab aliena. Quare optimè sponsa dicitur *fons signatus.* Solere autẽ apud Hebræos, puteos, qui etiam appellantur fontes, vt statim videbimus, claudi, & obsignari; vnde sumpta videtur esse metaphora, constat ex Genes. 29. vbi clausus erat lapide puteus, ad quem aquatũ duxerat greges suos Rachel. 81. Fidelis sponsæ symbolũ. Ierem. 2. Putei clausi.

Atheneæus lib. 12. cap. 3. ex Agathocle refert, apud Persas esse fontes, ex quibus solus Rex, & filius natu maximus biberet, proposita capitali pœna, si quis alius eam attigisset; sicut & in Hispania non longè à Compluto fons est clausus, qui Regius dicitur, quia ex ipso fontis capite ad vnum Regem aqua hauritur. Fortasse fons erat in Ierusalem, aut in Hettan ad Regium tantùm vsum consignatus, & clausus, ad cuius similitudinem sponsa dicitur fons signatus. Certè non est improbabile fuisse in aliqua earum ciuitatum, quas condidisse Salomonẽ ad voluptarios secessus tradit Iosephus suprà cap. 6. & dicit aquis esse perennibus irriguas. 82. Fontes quidam apud Persas clausi.

Hortus

83. Allegor. *Hortus conclusus soror mea, fons signatus.*] Communis pene Sanctorum expositio est, vel Ecclesiam, vel animam, quæ ad sponsæ titulum ascendit, hortum conclusum vocari, quia ibi sunt plantarum omnium grati odores, & fructus, id est, virtutum omnium germina, quæ statim diuersorum aromatum nominibus exprimuntur. Et sanè sterilis esse nō potest anima, quæ verè Deo cōiungitur. Qui sponsus adeò fœcundus est, vt non ex eius amore solùm spiritum salutis anima concipiat, sed etiam ex timore. Conclusus verò dicitur, & vni sponso peruius, quia nihil inde mundus, nihil caro, nihil futilis alia, atque inanis ratio decerpit. Fons etiam signatus, & vni Regi apertus; quia, si alij sine sponsi voluntate, quasi reuulsis sigillis aliquid inde hauriant, turpe fier, cœnosúmque volutabrū potiùs, quàm illimis fontis crystallinus liquor. *Ideo enim clauditur,* inquit Ambr. lib. 2. de Virgin. *ne volutabris spiritualiū bestiarum sparsa, cœno fluenta turbentur.* Addit item, ibidē Imaginis Dei signaculis impressum esse fontem illum; vnde iustū est, vt nulli prçterquàm Deo fons ille seruiat.

Anima quæ soli Deo vacat, sterilis nō est.

Quia ex signato fonte nemo prçter Dominum quidquam non modò bibere, sed neque libare permittur. ideo ex hoc loco è recentioribus plurimi B. Virginem à primo, communíque contagio immunem esse credunt. Neque enim decere putāt, vt fons, quem sibi Deus tam maturo, tempestiuóque studio cōsignarat, pateret aliis; ex quo bellua biberet immunda, aut in quem impurus irreperet serpens, qui tanto Principi seruatum, & consecratum fontem aut inficeret halitu, aut fœda volutatione turbaret. Appellatur quoq; conclusus hortus, in quē præter eū, qui plantauit, nullus ingressus. Neque vt in antiquum Paradisum serpens se tortuosus insinuauit; sic in hunc longè pulchriorē, magísque à Domino custoditum illabi permissus est. Ita Damas. Orat. 2. de Assump. *Ad hunc,* inquit, *Paradisum serpens aditum non habuit.*

Emissiones tuæ Paradisus malorum punicorum.

HIc locus variè exponitur, quia vox, *emissio*, multa significat. Hebr. שלח *Selach*, à verbo, quod tot ferme habet vsus apud Hebręos, quot *mitto*, apud Latinos. Quare nō incongruè sumi posse videtur pro halitu, atque odore, quē hortus ille clausus emittit; cuius plantæ, quia videri in horto concluso non possunt, odoris tamen suauitate se produnt. Vnde subitur, *Cypri cum nardo,* &c. & tunc erit sensus; talē odorē emitti ab sponsa, qualis efflari solet ab horto omni aromatiferarum arborum genere cōsito, &, vt de quodam dixit Martialis, 84. Histor. Emissio multa significat.

Olet quod Hybla, Atticique flores.

Significat etiam *plantas*, & *propagines*; & ita ferme accipiunt Doctores Hebræorum. Tunc verò sensus erit, hortum esse sponsam consitum nobilissimis plantis, exuberantem pulcherrimis ramis, latéque diffusis, quas plantas deinde explicat: quia, vt eiusmodi hortus amœnitatis, & suauitatis plenus est; sic in se sponsa suauitatem omnem, & amœnitatem habet. 85.

Item *missio* munera significat, quæ ad alios mittuntur; maximè quæ ad turbā, quæ certatim arripit cū risu, voluptatéque spectantium, quç missilia dicuntur; qualia sparsisse Caligulam refert Suetonius c. 18. & Neronem cap. 11. Erit ergo huius loci sententia, sponsam habere munera, 86.

quæ mittat ad ſtipantem turbam, qualia ſolent habere horti, ad omnem vſum, & voluptatem culti, ex quibus poma, aromata, & ſerta carpantur: item vnguenta, quibus homines in ſimili pompa, & plauſu irrorari ſolent. Et ita videtur accepiſſe Theodoretus cùm dixit; *Hæc omnia miſiſti mihi, & tempore nuptiarum attuliſti.* Et ſanè ad hæc inuitatur ſtatim ſponſus cap. 5. & ibidem ad eadem rurſus ab ſponſa inuitantur ſocij, & amici. Hæ tamen tres ſignificationes videntur in vnum ſenſum aptè conuenire: nam ſponſa ſtipata floribus, & fulta malis, & illis tandem omnibus, quæ ſuprà contineri diximus in voce אשישה *Aſiſah*, ſpeciem refert amœniſſimi horti, & latè ſuauiſſimum odorem ſpirantis; illa verò munera ideo ſibi congregauit ſponſa, vt haberet, quod inter amicos, ſodaléſque diſtribuet, quod ſtatim facit capite ſequenti.

Paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus.

87. FOrtaſſe hîc per ſynecdochē mala punica ſumuntur pro malorum alterius etiam generis fructibus; meminit verò punicorum præſertim, quia malus punica familiaris eſt in Palæſtina, & ibi pulcherrima. Pro, *pomorum fructibus*, Hebr. eſt מגדים *Megadim*, quod nomen eſt cõmune, & ſignificat quod in quoq; genere pretioſum eſt, & iucundū, ſiue in gemmis, ſiue in vaſis, ſiue in his, quæ terra fundit. Et ita ſenſus erit; cum fructibus rerum gratiſſimarum, & quæ maximè in deliciis habentur. Videtur autem *pomorum* nomine ea velle complecti, quæ odorifera ſunt; quia poma grati ſunt odoris. Deinde verò euoluit ea, quæ *pomi* nomine inuolutè indicantur, ſcilicet, *Cypri cum nardo*, &c.

Cypri cum nardo, &c.

DE harum plantarum vi, ac ſignificatione vide Plinium, Theophraſtū, & Dioſcoridē. Nunc à nobis tantùm obſeruandum eſt, hæc omnia nomina ab Hebraico fonte in alias linguas eſſe deriuata. Secundò, has plantas odoriferas eo ordine in hoc Cantico eſſe diſpoſitas, quo ipſæ inter ſe compoſitæ maiorem ſuauitatē ſunt habituræ. Quare nardum cum cypro, & rurſus cum croco, myrrham cum aloë, fiſtulam cum cynamomo coniunxit; quia hæc ſi in paſtillum, cinnum, aut faſciculum venerint, ſingulare aliquid olent, & mirificum. Aliquid ſimile videtur dixiſſe Virg. Eclog. 2. 88.

Et vos, ô lauri, carpam, & te, proxima myrte,
Sic poſitæ quoniam ſuaues miſcetis odores.

Porrò *cypri*, in nominatiuo plurali eſt in Hebræo, itē *nardus*. Quare ad verbū dicendū eſſet, *cypri cū nardis*. De aliarū plantarū ſignificatione res eſt minùs dubia. Quòd *fiſtula* hîc ſit, quæ Hiſpanicè *canela*, mihi eſt valdè probabile, tum quia Hebr. קנה *Kaneh* dicitur, id eſt, *canna*, cui affinis eſt *cannela* vox; tum quia hæc non videtur naſci in Palæſtina, locíſque vicinis: nam Ierem. 6. dicitur; *Vt quid mihi thus de Saba affertis, & calamū ſuauiter olentē de terra longinqua?* vbi Hebr. eadem eſt vox קנה *Kaneh*. Conſtat autē Salomonem ex Oriente attuliſſe pretioſa quæq; & in his credibile eſt, calamū odoratū, quē *cannelā* dicimus. Sunt qui *fiſtulā*, cynamomum eſſe putent, aut caſiā: ſed quòd *fiſtula*, cynamomum non ſit, 89. Fiſtula, Hiſpanè canela.

sit, res est non obscura; nam vt distinctũ ponitur hoc loco קִנָּמוֹן, quod nemo dubitat esse *cynamomũ*, à קָנֶה, pro quo vulgatus reddidit *fistulam*. Casia itẽ a calamo, seu fistula apertè distinguitur Ezech. c.27. v.19. *Casia, & calamus in mercatu suo*. Nam vbi vulgatus habet *stacte, & calamus*; Hebr. est קִדָּה & קָנֶה *Kaneh, & Kidah*, quæ vox posterior alibi *casia* exponitur. Et apertè Exod.30. v. 24. in concinnando Sacerdotali vnguento calamus à casia seorsum nominatur. Accedit quòd Hieronymus super Ieremiam suprà, calamum Indicum esse dicit.

90. Allegor. *Emissiones tuæ Paradisus*, &c.] Iam singulatim explicat sponsus horti conclusi plantationes, quarum vel odore, vel fructu aptissimè virtutum omnium proprietates exprimuntur. In sponsa verò harum plantarum emissiones esse dicuntur, siue propagines intelligas, siue exhalationes, siue odores; quod in re hac morali idem pene est, quia nihil in hac optima sponsa aut oculis occurret, quod ex his stirpibus pullulasse non censeas, aut odore capies, quod non dicas ex talium plantarum aut floribus adspirari, aut succis.

Virtutes variæ variis plantis, ac floribus assimilatæ. In his autem plantis variæ significãtur virtutes ad illarum naturam accommodatæ. Et primùm in malis punicis, & pomorum fructibus, virtutum omnium concentum adumbrari docuit Hieronymus lib. 1. cõtra Iouinianum; & Nyssenus in hunc locum, in malo punico virtutes contineri, atque seruari existimat. Quia malus ipsa punica spinis horret, quæ fures arcẽt; & corticem habet amarum, & austerum, qui virtutum optimus custos est. In spinosis autem ramis, atque in amaro cortice significari putat continentiam, & seuerum viuendi genus, quod procul à se repellit, quod puniceæ plantæ fructibus insidiatur, id est, virtutibus, quæ & eleganter rubent, & arrident palato. Theodoretus in malo punico charitatẽ agnoscit, quia multas sub se virtutes continet, ita concinnatas, vt altera alteri impedimento non sit. Sicut multa in malo punico continentur grana, quæ ita sunt vicissim aptè conserta, vt neque se premant, neque se mutuo attactu corrumpãt. In aliis plantis aliæ significantur virtutes, quas quisque ex plantarum proprietatibus facilè cognoscet; quarũ emissiones habet fidelis anima; quia nihil ex se halat, nisi purum & sanctum, & quod à nobili stirpe profectum sit, aut ex pretioso aromate euaporatum. De quibus Greg. Homil.6. in Ezechielem dum exponit illud Gen. *Sicut odor agri pleni*. Agit autem ibi de Gentili populo ad fidẽ iam cõuerso, quẽ sponsa hæc ex Libano euocata, vt nuper vidimus, adumbrat. *Sicut*, inquit, *in Euangelio Veritas dicit, ager est hic mundus. Et quia Gẽtilis populus ad fidem perductus per electos suos in vniuerso mũdo virtutibus redolet, odor filij odor est agri pleni. Aliter namq; olet flos vuæ, quia magna est virtus, & opinio prædicatorum, qui inebriant mentes audientium. Aliter flos oliuæ, quia suaue est opus misericordiæ, quia more olei refouet, & lucet. Aliter flos rosæ, quia mira est fragrãtia, quæ rutilat, & redolet ex cruore Martyrũ. Aliter flos lilij, quia candida vita carnis est de incorruptione virginitatis. Aliter flos violæ, quia magna est virtus humilium, qui ex desiderio loca vltima tenentes, se per humilitatem à terra in altũ non subleuant, & cœlestis regni purpurã in mẽte seruant. Aliter redolet spica, cùm ad maturitatẽ perducitur, quia bonorũ operum perfectio ad satietatem eorum, qui iustitiam esuriunt, preparatur.* Hæc Gregor.

Fons hortorum, puteus aquarum viuentium.

91. Histor. HOrtum esse sponsam iam antea dixerat, arboribus, floribúsque conspicuum; nunc addit id, quod speciem in hortis, virorémque conseruat, facitque, vt ver quodam modo ibi perpetuò rideat, nempe fontis, & putei viuentis aquæ, id est, iugiter manantis perennitatem. Sunt qui putent, nomina esse non communia, sed propria; ita vt fons sit aliquis, qui dicatur fons hortorum, & puteus, qui aquarum viuentium. Sed cur ista dicantur, non inuenio aliquod in Scriptura vestigium; nisi fortè ille sit puteus Num. 21. de quo est illud: *Ascende putee*; cuius aqua videtur fuisse maximè viua. Portò *viuentes aquæ*, vel *viuæ* (siue etiam, vt ego existimo, *vitæ fontes*) illæ dicuntur, quę non sunt collectitiæ, clausæ, atque stagnantes, sed quæ vltrò scaturiunt, & suo quasi nutu mouentur, ac fluunt, quod viuentium opus esse solet, & argumentum vitæ. Et eam ob causam, quæ à se ipsis moueri aut solent, aut apparent, viua dicuntur, vt argentum viuum, viua lucerna. Vnde fides etiam dicitur viua, quia otiosa non est; sed videtur ab bene operandum moueri. Viuæ verò aquę nomen in Scriptura sæpe auditur, in profanis non ratò, Virg. 2. Æneid. Aqua viua quid.

——donec me flumine viuo
Abluero.

Varro lib. 1. de re rustica: *Si omnino aqua non est viua, cisterna facienda sub tectis.*

92. Videtur autem sponsus rem prorsus eandem duobus nominibus velle significare, atque amplificare; nam fons tam significat aquam, quæ vbi primùm erupit ab ipso capite, per summam humum decurrit, quàm quæ è profundo hauritur, modò iugis sit, ac fluens per occultos meatus, & nullo modo aliunde collecta, ac conclusa; licèt iam *fontis* nomen aquarum scatebris, in nostrum vsum sponte fluentibus accommodatum sit. Ita August. tract. 15. in Ioan. vbi rationem reddit, cur qui dictus est *fons Iacob*, postea dicatur *puteus*; ait enim: *Omnis puteus fons; sed non omnis fons puteus. Vbi enim de terra aqua manat, & vsu præbetur haurientibus, fons dicitur; sed si in promptu, & superficie sit, fons tantùm dicitur; si autem in alto, atque profundo sit, ita puteus vocatur, vt fontis nomen non amittat.* Hæc Augustinus. Et similia Hieronymus in cap. 1. Oseæ in principio. *Puteus*, inquit, *est, qui perpetuas aquas habet, & de viuo fonte manantes; cisterna, vel lacus, qui refrigerat aquam externam, & aduentitiam possidet.* Et Gen. cap. 24. puteus dicitur ex quo Rebecca hausit aquam, alioquin quid opus erat haurire ad potandum camelos? Et quæ tanta esset illi largitas, támque laudata, quæ ex aqua suo nutu apertè, copiosèque fluente potum promitteret? Et tandem eodem capite sæpe vocatur fons. Aut ergo sponsus per epexegesim idem bis explicat, aut certè videtur se ipsum corrigere: nam quando *fontem* appellauit, dixit quidem aliquid pulchrum, sed commune, cùm fons omnium oculis, & vsibus propositus sit; cùm autem illam *viuentium aquarum puteum* appellat, aliquid ostendit clausum, & obsignatum, & quod sit in vnius Domini potestate. Quod suprà etiam dixerat, cùm *fontem signatum* vocauit. Puteus aquę iugis fons dicitur.

Fons hortorum, puteus aquarum viuentium.] Magna sanè commendatio est, vel Ecclesiæ, vel animæ sanctæ, 93. Allegor.

Ecclesia fons hortorum. ctæ, cùm *fons* appellatur *hortorum*, aut *puteus iugis, atque viuentis aquæ*. Si de Ecclesia interpretere, quod facit Cassiodorus, Apponius, & Anselmus; hæc quidem fons est, & puteus, qui hortos aqua iugi fœcundat & rigat; pios nempe animos, qui plantati secus decursus aquarum, perpetuo vernant foliorum vestitu, & fructuum vbertate. Fons autem ille, siue puteus, aut Euangelium est, vt putat Theodoretus, aut Scriptura sacra, vt placet Gregorio Magno: quia ex his Ecclesia doctrinam haurit, quam in commissos hortos vbertim effundat. Mihi nō ineptè dicturus esse videtur, qui in fonte, & puteo iugiter manante Sacramenta esse putauerit, seu, quod eodem spectat, Christi sanguinem, quibus abūdat Ecclesia, habétque, quod ad rigandos fidelium animos continenter effundat.

Fons, & puteus sacramenta.

Si de anima hęc accipias cū Nysseno, & Ricardo de S. Victore, anima sancta, & diuinis cumulata donis fons appellatur, & puteus; quia non satis habet, si ipsa aquis abundet cœlestibus, nisi illæ ad aliorum etiam vsum exuberent. Sanè B. Virgo (nam de ea hunc locum exponit Rupertus) fons fuit, qui sterilem quondam mundum sic irrigauit, vt fœcundum reddiderit, ac amœnum. Quæ licèt aliis omnibus magnum vsum attulerit, hortum tamen suum admirandum in modum irrigauit, hilarauitque. De qua illud Eccli. 24. quam verissimè prædicari potest: *Ego quasi fluuius dioryx, & sicut aquæ ductus exiui de Paradiso: dixi; Rigabo hortum meum.*

Maria fons.

Quæ fluunt impetu de Libano.

95. Histor.

IN Hebræo est coniunctio; *& quæ fluunt*. Vnde videtur aliquid hîc significari diuersum à fonte, & puteo. Ita Rab. Salomon, & alij qui exponunt *fluenta*, Et sanè horum optima descriptio est, *aquæ, quæ fluunt cum impetu*: & ita videtur sponsus cum omni aquarum & modo, & genere conferre sponsæ pulchritudinem, cum puteo scilicet, & fonte, & cum riuis, qui à fonte decurrunt. Videtur autem allusum ad duos fontes Ior, & Dan, qui ex Libano orti, Iordani, & vndas, & nomen attribuunt; qui deinde terræ promissionis fœcunditatem, & hilaritatem inducit. Si verò נוזלים *Nozelim*, fluenta non sint à superioribus diuersa; sed participia, quæ fontem, puteúmque referunt, sensus est; aquas illas, de quibus suprà, impetu fluere, id est, defluere, & in subiectas valles, vel planitiem ex alto deriuari; id enim valet נזל *Nazal*.

96. Allegor.

Quæ fluunt impetu de Libano.] Libanus hic, vnde fluxerunt aquæ, quibus fons, de quo nuper, aut puteus exundat, vt putat Ricardus, Christus est, quod etiam existimauit Apponius. Libanus enim aromate abūdat, & cedro, & perpetuo candore pulcher est, cuius frequēs est in Scriptura commēdatio; & Christi symbolum, sicut ob eandem causam diximus de Galaad. Aut etiam, vt alij volunt, Sacramenta, per quæ in Ecclesiæ vsum, atque delicias influit iugi, atque continenti ductu Christi sanguis. Si de anima hæc sumas, dona sunt quibus à Deo exornata est; aut fons ille, qui in vitam æternam salit, quæ ex Christi latere prodierūt.

Christus Libanus.

In

In eo iusti lauerunt, dealbarúntque stolas suas. Dici verò Libanus non incongruè potest à niueo candore, quia animas, quibus se ipsum impertitus est, longè supra niuem albere facit.

Surge Aquilo, & veni Auster, &c.

97. Histor. QVidam hæc verba sponsæ tribuunt, quæ cùm iam statuisset sponsum inuitare ad hortum, orat, vt ventus ille perflet, qui magis floribus, & arboribus fauet. Sed non est, quòd à communi sententia recedamus; cùm hæc verba aptissimè possint accommodari sponso, vt statim videbimus. Alij vtrumque ventum, & Austrum, & Boream aduocari putant, vt quoquouersùs diffundatur ex horto sponsæ suauiter aspirans odor. Neque contrà facit verbum *surge*, quod accommodatum ventis excitari significat id, quod erat quietum; iuxta illud Virgil. 1. Georg.

Et quæ manè refert, & quæ surgentibus astris.

Est tamen illa communior sententia, veritatíque propior, quæ putat id optare sponsum, vt facessat Aquilo, qui maximè noxius est plantis tunc primùm germinantibus; adsit verò Auster, qui tepore suo arbores frondibus, floribúsque conuestit. Nam duos ventos, eosdémque contrarios in eodem simul spatio flare rarum admodùm est, si modò aliquando contingat, ídque parum tutum. Cur ergo optet sponsus quod minimè ex nuptiarum commoditate, genialíque voluptate futurum esset? Verbum autem *surgere*, discedere etiam significat, & si tempus consideres, sic interpretere oportet. Nam hæc fieri finguntur ineunte vere, toto verò antecedenti tempore Aquilo suo proprio iure in terris dominatur. Id ergo agit sponsi sollicitudo, vt iam tandem abeat frigidus ille, atque inimicus ventus, & perflet alius qui calore suo laxet arbores, stillaréque faciat odoriferos succos. Hæc verò eò spectāt, vt hortorum amœnitas sit quàm diuturna; quod præstabit flatus Austri clementior discedente procul Aquilone, cuius perfrigido, atque infenso spiritu hortorum species quantacumque exuritur, ac perit. Tum præterea, vt labor tam officiosè à sponsa susceptus in illo suo adumbrato horto excolendo non sit irritus, si quid à ventis accidat aduersi. Est autem solemne in Epithalamiis, plausúque nuptiali ad extremum precari, vt venustas, & amor, & siquid prætereà est in cōnubiis iucundum, & optabile, perpetuum sit, quod nunc optat sponsus.

Aquilo contrarius ventus est, Auster benignus.

Posset tamen alicui, minùs aptus videri ventus Auster, cùm floribus, & hortis perniciosus sit, vt Virg. cecinit Eclog. 2. 98.

——floribus Austrum
Perditus, & liquidis immisi fontibus apros;

& experientia id manifestum est quotidiana. Ad hæc responsio facilis est; nam venti pro situ, qualitatéque Regionum naturam aliam, atque aliam assumūt; quia à locis, quæ spirando permeant, vim trahunt in omnem partem potentissimam. Quare Auster Italis, Hispanísque grauis est, & pestilens; Aphris æstuosus, Palæstinæ tamen placidus, ac salubris, quia à mari perflat, vnde teporem habet humidum, & mitem auram. Quare, vt Aquilo in Scriptura malè accipitur, quia frigidum quid spirat, & ingratum; sic contrà, Auster

Venti varij pro Regionum varietate.

Auster optimè, quia reficit, & fouet, quæ glacies, & pruina decoxerunt. A situ verò in Scriptura sæpe dicitur *mare*, quia à mari perflat Palæstinam; vnde Psal. 8. *Aquilonem, & mare tu creasti*, id est, Austrum; & Psal. 106. *Ab Aquilone, & mari*, id est, Austro.

Psal. 8.

99. *Surge Aquilo, veni Auster, perfla hortum meum.* Hoc loco id videtur spõsus velle, quæ clausa sunt in spõsæ sinu, horto nimirum clauso, ea vt aliquando appareant. Solent autem perflante aura exhalari, diffundíque à floribus odores, & quod in hedychris, pastillísque grati suffitus est, euaporari, si ignē admoueas. Sic ergo sponsus cupit, prodant se dotes illæ eximiæ, atque virtutes, quas in sponsa, & laudauit copiosè, & amat effusè. Ventos verò pro aduersis sumi satis vulgatum est. An verò hîc vocentur duo simul venti ortu, naturáque contrarij, dictum est suprà. Certè si vtrumque putes, non ineptè dices tentari, explorarique solere alicuius virtutem, atque constantiam, non magis Aquilone frigido, & aduerso, id est, minis, suppliciis, atque aliis naturæ, fortunæque incommodis, quàm Austro, id est, secundis rebus, & iis, quæ dicuntur naturæ, fortunæque bona; quibus obniti, atque resistere non minoris animi est, quàm aduersis non cedere. Dicamus tamen sponsum hîc iubere, vt facessat Aquilo; satis enim diu sponsa laboribus perfuncta est: satis diu sponsi languit desiderio. Adspiret ergo Auster, quia iam nuptiarum adspirat dies; exhilaret iam sponsus præsens, quam absens dudum sui desiderio cruciarat; capiat iam fructus aromatum, quæ in illum temporis articulum multo antè quæsierat. Hæc mihi consentanea videntur ad nuptialem lætitiam, & Austri mitissimam naturam. Hinc disce sponsi mite, ac liberale ingenium, qui diu non patitur sponsæ animum ab Aquilone contrahi mœrore; sed adspirante suæ benignitatis Austro laxat, atque diffundit. Atque hæc de capite quarto.

Allegor.

Non minùs prosperis exploratur virtusquã aduersis.

Solatur De⁹ quos priùs exercuit.

ARGVMENTVM IN CAPVT QVINTVM CANTICORVM.

INVITAT *sponsa dilectum suum ad dapes, & delicias, quas ad epulum geniale parauerat, quásque suprà cap. 2. diximus contineri in voce* אשישה Asisah, *ad quas sponsus inuitatus, socios etiam, & amicos inuitat. Sed interim, dum in medio cursu epularum gratia pompa subsistit, narrat sponsa, quid sibi superiori nocte contigerit, cùm euocata à sponso desidia torpens tardiùs ad aperiendum surrexit, quàm oportuit; cuius ignauiæ atque inurbanitatis pœnas dedit non indebitas. Nam cùm inde sponsus aliò declinasset, per varia discrimina vix tandem inuenit illum, qui vltrò se priùs ad ianuam offerebat. Caterùm cùm filiæ Ierusalem, quæ ipsius clamoribus excitæ socias se laboris, & sollicitudinis præbuêre, signa aliqua peterent, quibus sponsum ab aliis internoscerent, ea occasione opportunè oblata, sponsi sui ornamenta, speciem, atque ingenium describit, eo artificio, atque elegantia, ea rerum varietate, atque ornatu, vt non solùm non inueniri apud profanos authores, sed neque excogitari hypotyposis alia possit illustrior.*

CAPVT V.

Sponsa.

1 VENIAT *dilectus meus in hortum suum, comedat fructus pomorũ suorum.*

Sponsus.

Veni in hortum meum, soror mea, sponsa: messui myrrhã meã cum

PARAPHRASIS.

1 QVANDO me hortum appellasti, dilecte, omni fructu atque aromate conspicuum, veni in hortum tuum: nam abs te habeo, & tibi vni seruo, quicquid in me pulchrum, & amœnum est. Veni ergo, & fructum pomorum tuorum tuo arbitratu comede, quæ in hunc temporis articulum comparata sunt.

Auidè accipio, ô sponsa, vocem tuam, admittóque libens voluntatem, & munus. Quare in hortum veni meum; messui myrrham, & aromata

mata alia, comedi fauum cum melle: bibi vinum cum lacte, & sumpsi, quas tu in hoc nuptiale conuiuium dapes parasti. Vos ergo, ô amici, quandoquidem satis à sponsa prouisum est, pro omnium iucunditate, & luxu, ad satietatem, & ebrietatem vsque comedite, & bibite.

cũ aromatibus meis: comedi fauum cum melle meo: bibi vinũ meũ cum lacte meo. Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.

2 Interim dum in via nuptialibus epulis operam hanc festiuam datis, ô vos, qui hunc nobiscum diem, & nuptialem plausum obitis, audite quid mihi proxima nocte contigerit. Cùm enim ego quiescerem in lectulo, dormirémque, somnum tamen eiusmodi, vt essem vigilanti, quàm dormienti propior; vigilabat enim animus, cui species dilecti mei sæpius occursabat: ecce autem sponsi mei, qui transiliens colles, & saliens in montibus, sicut ceruus ad fores meas aduolarat, vocem audio, qui dum admitti postulat, & nomen meum identidem inclamat, sic ad me loquitur.

Sponsa.

2 *Ego dormio, & cor meum vigilat. Vox dilecti mei pulsantis:*

O soror mea (libet enim eo te nomine cõpellare, quod mihi cõcedit in Hebrço populo cõnubiale ius) ô amica mea, in qua nullam iam maculam inuenio, aperi mihi: nam sub humido cœlo, dum ad tuas fores excubo, caput meum cœlesti rore, & cincinni mei nocturnis guttis commaduêre.

Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meũ plenũ est rore, & cincinni mei guttis noctium.

3 Ad vocem tam vrbanam, & amatoriam, ego crudelis, & rustica, quominus è lectulo consurgerem, causas obtendo inanes, depositam mihi esse dicebam tunicam, neque facile, aut opportunum esse eam resumere. Lotos esse pedes, neque decere sponsæ munditiem illos rursus inquinare.

3 *Expoliaui me tunica mea, quo modo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?*

4 *Dilectus meus misit manum suam per foramen; & venter meus intremuit ad tactum eius.*

4 Cùm verbis tam ad leniendam ferarum immanitatem potentibus, nihil tamen à meo stupore, atque duritia sponsus obtineret, rem aliter tentat: mittens enim per portarum rimulas exploratores digitos, pessulum ab ostio remouere aggreditur. Ego verò cùm rem eò deductam esse video, grauiter animo commota tota cohorrui, non tam mea, quàm sponsi causa; cùm eum mea rusticitate, atque inclementia ad illud consilium, quod in amante pene extremum est, adegissem.

5 *Surrexi, vt aperirem dilecto meo, manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima.*

5 Commouit me tamen tam pertinaci conatu sponsi studium, vt socordiam, & inurbanitatem abiicerem. Quare statim è lectulo consurgo, & vt offensum mea inclementia sponsi animum aliquo officio lenirem, manus meas aspersi probatissima myrrha, vt illis stillantibus, & sponsum exciperem humaniùs, & gratum illi odorem offerrem.

6 *Pessulū ostij mei aperui dilecto meo: at ille declinauerat, atque transierat.*

Anima mea liquefacta est, vt dilectus loquutus est. Quæsiui, & non inueni illum, vocaui, & non respondit mihi.

6 Feci quod ad extremum sponsus facere tentauerat, remoui pessulum, vt sponsum admitterem: at ille iam aliò declinans subduxerat sese.

O me omnino stupidam, & amentem, quæ non statim atque sponsus loquutus est, ad aperiendum exilij! Exciderat planè tunc mihi mens, atque consilium, cùm illum, quem mille votis expetere, atque accersere debueram, oblatum vltrò, imò & supplicem tam barbarè repulerim. Sed dedi postea pœnas mea rusticitate dignas: quæsiui enim illum, & non inueni, & cùm eius nomen sæpius inclamarem, non respōdit mihi.

Quid autem in quærendo sponso mihi contigerit, paucis accipite.

7 Dum in vnum sponsum intenta per vicos, & plateas incertis erro vestigiis, incidi in vigiles, qui custodiunt ciuitatem; qui quasi sponsi iniuriam vellent vlcisci, percusserunt me, inflictisq; plagis, & erepto pallio talem dimiserunt, qualem orto iam Sole cùm dilectus occurrit, aspexistis me.

7 *Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem, percusserunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt palliū meū custodes murorum.*

8 Cùm à ciuitatis custodibus nihil præter plagas acciperem, quò meum mihi dolorem consolarer, ad filias Ierusalem animum, vocémque conuerto. Adiuro, inquio, vos ô filiæ Ierusalem, si vobis sponsum meum inuenire contingat, vt nuntietis ei, non quòd per nocturnas tenebras, & insidias multorum iniuriis, & periculis exposita vagor: aut quòd durè accepta sum ab vrbis custodibus, sed quòd ipsius amore omnino conficior.

8 *Adiuro vos, filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meū, vt nuntietis ei, quia amore langueo.*

9 Filiæ verò Ierusalem, quæ mihi tunc ad quærendum sponsum socias se præbuerunt, & nunc præsentes mecum sponsi liberali, ac splendida mensa fruuntur, adfuerūt mihi in ea perturbatione, ac sollicitudine, & his à me verbis de spōso rogant. O fœminarū pulcherrima, quando tam seuerè adiurasti nos, ede signa certa, quibus dilectum tuū, quem eximium inter dilectos esse clamas, ab aliis cognoscamus.

9 *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum? Qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiurasti nos?*

10 Accipite omnino filiæ Ierusalem, certa signa: si de colore agitur, candidus est, & rubicundus. De reliquis hoc habetote, eam inesse speciē in ore, eum esse totius corporis ha-

10 *Dilectus meus cādidus, & rubicundus, electus ex millibus.*

bitum, vt ex omnibus, qui bene de formis iudicaret, illum vnum eligeret: quare vbi vbi est, latere nullo modo potest. Ipse se vobis cognoscendum prodet, nihilominus, vt vestro desiderio, & meo etiã amori ex parte satisfaciam, hæc ex multis pauca signa accipite.

11 *Caput eius aurum optimum, comæ eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus.*

11 Coronam gestat in capite ex auro optimo capillis impositam, qui quoad formam, & elegantiam crispi sunt, & eo modo in cincinnos intorti quo palmarum elatæ; quoad colorem nigri, atque nitentes, qualis in coruis color est.

12 *Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima.*

12 Oculi eius sicut columbæ, quæ puros in riuis liquores amant; seu potiùs columbarum similes imagini, quæ ab aqua purissima tanquam à lucidissima crystallo repercutitur.

13 *Genæ illius sicut areolæ aromatũ cõsitæ à pigmentariis: labia eius lilia distillantia myrrham primam.*

13 Genæ ipsius primo iuuenilis ætatis flore, id est, molli barbæ lanugine vestitæ, similes sunt odoratis herbis, aut floribus in areola, aut calathis à pigmentario dispositis. Labia verò colore referunt illud liliorum genus, quod purpureum est, quibus ea inest suauitas, vt probatissimos ex se myrrhæ liquores stillare putes.

14 *Manus eius tornatiles aureæ, plenæ hiacynthis; venter eius eburneus; distinctus sapphiris.*

14 Manus eius verè aureæ sunt, & quasi torno perfectæ, aut propter natiuam pulchritudinẽ, aut propter aureos annulos, qui circulares sunt, & quales opere tornario fiunt. Ornamentum autem ventris, siue illud vestis genus sit, siue baltheus, candidum est instar eboris, distinctum, & quasi stellatum sapphiris.

15 *Crura* 15 Cru

15 Crura illius columnæ marmoreæ quamsimillima sunt: à materia enim id habent, vt candida sint; à figura, vt recta, ab vtroque, vt bella sint, & firma. Quæ super bases aureas fundata ideo videntur, quia calcei, qui cruribus substernuntur, inaurati sunt, aut insignes auro. Sed quid minutim omnia persequor? Species, & & ornatus eiusmodi est, vt in sponso videre te putes pulcherrimi montis Libani amœnitatem, & varietatem incredibilem. Neque in dilecto abest, quod in Libano præcipuum est; nam procerus est, sicut cedri, quæ illi monti familiares sunt.

15 Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas. Species eius, vt Libani, electus vt cedri.

16 Non solùm quæ insunt sponso meo, gratissima sunt, sed quæ ab illo exeunt. Quare guttur ipsius suauissimum est, siue sermonem, qui ab ore, siue halitum, qui à gutture expiratur, consideres. Denique, vt vno verbo complectar omnia, totus desiderabilis est. Hic est dilectus meus, filiæ Ierusalem.

16 Guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis; talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus, filiæ Ierusalem.

17 Ex tuo studio, atque languore, ô pulcherrima mulierum, tum etiam ex signis, quibus dilectum tuum nobis descripsisti, iniecisti nobis illius videndi desiderium. Quare cùm illius iam abs te indicia certa, & notas habeamus, dic quam in partem illum declinasse suspiceris, & eodem tecum studio illum inuestigabimus.

Adolescentulæ.

17 Quò abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum? quò declinauit dilectus tuus, & quæremus eum tecum?

IN

IN CAPVT QVINTVM COMMENTARIVS.

Veniat dilectus meus in hortum suum, &c.

1. Histor. LAudarat sponsus hortum sponsæ, siue sponsam ipsam instar horti ornatam variè, & suauiter olentem: siue flores, pomáque ita aptè contexta; vt horti speciem amœnissimi referant. Sponsa igitur sponsi sui humanitati gratificata, ait ornatum illum, & abundantiã in sponsi gratiã esse quæsitam: quare veniat liberè, suóque arbitratu capiat, quæ sibi vsui, ac voluptati duxerit; nam qualis, quantúsq; est, totus sponsi est, illi scilicet apertus vni, cæteris omnino clausus.

Comedat fructus pomorum suorum.

2. DIctum est nuper *pomi* nomine intelligi quidquid in pretio, atque deliciis esse solet; id enim valet מגדים *Megadim:* fructus verò pomorum sunt vnguenta, quæ ex nardo, myrrha, &c. fiunt, & quicquid contineri diximus in voce אשישה *Asisah*, quæ ad voluptatem, & munificentiam genialẽ comparata sunt, quæ *horti* etiam nomine commodè explicantur; nã & hic variarum rerum, quæ voluptati sunt, varium habere solet, & copiosum prouentum; vnde subditur, *Veni in hortum meum.*

Veniat dilectus meus in hortum suum.] Appellata fuerat paulo antè sponsa à dilecto suo *hortus conclusus*, 3. Allegor. generosis plantis consitus, & illu- Sponsa fidelis in sponsi potestate. stris, quem vbi incitatior aliqua perflasset aura, mirificos in omnem partem halitus diffunderet. Nunc sponsa significat, vnde habeat tantùm amœnitatis, & ornamenti, scilicet ex sponsi ingenua, ac liberali manu: quare hortum illum non suum sibi canit, sed sponsi, idque nõ vno, sed multis nominibus. Vel quia, quidquid est fructus, ab ipso est, vel quia ad ipsum pertinet; neq; enim vult grata spõsa, vt quisquam vel minimã partẽ fructus decerpat præter illũ, cui prouentus debetur totus. Pro, *veniat*, LXX. legũt, *descẽdat*, quod & modestiã prodit, & singularẽ obseruantiam sponsæ, altè, vt decet, de tanti spõsi maiestate cogitãtis. Instructus erat hortus ille sanè pulcherrimè, quẽ pro sua dignitate Regius sponsus Christus ornarat; excoluerat sponsæ animum iis virtutibus, quas *emissionum*, vel *propaginum* nomine nuper expresserat. Quia tamen aliquid studij sui, atq; Dona Dei nõ inflãt. operæ agnoscit sponsæ modestia, quod tantæ amœnitati aliquid posset afferre fastidij, quod in pretiosa veste labes, aut in exquisito cibo facit gutta fellis, aut patellæ vilitas, ideo orat, ne indignitate eius, quod

quod à se esse modestè fatetur, offendatur, quominus descendat, id est, inflectat aliquid de maiestate, & se ad exiguum, & abiectum locum demittat.

Veni in hortum meum, soror mea sponsa: messui myrrham, &c.

4. Histor. EX his iam apparet, quid sponsa adornarit ad nuptiale conuiuiũ; & cur vocem אשישה *Asisah* quidã *placẽtas*, quidam *lagenas*, alij *vnguenta*, alij *flores* verterint; nam horum speciatim meminit sponsus, quæ se iam libasse de more, vel copiosè sũpsisse dicit. Appellat verò sponsus *hortum suum, myrrham suam, mel suũ*, &c. vel vt sponsæ vocem gratus accipiat, quæ sponsi esse omnia antè cecinerat, vel vt sibi officium gratũ esse demonstret. Nam quæ huiusmodi sunt, nostra vocamus; siue quia ab ipsius sponsi liberalitate in eum vsum data sunt: vt latiùs suprà ad illud cap. 2. *Stipate me floribus*. Iam verò singula explicemus.

Messui myrrham meam.

5. Messis de omni prouentu dicitur, sicut vindemia. HEbræum ארתי *Arithi*, quod significat *colligere quouis modo*; Septuaginta vertũt, *vindemiaui*. *Messis* verò apud Latinos non tantùm ad segetes pertinet, sed ad alia etiam multa; vnde. 4. Georgicorum Virgilius de mellificio dixit;

———*Duo tempora messis*.

Et 2. Georgicorum de vineis,

Postremum metito.———

Accommodat verò sponsus sermonem ad hortos: nam sic vocatur apparatus ille genialis; perinde atque si ex ipsa arbore myrrham, ex messione, seu incisione stillantem colligeret, aut ramos demeteret. Nam myrrhę ramos odoratos esse, & in pretio habitos suprà dictum est ad illud capitis 2. *Tempus putationis*.

Comedi fauum cum melle meo.

SI ad sponsam referatur oratio, mirè ostendit ipsius suauitatem; 6.
quia quemadmodum fauus totus melle stillat, & si prèmas omnino, nihil nisi mel exprimes; sic etiam ex vno melle videtur constare sponsa, illúdque abundè, suauitérque diffũdere. Sed videtur aptiùs accommodari posse ad mẽsam nuptialem. Porrò, si pro *fauo* cum LXX. legas *panem*, erit quædam descriptio placentæ, quæ suprà dicebatur contineri in אשישה. Neque à vulgatæ sensu recedit, si *fauum* figuratè accipias: nam placenta ex melle, fauo persimilis est, cuius præcipua laus esse videtur, si mellis abundantia faui pulchritudinem, & suauitatem imitetur. Fauum ergo cum melle comedisse se dicit, quia mellitam placentam, seu poppanum comederat. Hûc facit quod Ezech. 16. sponsus dicit sponsam comedisse simila㎡, & mel; & videtur ad hunc locum respexisse. Sed quia vox יער *Iaar*, propriè *fauũ* significat, qui inter mensæ delicias non vltimum locũ obtinet, sicut & in voce, אשישה dictũ magis ad textũ Hebræum vulgati versionem accõmodatè intelligemus, oblatum esse sponso mel, recens fauorum adhuc cellulis reconditum. (Fauus melita placenta.)

Veni in hortum meum.] Complexus sponsus dilectæ suæ studium, in hortum variarum virtutũ flore, fructúque conspicuum descendit, carpsítque lætus, vorauítque auidè, quicquid à sponsa paratum est, 7. (Allegor. Lacrymis conditur spiritualis cibus.)

siue illud sponsæ animum ita asperè pungat, vt lacrymas exprimat, & gemitus (quorum symbolum est myrrha, quia quod sponsę amarum, Deo, qui myrrhæ odorem, & delicias nouit, per quàm suaue est. Vt enim Ber. Serm. 30. in Cant. *Lacrymæ pœnitentium sunt vinum Angelorum, quia in illis odor vitæ*, &c. Sed multo magis Christo, quia multo magis illi lacrymæ vitam olent) siue certè eius sit generis, vt sponsæ animum mirè reficiat, perfundátque spirituali volupțate, quod in sponsi conspectu frequens, & pene familiare est, significatúrque vini, lactis, & mellis proprietate. Id verò siue spōsæ amarum, & insulsum sit, siue gratum, atque omni suauitate conditum, suum appellat, vel quia à se profectum, vel quia ab alio oblatum, vel certè quia ad suum stomachum quàm bellissimè apparatum est.

8. Pœnitentia primū parat ferculum. Illud verò obseruandum est, in hoc spirituali, ac geniali conuiuio primum ferculum esse myrrham, quia vbi quis mysticum hoc connubium ambit, lacrymas plerũque, ac gemitus primùm offert. Quare, vt gratiam quis à Deo ineat, pœnitentiam agere iubetur. Ita clamat Petrus Act. 2. & huius casti connubij pronubus Baptista, Ioannis cap. 1. & Lucæ 3. Hoc verò ferculum adeò appetit famelicus sponsus, vt antè sumpserit, quàm ab sponsa ad illud videatur inuitatus. Nam cùm dixisset sponsa; *Veniat dilectus in hortum suum, & comedat*, respondet venisse se iam, & comedisse. Et primùm myrrhæ meminit: *messui*, inquit, *myrrham meam*; id est, impleui manus copiosis manipulis exultans gaudio, sicut qui lætantur in messe. Spes exercitatur peccatori. Quæ res exhilarare debet vehementer eum, qui post innumera etiam peccata, ad Deum redire meditatur. Habet enim quo splendidum, & coniugale Deo conuiuium instruat, & quo plura antecesserunt peccata, eo maiorem sponso myrrhæ messem offerre potest. Peccatum enim radix est amaritudinis, quę licèt ad amaritudinem prouocet Deum, Oseæ 14. ex ea tamen radice erumpit illa myrrha, quam metit sponsus, sumítque, non aliter, atque ille, qui diuturnam sitim magno æstu contractam explere cupiat. Quare vix dum stillantem à suo stipite myrrham colligit: idcóque diuinum Austrum adspirare facit, qui suo tepore, quod frigidum, & durum est, laxet, ac molliat, & de quodam quasi saxo fontem lacrymarum excutiat.

Cætera, quæ deinde sponsa offert, *fauum*, *lac*, *vinum*, dulcia sunt, & longè supra mel, & fauum; non sponso tantùm, cui gemitus carmen, & lacrymæ pabulum, & delicias præbent, sed etiam animæ, quæ iam ad diuini sponsi complexum venit. Hæc verò sunt illa gaudia, quæ stato, atque legitimo successu gemitus, & lacrymas consequuntur.

Bibi vinum meum cum lacte meo: comedite amici, &c.

VBi sponsus libauit suas illas, sponsæque delicias, videtur dixisse omnia illa quæ nuper dicta; scilicet, vt studio tuo, rogatuíque obsequerer, veni in hortum tuum, comedi, bibi, &c. nunc reliquum est, vt hæc tua dona cum his amicis sodalibúsque communicem, qui honoris, ac beneuolentiæ causa nostris nuptiis interfuerũt. Quare adeste charissimi, 9. Histor.

rissimi, & quantùm vobis ex hac mensa libuerit, ad satietatem vsque, & ebrietatem sumite.

Ebrietas pro abundantia.

Illud verò *inebriamini*, non significat propter crapulam alicui mentem eripi, aut aliquid pati, quod cuipiam pudori, aut ignominiæ futurum sit; sed iuxta Hebraicam phrasim significat abundantiam. Ita Hieron. super cap. 14. Oseæ, & cap. 3. Ieremiæ, & Aug. lib. qq. in Genesim, q. 144. vbi dicit in conuiuio Ioseph eius fratres non sic inebriatos, vt mente sint emoti, sed bibisse ad satietatem. Quo sensu terra dicitur inebriata Ps. 64 & Aggæi cap. 1. *Comedistis, & non estis satiati, bibistis, & non estis inebriati*, id est, non omnino sitim depulistis.

10. Cur hoc loco lac vino misceatur, obscurum est. Quidam in *lacte* vinũ intelligunt album, quorum sententiæ non parum fauet proxima clausula, in qua *mel* bis adhibetur, semel in suo nomine apertè, iterum obscuriùs in *fauo*. *Comedi fauum cum melle.* Eodem dicendi modo statim dicitur: *Bibi vinum meum cum lacte meo.* Quare idem videtur esse lac, & vinum. Ita putant quidam ex Hebræis, vt docet Abenezra, qui tamen illorum sententiam non probat. Docet tamen apertè Chaldæus: *Suscepta est*, inquit, *coram me libatio vini antiqui, & rubicundi, & vini albi.* Et quidem lac esse poculentum, multisque locis esse pro potu, satis est compertum. Homerus quosdam Scytharum, Getarum, & Nomadum Galactopotas, id est, potatores lactis appellat. Et id ipsum Galenus docet lib. 1. ad Glauconem. De Scotis tradit, item de Tartaris Ioannes Bruyerinus lib. 14. c. 1. de re cibaria. De Æthiopibus res est certa, à quibus ego hoc ipsum accepi. Quod vsitatũ esse inter Hebræos, indicat interitus

Lac multis nationibus poculẽtum.

Sisaræ, Iud. cap. 4. cui Iahel aquam petenti lac dedit, optimum videlicet potum, & tanto viro non indignum. Sed docet apertè Ezechiel cap. 25. *Idcirco ego tradam te Orientalibus in hæreditatem, & collocabunt caulas suas in te, & ponent in te tentoria sua. Ipsi comedent fruges tuas, & ipsi bibent lac tuum.* Et Isaiæ cap. 55. cùm sitientes aduocasset, vtique ad potum, absque argento, & absque vlla commutatione, offert vinum, & lac. Sic fortasse hoc loco, non tam sponso lac esculentum, quàm poculentum fuit. Vinum autem fuisse non puto, quia sine causa significatio propria deserenda non est: & quia præter pauculos, ita sentiunt frequentes alij Interpretes. Vide quæ diximus ad illud Isaiæ cap. 55. *Omnes sitientes.*

Iud. 4.

Ezec. 25.

In his nuptialibus festis, sicut in alia quauis celebritate solemniori dona spargi, quæ missilia dicuntur, omnibus fermè Gentibus commune est. De Romanis aliquid dictum cap. 4. in illud; *Emissiones tuæ.* Et indicat Iuuenalis Sat. 6. vbi tradit, peracto conuiuio dona quædam conuiuis dari, quæ vocantur mustacia, forsan placentæ genus. Sic ille: 11.

11. In lætioribus festis dona spargi solita.

——Ducendi nulla videtur
Causa, nec est, quare cœnam, & mustacia perdas,
Labenti officio crudis donanda.——

Quæ dona dicuntur apophoreta, de quibus multa Martialis in lib. 14. & Ambrosius in exhortatione ad Virg. Quòd verò apud Hebræos id in vsu fuerit, argumento est Psalmus 67. vbi, cùm Deus dicatur populum Israëliticum tanquam sponsam in currum sustulisse, hominibus etiam dicitur distribuisse munera. *Ascendisti*, inquit, *in altum, cepisti captiuitatem:*

fores ornare coronis, & ramis conuestire, & illarum foribus oscula imprimere, & saltem inanem illam voluptatem captare. Denique ea faciunt, ac perferunt amantes, vt eorũ labores, & curæ non dissimiles sint illis, quibus in castris durè exercentur milites. Et certè qui verè, & ex animo amat, nisi amantis nomen habere otiosum velit, multa suscipiat, multa subeat necesse est.

17. Quod ergo intemperanter, & vitiosè faciunt amatores isti vulgares, & amentes, id castissimè, atque laudabiliter facit cœlestis sponsus; imò plura facit, quàm de impuro illo, atque vesano amore, aut tradit, aut fabulatur Antiquitas. Huiusmodi igitur blanditiis diuinus spõsus sponsam allicit, quòd perferat incommoda eius gratiâ proponit, vt nocturno rore capilli madeant, vt ex cincinnorũ fimbriis stillæ dependeant, vt si minùs amore, at misericordia adducta, ægrè, ac miserabiliter clamanti sponso fores aperiat.

18. *Quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.*] Hunc locum expressisse videtur Anacreõ qui Ode 3. inducit puellam, quæ ægrè fert quemdam noctu pulsare fores, & somnum turbare: alium autem ad fores dicentem, se rore madere; à cuius postea cincinnis ros nocturnus exprimitur. Porrò ad hunc locum pertinet oratio illa longa, quam sponsa reperit suprà cap. 2. *En dilectus meus loquitur mihi; Surge, propera*, &c. Nam tota illa oratio eò spectat, vt proposita veris commoditate, agriq; deliciis rus euocet sponsam, id est, in hortos vbi geniales fiant, & nuptiales ludi. Quod hîc etiam agit sponsus, & tandem assequitur; quia ad extremum, etiamsi per varia incommoda, sponsam in hortum cum puellis Solymitanis deducit.

Hîc tandem obserua ex ea oratione longa, qua ex lecto, atq; quiete molli sponsus ad agrum, id est, ad nuptiarum sacra peragenda vocauit sponsam; hîc illa reperi, quæ sponsus dura pertulit, vt thalami compos fieret; quibus vt contrà responderet sponsa, nocturno eodem, & pruinoso tempore non leuia pertulit incommoda: in cap. autem 2. illa proponi, quæ remouerent illa impedimenta, quæ ab agro retardare, & alia, quæ in agrum allicere sponsam poterunt. Quod fecit opportunè sponsa, admonita ab illa sponsi sui ad filias Ierusalem adiuratione, qua vetat, ne somnum quisquam obturbet dormientis. Nam, vt vox illa vim prodit singularis amoris, & indulgentiæ; sic etiam omnia, quæ statim eodem cap. 2. subiiciuntur, quæ mirè seruiunt voluptati, quæ ex agro, & hortis sumi potest.

Porrò cincinnatos esse viros, maximè adolescentes, id est, habere crines, aut discriminatos in cirros, aut in annulos, & globos inflexos, docent septem crines Samsonis, qui potiùs fuère funiculi, aut plocami. Lxx. σειρὰς vertunt, id est, *catenas*. Sanè Romanis crines intorqueri solitos non semel datum probro est, idq; in antiquis nummis passim videmus. De Aphricanis puto idẽ esse dicendũ. Certè apud me est argenteus nummus, in quo Iuba Mauritaniæ Rex crines habet patrio, vt reor, more, in resticulas diuisos, & alij plures ærei, in quibus Pœnorum cirratæ spectantur effigies.

Cincinati hominum crines.

Ego dormio, & cor meum vigilat.] 19. Allego.
Reperendum hîc est, quod suprà in cortice docuimus, hanc spõsæ mollitiem, & somnum accidisse ante hoc

hoc tempus, quando nimirum euocata est ad hortos sponsa, vbi peracta sunt, quæ nuptialis ritus, & forma præscribunt. Hęc verò, quæ spōsa de se hoc loco cōmemorat, passa tunc est, quādo adhuc erat in amore rudis, quo tempore ambibat quidem sponsus arcanas illas nuptias, non inierat. Tunc autem dormiebat sponsa somnum illum, qui torporem quemdam, aut teporem inducit in amorem, à quo excitabatur sponsi vocibus, crebróque ad ianuas pulsu. Erat autem vigilanti, quàm dormienti propior, quia somnus ille, cui obstrepebat diuina vox, non patiebatur otiosum esse omnino illud otium, & quietem illam esse sine perturbatione.

Deus dormientem excitat, & torpentē acuit.

Hinc apparet quomodo Deus salutem nostram priùs moliatur; vt offerat se non vocatus, vt tanquam expugnaturus arcem, quam aduersarius priùs occupauerat, atque munierat, omnes adhibeat machinas amatorias; de quibus cap. 2. fusiùs, vbi explicatur oratio illa longa, quā sponsus habuit ad pigritantem spōsam, vbi ad expugnandum eius animum charitas est ordinata, id est, instructa charitatis acies.

20. Peccatoris inurbanitas.

Et sanè mirum est, quòd cùm *sororis, sponsæ, columbæ*, atque *immaculatæ* nomen audierit à tanto sponso, pigritaret tamen, neque ita respōderet, vt ingenuam decebat. Sed hîc Spiritus sanctus quàm appositissimè expressit inurbanitatē nostram, aut mētis stuporem, qui cùm hæc aut certè non admodùm dissimilia, ab eodem audiamus, lenti tamen sumus ad aperiendum. Eo verò tempore, quo Deum extra domum nostram pernoctare sinimus, id est, dum nolumus à peccato recedere, causas obtendimus non minùs leues, aut inuerecundas, quàm nunc sponsa; quæ eò spectant omnes, ne aliquid commoditatis amittat, aut ne aliquid laboris assumat. Optimè verò Nyss. Orat. 11. in Cant. quatuor illas voces, quibus molliter animam alloquitur Deus, claues esse dicit, quibus aperitur occlusa ianua; licèt alio magis arcano sensu. Sed ad sententiam, quam sequimur, accommodatè claues sunt voces illæ blandæ, quæ obstinatæ mentis, aut aditum aperiunt, aut duritiem emolliunt. At quod statim subditur, *quia caput meum plenum est rore*, non solùm aperire, sed etiam fores reuellere, sed etiam ferreos obstinationis vectes confringere potens est. Quo verò modo dici formosa, & sponsa possit, quæ nondum spōso portam aperuerat, dictum est cap. 2. in illud, *Facies tua decora*.

Claues animi diuina vox

Expoliaui me tunica mea.

QVidam hoc loco sponsam à desidia vindicant, & inurbanitate, tribuúntque potiùs modestiæ: neque enim exire seminuda, aut certè raptim, & indecorè vestita tanti sponsi oculis occurrere debuit. Sed hi dum sponsum tuerit volunt, sponsi humanitatem, & officium deserunt, qui si hæc ex ipsius amore, atque obseruantia nata fuissent, non aliò declinasset, cùm ex lecto sponsa tandem exiliit; neque pateretur tandiu vagari tota vrbe, si nihil ex eo facto commeruisset pœnæ; maximè cùm subdat lotos esse pedes, & videri sibi graue si rursus inquinentur. Vera ergo causa est, quia ægrè ferebat lectum relinquere, subire nocturnum rorem, & quam deposuerat tunicam, iterum resumere. Quare digna fuit, quam spon

21. Histor.

4 *Dilectus meus misit manum suam per foramen; & venter meus intremuit ad tactum eius.*

4 Cùm verbis tam ad leniendam ferarum immanitatem potentibus, nihil tamen à meo stupore, atque duritia sponsus obtineret, rem aliter tentat: mittens enim per portarum rimulas exploratores digitos, pessulum ab ostio remouere aggreditur. Ego verò cùm rem eò deductam esse video, grauiter animo commota tota cohorrui; non tam mea, quàm sponsi causa; cùm eum mea rusticitate, atque inclementia ad illud consilium, quod in amante pene extremum est, adegissem.

5 *Surrexi, vt aperirem dilecto meo, manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima.*

5 Commouit me tamen tam pertinaci conatu sponsi studium, vt socordiam, & inurbanitatem abiicerem. Quare statim è lectulo consurgo, & vt offensum mea inclementia sponsi animum aliquo officio lenirem, manus meas aspersi probatissima myrrha, vt illis stillantibus, & sponsum exciperem humaniùs, & gratum illi odorem offerrem.

6 *Pessulũ ostij mei aperui dilecto meo: at ille declinauerat, atque transierat.*

6 Feci quod ad extremum sponsus facere tentauerat, remoui pessulum, vt sponsum admitterem: at ille iam aliò declinans subduxerat sese.

Anima mea liquefacta est, vt dilectus loquutus est. Quæsiui, & non inueni illum, vocaui, & non respondit mihi.

O me omnino stupidam, & amentem, quæ non statim atque sponsus loquutus est, ad aperiendum exilij! Exciderat planè tunc mihi mens, atque consilium, cùm illum, quem mille votis expetere, atque accersere debueram, oblatum vltrò, imò & supplicem tam barbarè repulerim. Sed dedi postea pœnas mea rusticitate dignas: quæsiui enim illum, & non inueni, & cùm eius nomen sæpius inclamarem, non respõdit mihi. Quid

7 *Inue*

Quid autem in quærendo ſponſo mihi contigerit, paucis accipite.

7 Dum in vnum ſponſum intenta per vicos, & plateas incertis erro veſtigiis, incidi in vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem; qui quaſi ſponſi iniuriam vellent vlciſci, percuſſerunt me, inflictiſq; plagis, & erepto pallio talem dimiſerunt, qualem orto iam Sole cùm dilectus occurrit, aſpexiſtis me.

7 Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem, percuſſerunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt palliũ meũ cuſtodes murorum.

8 Cùm à ciuitatis cuſtodibus nihil præter plagas acciperem, quò meum mihi dolorem conſolarer, ad filias Ieruſalem animum, vocémque conuerto. Idiuro, inquio, vos ô filiæ Ieruſalem, ſi vobis ſponſum meum inuenire contingat, vt nuntietis ei, non quòd per nocturnas tenebras, & inſidias multorum iniuriis, & periculis expoſita vagor: aut quòd durè accepta ſum ab vrbis cuſtodibus, ſed quòd ipſius amore omnino conficior.

8 Adiuro vos, filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum meũ, vt nuntietis ei, quia amore langueo.

9 Filiæ verò Ieruſalem, quæ mihi tunc ad quærendum ſponſum ſocias ſe præbuerunt, & nunc præſentes mecum ſponſi liberali, ac ſplendida menſa fruuntur, adfuerũt mihi in ea perturbatione, ac ſollicitudine, & his à me verbis de ſpõſo rogant. O fœminarũ pulcherrima, quando tam ſeuerè adiuraſti nos, ede ſigna certa, quibus dilectum tuũ, quem eximium inter dilectos eſſe clamas, ab aliis cognoſcamus.

9 Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima mulierum? Qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, quia ſic adiuraſti nos?

10 Accipite omnino filiæ Ieruſalem, certa ſigna; ſi de colore agitur, candidus eſt, & rubicundus. De reliquis hoc habetote, eam ineſſe ſpeciẽ in ore, cum eſſe totius corporis ha-

10 Dilectus meus cãdidus, & rubicundus, electus ex millibus.

bitum, vt ex omnibus, qui bene de formis iudicaret, illum vnum eligeret: quare vbi vbi est, latere nullo modo potest. Ipse se vobis cognoscendum prodet, nihilominus, vt vestro desiderio, & meo etiã amori ex parte satisfaciam, hæc ex multis pauca signa accipite.

11 *Caput eius aurum optimum, comæ eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus.*

11 Coronam gestat in capite ex auro optimo capillis impositam, qui quoad formam, & elegantiam crispi sunt, & eo modo in cincinnos intorti quo palmarum elatæ; quoad colorem nigri, atque nitentes, qualis in coruis color est.

12 *Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident iuxta fluenta plenissima.*

12 Oculi eius sicut columbæ, quæ puros in riuis liquores amant; seu potiùs columbarum similes imagini, quæ ab aqua purissima tanquam à lucidissima crystallo repercutitur.

13 *Genæ illius sicut areolæ aromatũ cõsitæ à pigmentariis: labia eius lilia distillantia myrrham primam.*

13 Genæ ipsius primo iuuenilis ætatis flore, id est, molli barbæ lanugine vestitæ, similes sunt odoratis herbis, aut floribus in areola, aut calathis à pigmentario dispositis. Labia verò colore referunt illud liliorum genus, quod purpureum est, quibus ea inest suauitas, vt probatissimos ex se myrrhæ liquores stillare putes.

14 *Manus eius tornatiles aureæ, plenæ hiacynthis; venter eius eburneus; distinctus sapphiris.*

14 Manus eius verè aureæ sunt, & quasi torno perfectæ, aut propter natiuam pulchritudinẽ, aut propter aureos annulos, qui circulares sunt, & quales opere tornario fiunt. Ornamentum autem ventris, siue illud vestis genus sit, siue baltheus, candidum est instar eboris, distinctum, & quasi stellatum sapphiris.

15 *Crura* 15 Cru

15 Crura illius columnæ marmoreæ quamsimillima sunt: à materia enim id habent, vt candida sint; à figura, vt recta, ab vtroque, vt bella sint, & firma. Quæ super bases aureas fundata ideo videntur, quia calcei, qui crutibus substernuntur, inaurati sunt, aut insignes auro. Sed quid minutim omnia persequor? Species, & & ornatus eiusmodi est, vt in sponso videre te putes pulcherrimi montis Libani amœnitatem, & varietatem incredibilem. Neque in dilecto abest, quod in Libano præcipuum est; nam procerus est, sicut cedri, quæ illi monti familiares sunt.

15 *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas. Species eius, vt Libani, electus vt cedri.*

16 Nonsolùm quæ insunt sponso meo, gratissima sunt, sed quæ ab illo exeunt. Quare guttur ipsius suauissimum est, siue sermonem, qui ab ore, siue halitum, qui à gutture expiratur, consideres. Denique, vt vno verbo complectar omnia, totus desiderabilis est. Hic est dilectus meus, filiæ Ierusalem.

16 *Guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis; talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus, filiæ Ierusalem.*

17 Ex tuo studio, atque languore, ô pulcherrima mulierum, tum etiam ex signis, quibus dilectum tuum nobis descripsisti, iniecisti nobis illius videndi desiderium. Quare cùm illius iam abs te indicia certa, & notas habeamus, dic quam in partem illum declinasse suspiceris, & eodem tecum studio illum inuestigabimus.

Adolescentulæ.

17 *Quò abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum? quò declinauit dilectus tuus, & quæremus eum tecum?*

IN

IN CAPVT QVINTVM COMMENTARIVS.

Veniat dilectus meus in hortum suum, &c.

1. Histor. LAudarat sponsus hortum sponsæ, siue sponsam ipsam instar horti ornatam variè, & suauiter olentem: siue flores, pomáque ita aptè contexta; vt horti speciem amœnissimi referant. Sponsa igitur sponsi sui humanitati gratificata, ait ornatum illum, & abundantiã in sponsi gratiã esse quæsitam: quare veniat liberè, suóque arbitratu capiat, quæ sibi visui, ac voluptati duxerit; nam qualis, quantúsq; est, totus sponsi est, illi scilicet apertus vni, cæteris omnino clausus.

Comedat fructus pomorum suorum.

2. DIctum est nuper *pomi* nomine intelligi quidquid in pretio, atque deliciis esse solet; id enim valet מגדים *Megadim*: fructus verò pomorum sunt vnguenta, quæ ex nardo, myrrha, &c. fiunt, & quicquid contineri diximus in voce אשישה *Asisah*, quæ ad voluptatem, & munificentiam genialẽ comparata sunt, quæ *horti* etiam nomine commodè explicantur; nã & hic variarum rerum, quæ voluptati sunt, varium habere solet, & copiosum prouentum; vnde subditur, *Veni in hortum meum.*

3. Allegor. Sponsa fidelis in suo sponso pectitate. *Veniat dilectus meus in hortum suum.*] Appellata fuerat paulo antè sponsa à dilecto suo *hortus conclusus*, generosis plantis consitus, & illustris, quem vbi incitatior aliqua perflasset aura, mirificos in omnem partem halitus diffunderet. Nunc sponsa significat, vnde habeat tantùm amœnitatis, & ornamenti, scilicet ex sponsi ingenua, ac liberali manu: quare hortum illum non suum sibi canit, sed sponsi, idque nõ vno, sed multis nominibus. Vel quia, quidquid est fructus, ab ipso est, vel quia ad ipsum pertinet; neq; enim vult grata spõsa, vt quisquam vel minimã partẽ fructus decerpat præter illũ, cui prouentus debetur totus. Pro, *veniat*, LXX. legũt, *descẽdat*, quod & modestiã prodit, & singularẽ obseruantiam sponsæ, altè, vt decet, de tanti spõsi maiestate cogitãtis. Instructus erat hortus ille sanè pulcherrimè, quẽ pro sua dignitate Regius sponsus Christus ornarat; excoluerat sponsæ animum iis virtutibus, quas *emissionum*, vel *propaginum* nomine nuper expresserat. Quia tamen aliquid studij sui, atq; operæ agnoscit sponsæ modestia, quod tantæ amœnitati aliquid posset afferre fastidij, quod in pretiosa veste labes, aut in exquisito cibo facit gutta fellis, aut patellæ vilitas, ideo orat, ne indignitate eius, Dona Dei nõ infiãt. quod

quod à se esse modestè fatetur, offendatur, quominus descendat, id est, inflectat aliquid de maiestate, & se ad exiguum, & abiectum locum demittat.

Veni in hortum meum, soror mea sponsa: messui myrrham, &c.

4. Histor. EX his iam apparet, quid sponsa adornarit ad nuptiale conuiuiũ; & cur vocem אשישה *Asisah* quidã *placẽtas*, quidam *lagenas*, alij *vnguenta*, alij *flores* verterint; nam horum speciatim meminit sponsus, quæ se iam libasse de more, vel copiosè sũpsisse dicit. Appellat verò sponsus *hortum suum, myrrham suam, mel suũ*, &c. vel vt sponsæ vocem gratus accipiat, quæ sponsi esse omnia antè cecinerat, vel vt sibi officium gratũ esse demonstret. Nam quæ huiusmodi sunt, nostra vocamus; siue quia ab ipsius sponsi liberalitate in eum vsum data sunt: vt latiùs suprà ad illud cap. 2. *Stipate me floribus*. Iam verò singula explicemus.

Messui myrrham meam.

5. *Messo de omni prouentu dicitur, sicut vindemia.* HEbrçum אריתי *Arithi*, quod significat *colligere quouis modo*; Septuaginta vertũt, *vindemiaui*. *Messis* verò apud Latinos non tantùm ad segetes pertinet, sed ad alia etiam multa; vnde 4. Georgicorum Virgilius de mellificio dixit;

——*Duo tempora messis*.

Et 2. Georgicorum de vineis,

Postremum metito.——

Accommodat verò sponsus sermonem ad hortos: nam sic vocatur apparatus ille genialis; perinde atque si ex ipsa arbore myrrham, ex messione, seu incisione stillantem colligeret, aut ramos demeteret. Nam myrrhę ramos odoratos esse, & in pretio habitos suprà dictum est ad illud capitis 2. *Tempus putationis*.

Comedi fauum cum melle meo.

SI ad sponsam referatur oratio, mirè ostendit ipsius suauitatem; quia quemadmodum fauus totus melle stillat, & si premas omnino, nihil nisi mel exprimes; sic etiam ex vno melle videtur constare sponsa, illũdque abundè, suauitérque diffũdere. Sed videtur apriùs accommodari posse ad mẽsam nuptialem. Porrò, si pro *fauo* cum LXX legas *panem*, erit quædam descriptio placentæ, quæ suprà dicebatur contineri in אשישה. Neque à vulgatæ sensu recedit, si *fauum* figuratè accipias: nam placenta ex melle, fauo persimilis est, cuius præcipua laus esse videtur, si mellis abundantia faui pulchritudinem, & suauitatem imitetur. Fauum ergo cum melle comedisse se dicit, quia mellitam placentam, seu poppanum comederat. Hũc facit quod Ezech. 16. sponsus dicit sponsam comedisse similam, & mel; & videtur ad hunc locum respexisse. Sed quia vox יער *Iaar*, propriè *fauũ* significat, qui inter mensæ delicias non vltimum locũ obtinet, sicut & in voce, אשישה dictũ magis ad textũ Hebræum vulgati versionem accõmodatè intelligemus, oblatum esse sponso mel recens fauorum adhuc cellulis reconditum. 6. *Fauus mellita placenta.*

7. *Allegor. Lacrymis conditur spiritualis cibus.* *Veni in hortum meum.*] Complexus sponsus dilectæ suæ studium, in hortum variarum virtutũ flore, fructúque conspicuum descendit, carpsitque lætus, vorauitque auidè, quicquid à sponsa paratum est,

siue illud sponsæ animum ita asperè pungat, vt lacrymas exprimat, & gemitus (quorum symbolum est myrrha, quia quod sponsę amarum, Deo, qui myrrhæ odorem, & delicias nouit per quàm suaue est. Vt enim Ber. Serm. 30. in Cant. *Lacrymæ pœnitentium sunt vinum Angelorum, quia in illis odor vitæ*, &c. Sed multo magis Christo, quia multo magis illi lacrymæ vitam olent) siue certè eius sit generis, vt sponsæ animum mirè reficiat, perfundátque spirituali volupiate, quod in sponsi conspectu frequens, & pene familiare est, significatúque vini, lactis, & mellis proprietate. Id verò siue spősæ amarum, & insulsum sit, siue gratum, atque omni suauitate conditum, suum appellat, vel quia à se profectum, vel quia ab alio oblatum, vel certè quia ad suum stomachum quàm bellissimè apparatum est.

8. Illud verò obseruandum est, in hoc spirituali, ac geniali conuiuio primum ferculum esse myrrham, quia vbi quis mysticum hoc connubium ambit, lacrymas plerúque, ac gemitus primùm offert. Quare, vt gratiam quis à Deo ineat, pœnitentiam agere iubetur. Ita clamat Petrus Act. 2. & huius casti connubij pronubus Baptista, Ioannis cap. 1. & Lucæ 3. Hoc verò ferculum adeò appetit famelicus sponsus, vt antè sumpserit, quàm ab sponsa ad illud videatur inuitatus. Nam cùm dixisset sponsa; *Veniat dilectus in hortum suum, & comedat*, respondet venisse se iam, & comedisse. Et primùm myrrhæ meminit: *messui*, inquit, *myrrham meam*; id est, impleui manus copiosis manipulis exultans gaudio, sicut qui lætantur in messe. Quæ res exhilarare debet vehementer eum, qui post innumera etiam peccata, ad Deum redire meditatur. Habet enim quo splendidum, & coniugale Deo conuiuium instruat, & quo plura antecesserunt peccata, eo maiorem sponso myrrhæ messem offerre potest. Peccatum enim radix est amaritudinis, quę licèt ad amaritudinem prouocet Deum, Oseæ 14. ex ea tamen radice erumpit illa myrrha, quam metit sponsus, sumítque, non aliter, atque ille, qui diuturnam sitim magno æstu contractam explere cupiat. Quare vix dum stillantem à suo stipite myrrham colligit: ideóque diuinum Austrum adspirare facit, qui suo tepore, quod frigidum, & durum est, laxet, ac molliat, & de quodam quasi saxo fontem lacrymarum excutiat.

Pœnitentia primũ parat ferculum.

Spes excitatur peccatori.

Cætera, quæ deinde sponsa offert, *fauum*, *lac*, *vinum*, dulcia sunt, & longè supra mel, & fauum; non sponso tantùm, cui gemitus carmen, & lacrymæ pabulum, & delicias præbent, sed etiam animæ, quæ iam ad diuini sponsi complexum venit. Hæc verò sunt illa gaudia, quæ stato, atque legitimo successu gemitus, & lacrymas consequuntur.

Bibi vinum meum cum lacte meo: comedite amici, &c.

VBi sponsus libauit suas illas, sponsæque delicias, videtur dixisse omnia illa quæ nuper dicta; scilicet, vt studio tuo, rogatuique obsequerer, veni in hortum tuum, comedi, bibi, &c. nunc reliquum est, vt hæc tua donă cum his amicis sodalibúsque communicem, qui honoris, ac beneuolentiæ causa nostris nuptiis interfuerũt. Quare adeste charissimi, 9.

Histor.

rissimi, & quantùm vobis ex hac mensa libuerit, ad satietatem vsque, & ebrietatem sumite.

Ebrietas pro abundantia.

Illud verò *inebriamini*, non significat propter crapulam alicui mentem eripi, aut aliquid pati, quod cuipiam pudori, aut ignominiæ futurum sit; sed iuxta Hebraicam phrasim significat abundantiam. Ita Hieron. super cap. 14. Oseæ, & cap. 3. Ieremiæ, & Aug. lib. qq. in Genesim, q. 144. vbi dicit in conuiuio Ioseph eius fratres non sic inebriatos, vt mente sint emoti, sed bibisse ad satietatem. Quo sensu terra dicitur inebriata Ps. 64 & Aggæi cap. 1. *Comedistis, & non estis satiati, bibistis, & non estis inebriati*, id est, non omnino sitim depulistis.

10. Cur hoc loco lac vino misceatur, obscurum est. Quidam in *lacte* vinũ intelligunt album, quorum sententiæ non parum fauet proxima clausula, in qua *mel* bis adhibetur, semel in suo nomine apertè, iterum obscuriùs in *fauo. Comedi fauum cum melle.* Eodem dicendi modo statim dicitur: *Bibi vinum meum cum lacte meo.* Quare idem videtur esse lac, & vinum. Ita putant quidam ex Hebræis, vt docet Abenezra, qui tamen illorum sententiam non probat. Docet tamen apertè Chaldæus: *Suscepta est*, inquit, *coram me libatio vini antiqui, & rubicundi, & vini albi.* Et quidem lac esse poculentum, multisque locis esse pro potu, satis est compertum. Homerus quosdam Scytharum, Getarum, & Nomadum Galactopotas, id est, potatores lactis appellat. Et id ipsum Galenus docet lib. 2. ad Glauconem. De Scotis tradit, item de Tartaris Ioannes Bruyerinus lib. 14. c. 1. de re cibaria. De Æthiopibus res est certa, à quibus ego hoc ipsum accepi. Quod vsitatũ esse inter Hebræos, indicat interitus

Lac multis nationibus poculentum.

Sisaræ, Iud. cap. 4. cui Iahel aquam petenti lac dedit, optimum videlicet potum, & tanto viro non indignum. Sed docet apertè Ezechiel cap. 25. *Idcirco ego tradam te Orientalibus in hæreditatem, & collocabunt caulas suas in te, & ponent in te tentoria sua. Ipsi comedent fruges tuas, & ipsi bibent lac tuum.* Et Isaiæ cap. 55. cùm sitientes aduocasset, vtique ad potum, absque argento, & absque vlla commutatione, offert vinum, & lac. Sic fortasse hoc loco, non tam sponso lac esculentum, quàm poculentum fuit. Vinum autem fuisse non puto, quia sine causa significatio propria deserenda non est: & quia præter pauculos, ita sentiunt frequentes alij Interpretes. Vide quæ diximus ad illud Isaiæ cap. 55. *Omnes sitientes.*

Iud. 4.

Ezec. 25.

In his nuptialibus festis, sicut in alia quauis celebritate solemniori dona spargi, quæ missilia dicuntur, omnibus fermè Gentibus communeest. De Romanis aliquid dictum cap. 4. in illud; *Emissiones tuæ.* Et indicat Iuuenalis Sat. 6. vbi tradit, peracto conuiuio dona quædam conuiuis dari, quæ vocantur mustacia, forsan placentæ genus. Sic ille: 11.

In lætionibus festis dona spargi solita.

——Ducendi nulla videtur
Causa, nec est, quare cœnam, & mustacia perdas,
Labenti officio crudis donanda.——

Quæ dona dicuntur apophoreta, de quibus multa Martialis in lib. 14. & Ambrosius in exhortatione ad Virg. Quòd verò apud Hebræos id in vsu fuerit, argumento est Psalmus 67. vbi, cùm Deus dicatur populum Israëliticum tanquam sponsam in currum sustulisse, hominibus etiam dicitur distribuisse munera. *Ascendisti*, inquit, *in altum, cepisti captiuitatem:*

accepisti dona in hominibus. Vide Psalmi explicationem.

12. Item vnguenta. Quòd etiam vnguēta spargerentur in pompa ipsa, genialique traductione, aut alio quouis festiuo ludo, ac plausu, exēpla sunt aliquot apud Athenæum: nam eo modo exceptū esse Demetrium ab Atheniensibus scribit l.6.c.6.& lib.5.c.4. Antiochū Syriæ Regem in pompa in honorem Daphnes instituta magnam vim vnguentorum sparsisse tradit; & de Alexandro idem pene lib.12.cap.8. Neque aliter exceptus est Athanasius (vt refert Nazianzenus in eius laudatione) ab Alexandrinis, cùm post longum exilium ad illos est reuersus. Sed est exemplum, quod maximè locum hunc illustrat, imò quod videtur ad eius similitudinem expressum in pompa, quam Arsinoë in honorem Veneris, & Adonidis instituit, in qua, quæ dicta sunt à sponso, & quæ ex ferculo verisimiliter sparsa existimantur, quæque suprà notauimus contineri in voce אפריון, ex curru etiam, in quo Venus cum Adonide traducebatur, dispersa tradit Theocritus Idyl.15. vbi in describēdo Arsinoës ferculo, propositum sibi habuisse diximus ferculum Salomonis. Neque mihi videtur dubium sumpsisse Arsinoëm à parente doctā, ex his Canticis, quæ in illam pompam genialem comparauit, cùm nihil fingi potuerit ad illud institutū, neque illustrius, neque accommodatius. Vide Prolegomenon 5.

13. Allegor. Gaudium Dei, & Angelorū in peccatoris pœnitentia. *Comedite amici.*] Non secus atque is, qui gaudij impotens socios quærit, in quos illud quasi pondus exoneret, aut qui gustato cibo exquisitę suauitatis, amicos vocat, quibus illam raram dulcedinem impertiat; quod fecisse videtur Dauid, cùm dixit; *Gustate, & videte quàm suauis est Dominus*, Psal.33. Sic hoc loco Deus, quasi gaudium animo conceptum ferre non posset, quòd animam videat per lacrymas eò sanctitatis progressam, vt ad altissimarum virtutum extrema peruenerit, Angelos vocat, quos appellat amicos, eósque iubet tanto bono gaudere, ac sibi gratulari pro drachma, atque oue, vel adducta primū, vel reducta postquam errasset à Domini sinu: *Gaudium est enim Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente*; vel etiā pœnitentia peracta, quando sic ab omni mortali, atque terrena concretione purgatur, vt proximè ad Angelicam puritatem accedat. Gaudent ergo tunc Angeli, quia tunc noua quædam quasi accessio fit ad Angelorum numerum.

Ego dormio, & cor meum vigilat.

HInc incipit totius Epithalamij cursus, vt in Prolegomenis dictum est antea pluribus. Nam licèt ordine Dramatico hæc sit quinta scena; at ordine historico prima est. Et huic eodem ordine coniungitur, & contexitur, quod omnino in his Canticis primum est, scilicet, *Osculetur me osculo oris sui.* Narrat autem sponsa dum amici, & sodales dapibus à sponso oblatis vescuntur, quid ante ea, quę in principio posita sunt, sibi accidisset. In principio c.3. dixerat sponsa, quomodo aliquando in lectulo suo sponsum quæsiisset, qué tandem post multùm temporis, & laboris inuenit. Nunc verò illa eadem paulo fusiùs explicat, atque minutiùs, additque multa, quę in illa narratione prætermissa sunt; quia plus otij exigebat illa narratio, quod nacta est interim dum sodales 14. Histor.

oblatis

oblatis à sponso muneribus reficiuntur. Commemorat ergo, & sponsi in se officia, & suam in sponsum inurbanitatem; quemadmodum dum pulsante sponso ipsa pigritaret, & moras illi afferrent leuia quædam, ac nugatoria impedimenta, ne statim exiliret è lecto; nã & diu quæsiuit, & malè à custodibus ciuitatis accepta, atque mulctata pallio, desidiæ suæ satis cumulatè pœnas dedit. Porrò hîc non dormit sponsa, vt nonnulli volunt, sed vigilans narrat, quæ sibi priùs minimè dormiẽti cõtigerunt.

Ego dormio, & cor meum vigilat.

15. LOcus hic variè solet exponi. Rab. Salomon ita diuidit, vt illud, *Ego dormio*, ad sponsam pertineat, illud verò, *cor meum vigilat*, ad sponsum: ita vt se ipsam incuset spõsa inertiæ, atq; desidiæ, sponsum verò laudet à vigilantia, & studio. Ostendit verò maximè humanitatem sponsi, & amoris vim, quòd sponsæ dormienti inuigilet ipse, deliciásq; omnes & paret, & indulgeat. Est autẽ hæc conquestio familiaris amantibus, & ex contentione paulo amarior. Ego in lecto molliter strato lõgũ, & dulcẽ somnum secura capio; spõsus verò meus perfrigido cœlo sub dio pernoctat. Similis est oratio illa Laedomiæ apud Ouidium epist. ad Prothesilaum.

Hinc incipit Canticorũ historia.

Amantiũ inter se studia similia.

Scilicet ipsa geram saturatas murice vestes,
Bella sub Iliacis mœnibus ille geret?
Ipsa comas pectam, galea caput ille premetur?
Ipsa nouas vestes, dura vir arma feret?

Solet verò qui ardenter aliquem amat, illum vocare, *cor suum, vitam, animam*, &c. Neque est hæc sententia contemnenda: existimo tamen vtramque partem ad sponsam referri, quæ se dicit somnum duxisse tãtæ sollicitudinis plenum, vt vigilanti fuerit propior, quàm dormiẽti; nam licèt corpus languidum succumbat somno, curæ tamen priores non excidunt animo. Quæ id faciũt omnino, vt per quietem absentis sponsi acris occurset species; vt bene in amore longè dissimili Virgilius 4. Æneid.

Hærent (inquit Dido) infixi in pectore vultus,
Verbáque, nec placidam membris dat cura quietem.

Quare somnus talis vigiliæ instar cuiusdam habetur.

Vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi, &c.

INterim dum ego in illo somno perturbationis pleno sponsi mei absentis imaginem intueor; ecce audio ipsius vocem, qui dum pulsat fores, admittíque postulat, sic nomen meum frequenter, & dulciter inclamat; *Aperi mihi*, &c. Accommodat se cœlestis amator eorum ingenio, & consuetudini, qui vulgari amore capti intemperanter amicarum fores obire, incommodo etiã tempore, preces addere, & munera, & nihil non tentare ad pelliciendos animos solent. Qui quanto desiderio langueant, vt ex amore non solùm laborent, sed etiam pereant; vt extrema iã immineat fortuna, vt denique si repulsam ferant, ægritudinis medicina petẽda sit à præcipitio, siue laqueo, & huius generis quã plurima alia ingeminãt; quotũ exẽpla apud externos obuia. Solẽt præterea earũ, quarũ ambiunt nuptias, 16.

Amoris vehen̄entis effectus, & significatio.

fores ornare coronis, & ramis conuestire, & illarum foribus oscula imprimere, & saltem inanem illam voluptatem captare. Denique ea faciunt, ac perferunt amantes, vt eorũ labores, & curæ non dissimiles sint illis, quibus in castris durè exercentur milites. Et certè qui verè, & ex animo amat, nisi amantis nomen habere otiosum velit, multa suscipiat, multa subeat necesse est.

17. Quod ergo intemperanter, & vitiosè faciunt amatores isti vulgares, & amentes, id castissimè, atque laudabiliter facit cœlestis sponsus; imò plura facit, quàm de impuro illo, atque vesano amore, aut tradit, aut fabulatur Antiquitas. Huiusmodi igitur blanditiis diuinus spõsus sponsam allicit, quòd perferat incommoda eius gratiâ proponit, vt nocturno rore capilli madeant, vt ex cincinnorũ fimbriis stillæ dependeant, vt si minùs amore, at misericordia adducta, ægrè, ac miserabiliter clamanti sponso fores aperiat.

18. *Quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.*] Hunc locum expressisse videtur Anacreõ qui Ode 3. inducit puellam, quæ ægrè fert quendam noctu pulsare fores, & somnum turbare: alium autem ad fores dicentem, se rore madere; à cuius postea cincinnis ros nocturnus exprimitur. Porrò ad hunc locum pertinet oratio illa longa, quam sponsa repetit suprà cap. 2. *En dilectus meus loquitur mihi; Surge, propera,* &c. Nam tota illa oratio eò spectat, vt proposita veris commoditate, agriq; deliciis rus euocet sponsam, id est, in hortos vbi geniales fiant, & nuptiales ludi. Quod hîc etiam agit sponsus, & tandem assequitur; quia ad extremum, etiamsi per varia incommoda, sponsam in hortum cum puellis Solymitanis deducit.

Hîc tandem obserua ex ea oratione longa, qua ex lecto, atq; quiete molli sponsus ad agrum, id est, ad nuptiarum sacra peragenda vocauit sponsam; hîc illa repeti, quæ sponsus dura pertulit, vt thalami compos fieret; quibus vt contrà responderet sponsa, nocturno eodem, & pruinoso tempore non leuia pertulit incommoda: in cap. autem 2. illa proponi, quæ remouerent illa impedimenta, quæ ab agro retardare, & alia, quæ in agrum allicere sponsam poterunt. Quod fecit opportunè sponsa, admonita ab illa sponsi sui ad filias Ierusalem adiurátione, qua vetat, ne somnum quisquam obturbet dormientis. Nam, vt vox illa vim prodit singularis amoris, & indulgentiæ; sic etiam omnia, quæ statim eodem cap. 2. subiiciuntur, quæ mirè seruiunt voluptati, quæ ex agro, & hortis sumi potest.

Porrò cincinnatos esse viros, maximè adolescentes, id est, habere crines, aut discriminatos in cirros, aut in annulos, & globos inflexos, docent septem crines Samsonis, qui potiùs fuère funiculi, aut plocami. LXX. σειρὰς vertunt, id est, *catenas*. Sanè Romanis crines intorqueri solitos non semel datum probro est, idq; in antiquis nummis passim videmus. De Aphricanis puto idẽ esse dicendũ. Certè apud me est argenteus nummus, in quo Iuba Mauritaniæ Rex crines habet patrio, vt reor, more, in resticulas diuisos, & alij plures ærei, in quibus Pœnorum cirratæ spectantur effigies. Cincinati hominum crines.

Ego dormio, & cor meum vigilat.] 19. Repetendum hîc est, quod suprà in Allegor. cortice docuimus, hanc spõsæ mollitiem, & somnum accidisse ante hoc

hoc tempus, quando nimirum euocata est ad hortos sponsa, vbi peracta sunt, quæ nuptialis ritus, & forma præscribunt. Hęc verò, quæ spósa de se hoc loco cōmemorat, passa tunc est, quãdo adhuc erat in amore rudis, quo tempore ambibat quidem sponsus arcanas illas nuptias, non inierat. Tunc autem dormiebat sponsa somnum illum, qui torporem quemdam, aut teporem inducit in amorem, à quo excitabatur sponsi vocibus, crebróque ad ianuas pulsu. Erat autem vigilanti, quàm dormienti propior, quia somnus ille, cui obstrepebat diuina vox, non patiebatur otiosum esse omnino illud otium, & quietem illam esse sine perturbatione.

Deus dormientem excitat, & torpentè acuit.

Hinc apparet quomodo Deus salutem nostram priùs moliatur; vt offerat se non vocatus, vt tanquam expugnaturus arcem, quam aduersarius priùs occupauerat, atque munierat, omnes adhibeat machinas amatorias; de quibus cap. 2. fusiùs, vbi explicatur oratio illa longa, quã sponsus habuit ad pigritantem spósam, vbi ad expugnandum eius animum charitas est ordinata, id est, instructa charitatis acies.

20. Peccatoris inurbanitas.

Et sanè mirum est, quòd cùm *sororis, sponsæ, columbæ*, atque *immaculatæ* nomen audierit à tanto sponso, pigritaret tamen, neque ita respóderet, vt ingenuam decebat. Sed hîc Spiritus sanctus quàm appositissimè expressit inurbanitatē nostram, aut mētis stuporem, qui cùm hæc aut certè non admodùm dissimilia, ab eodem audiamus, lenti tamen sumus ad aperiendum. Eo verò tempore, quo Deum extra domum nostram pernoctare sinimus, id est, dum nolumus à peccato recedere, causas obtendimus non minùs leues, aut inuerecundas, quàm nunc sponsa; quæ eò spectant omnes, ne aliquid commoditatis amittat, aut ne aliquid laboris assumat. Optimè verò Nyss. Orat. 11. in Cant. quatuor illas voces, quibus molliter animam alloquitur Deus, claues esse dicit, quibus aperitur occlusa ianua; licèt alio magis arcano sensu. Sed ad sententiam, quam sequimur, accommodatè claues sunt voces illæ blandæ, quæ obstinatæ mentis, aut aditum aperiunt, aut duritiem emolliunt. At quod statim subditur, *quia caput meum plenum est rore*, non solùm aperire, sed etiam fores reuellere, sed etiam ferreos obstinationis vectes confringere potens est. Quo verò modo dici formosa, & sponsa possit, quæ nondum spōso portam aperuerat, dictum est cap. 2. in illud, *Facies tua decora*.

Claues animi diuina vox

Expoliaui me tunica mea.

21. Histor.

QVidam hoc loco sponsam à desidia vindicant, & inurbanitate, tribuúntque potiùs modestiæ: neque enim exire seminuda, aut certè raptim, & indecorè vestita tanti sponsi oculis occurrere debuit. Sed hi dum sponsum tuerit volunt, sponsi humanitatem, & officium deserunt, qui si hæc ex ipsius amore, atque obseruantia nata fuissent, non aliò declinasset, cùm ex lecto sponsa tandem exiliit; neque pateretur tandiu vagari tota vrbe, si nihil ex eo facto commeruisset pœnæ; maximè cùm subdat lotos esse pedes, & videri sibi graue si rursus inquinentur. Vera ergo causa est, quia ægrè ferebat lectum relinquere, subire nocturnum rorem, & quam deposuerat tunicam, iterum resumere. Quare digna fuit, quam spon

sponsus & longo sui desiderio, & tot viarum, atque locorum errore mulctaret.

Laui pedes meos.

22. *Pedes in mœrore sordidi, in gaudio, atque cõuiuiis loti.*

Sicut qui in mœrore sũt, squalore id ostendunt, & neglecto cultu, & in his etiam pedum illuuie; vnde Thren. cap. 1. de captiua, atque abiecta Ierusalem dicitur; *Sordes eius in pedibus eius.* Et 2. Reg. 19. Miphiboseth filius Saül descendit in occursum Regis illotis pedibus. Sic contrà in gaudio ablui, atque vngi pedes solemne fuit, maximè in conuiuiis. Quæ consuetudo ex eo videtur fuisse nata, quia cùm discubitorij lecti pulcherrimis, atque mundissimis stragulis essent instrati, fieri poterat, vt à pedibus qui nõ semper mundi esse solent, aliquid sordidum illis adhæresceret. Quòd verò nudis pedibus conuiuæ discubuerint, suprà cap. 1. dictũ est. Item, quia ex pedibus inhalari solet interdũ ingratus odor. De externis indicat Plautus in Persa:

Huc, inquit, accumbe, ferte aquam pedibus.

Et Ouid. lib. 8. Metamorph. vbi Philemon, & Baucis conuiuis suis aquam calidam parant, vt lauentur. De Hebræis certius est, & antiquius: nam Abraham Genes. 18. inuitat Angelos, & orat, vt lotis pedibus sumant buccellã panis. Idem Loth cap. 19. Et c. 43. fratres Ioseph lotis priùs pedibus accumbunt mensæ. Quod officium adeò legitimum erat, debitúmque conuiuis, vt Christus exprobrarit Simoni, quòd aquam pedibus non dederit. Et in conuiuio omnium lautissimo, atque augustissimo, Discipulorũ suorum pedes lauit.

Neque tantùm in conuiuiis, præsertim lautioribus, aqua abluebantur pedes; sed etiam vnguento. Exẽpla sunt plurima apud Athenæum lib. 12. c. 3. & lib. 15. c. 15. vbi, cùm alia vnguẽta aliis corporis partibus destinata sint, Ægyptium tamen vnguentum idoneum dicit esse pedibus, ac cruribus abluendis. Persas, & Indos tradit Hieronymus in cap. 10. Dan. statim in principio, vnguẽtis vti pro balneis. Inter Romanos videtur esse minùs vsitatum: nam Plinius lib. 13. cap. 3. id tanquam rarum admiratur in Othone. Apud Hebræos fieri in conuiuiis splendidis, videtur posse colligi ex illo Iob. cap. 29. qui cùm dixisset; *In circuitu meo pueri mei*, addit, *quando lauabam pedes meos butyro.* Vnde suspicor Magdalenam nihil tentasse alienum à consuetudine conuiuiorum lautorum, cùm pedes Iesu vnguento vnxit nardino. Cùm ergo sponsa pedes abluisset in hesterno conuiuio, cùm septem dies nuptiali ritu geniales sint, & festiui, vt alibi ostendimus; & fortasse vnguento, quia in conuiuio splendido, durum illi videbatur iterum inquinare; vnde lentior ad aperiendum sponso fuit. 23. *Pedes vnguẽto aliquando loti.*

Expoliaui me tunica mea.] Frustra nonnulli ab inurbanitate sponsam defendunt; neque enim si nihil esset in sponsum commerita, tam esset grauiter à sponso mulctata. Ambros. lib. de Isaac cap. 6. dicit, sponsam tunicam illam pelliceam, quam ab Adam acceperat, depositam semel noluisse resumere. Gregor. reliquisse iam externa, quæ non tam ornant, quàm onerãt; neque in eas sordes iterum reuolui voluisse, à quibus tanto antea labore mundata fuerat. Pium id sanè, sed parum consequẽs ad filũ, textúmq; sermonis. 24. *Allegor.*

Alij

25. Deus aliquando propter Deum relinquendus.

Alij aptiùs sermonem hunc ad Ecclesiam pertinere putant, & ad ipsius Doctores, quos Deus ex quiete, atque ex secessu auocat, in quem meditationis gratiâ se ipsos abdiderant. Ita August. tract. 57. in Ioan. Greg. S. Thom. & Beda. Tunc autem spōsus proponit caput suum esse rore plenum, & cincinnos madidos nocturnis guttis, id est, ostendit populos per crines significatos, qui à capite fluunt, frigidos esse, quando charitas abest, à qua feruere possunt. Ergo spōsus hortatur Ecclesiam, vel eius Doctores, vt relinquant otium, licèt sanctum, quale est contemplationis, dénique operam, vt aperta ianua sibi aditus pateat ad frigida illorum corda, à quibus ipse exclusus omnino est.

Zelus animarum.

Quod antè Moysi populi sui duci præceperat, dum à suo conspectu, atque colloquio iubet ad cōmissam sibi plebem corrigendam descendere. Huic verò tam blandæ sponsi orationi respondent falsa Regionis specie delusi, qui cessationem à negotiis, & à sæcularibus curis sollicitudinem elegerunt, effugisse se à turbidioribus studiis, ac nuncium remisisse sordibus, quas in sæculo fœdè contractas, à sæculo iam alieni tanto sudore, lacrymísque mundauerant; neque comissuros se, vt eò se referant, vnde tanto cum labore singulari Dei beneficio tandem emerserant. Sed sanè vehementer errant, qui dum iubente Deo in turbam hominum redeunt, veterem tunicam resumi putant, aut detersas à forensi puluere sordes rursus colligi. Non enim labor ex obedientia, Deique voluntate susceptus vestem consuit antè discissam; non allinit sordes pedibus, sed pedes contrà mundos reddit, & pulchros. *Quàm speciosi*, inquit Paulus ad Rom. 10. *pedes euangelizantium pacem*! Et Paulus ipse pro fratrum salute non solùm paratum se esse dicebat orationis otium relinquere, sed etiam ad tempus Dei conspectu carere. Ad Philipp. cap. 1. *Coarctor autem è duobus, desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, multo magis melius: permanere autem in carne, necessarium propter vos*, &c. Horum ergo Doctorum stulta cogitatione, ac planè rustica offensus sponsus subducit se, & longo sui desiderio, & aliis præterea quamplurimis incommodis punit consilium illud ab errore quidem satis pingui, seu magis ab otij inani studio profectum.

Pulchrè sanè, ac verè hæc omnia, nec semel à spiritualis disciplinæ magistris repetita, apud quos illud certum, & ratum est, orationem tunc omitti oportere, quando aut officij ratio exigit, aut diuina voluntas, quocumque modo significata. Quare longè errant, peruerséque vitæ modum instituunt, qui certis quibusdam temporibus, ac spatiis sic se diuinis rebus contemplandis alligarunt, vt nefas putent inde diuelli, licèt Religionis, & charitatis ratio ad alia curanda suam operam, & studia requirat. 26. Oratio quando omittenda.

Existimo sanè hoc patere latiùs, pertineréque non solùm ad Doctores Ecclesiæ, sed etiam ad quamlibet animam, vbi species quædam proponitur eorū, quę in his arcanis nuptiis vsu euenire solent. Scilicet quemadmodū non statim occurrat anima vocanti sponso, sed causas moræ obtendat, non semper honestissimas; sed quæ speciem aliquam habeant Religionis; id verò accommodatè, & ad hominum naturam, quæ, quod durum est, atque difficile, horret, ac negligit, & ad spon- 27.

Vitia honesta interdū specie velata.

sæ statum, quæ adhuc rudis esse fingitur, & in amando segnior, licèt ab sponso prouocata blāditiis, & affecta muneribus. Honestum sanè videbatur tunicam exuisse, maximè si illam tunicam intelligas, quam captiua fœmina iubetur deponere, si modò velit Israëlitæ nubere. Deuter. 21. (qualem verisimile est fuisse illam quæ in hoc Epithalamio includitur) & turpe velle illam rursus induere. Deinde quis non probaret elegantissimi viri, atque lautissimi sponsam ita esse studiosam munditiæ, vt nolit rursus pedes inquinare, quos paulo antè mundarat? Hanc speciem, vt sibi ipsi mentiebatur, honestam, ignauiæ suæ, atque torpori præferebat sponsa: re tamen vera illam ab officio, non tam cura munditiæ, quàm inertis otij amor retardabat. Neque enim necesse fuit antiquam illam vestem resumere, cùm de nobiliori esset à sponso prouisum; neque verò raptim ornata, vt ferebat, & noctis importunitas, & crebra sponsi pulsatio; aut indecora, aut inelegans occurreret sponso, cui in aperiendo celeritas pro mille munditiis, & ornamentis esset. Et quemadmodum postea amicta pallio ad quærendum sponsum egressa, adeò non indecora visa est, vt à sodalibus pulcherrima mulierum diceretur; sic eodem ornata pallio, sponso ad ianuam occurrere potuisset. Deposuerat, credo, nuptialē vestē, id est, de amore sponsi aliquid remiserat, dum suam mollitiem, & somnum plus satis amat. Nuptialem autem tunicam esse charitatem docet Greg. Homil. 38. in Euangel. Illam ergo tunicam, dum suo genio magis, quàm sponsi voluntati obsequitur, sumere, id est, amare sponsum plusquam se ipsam, durum videbatur; ideo addidit: *Quomodo induam illam?* id est, quomodo carni, & sanguini, atque membrorum legi imperare potero, aut persuadere, vt sponso placeam, & eius amori importuno, vt apparet, indulgeam? adeò me non amem, vt è molli lecto intempestiuè surgam. Hinc illa surgendi difficultas, hinc illa aliena, atque inurbana responsio.

Idem pene de pedibus dicendum; neque enim si è lecto surgere libuisset, consilium defuturum esset, aut modus, quo pedes à luto, vel à puluere defenderet. Neque ingratum futurum esset sponso sic auidè clamanti, quòd sua causa pedes leuiter inquinaret; quamuis in hac materia spirituali neque leuiter inquinari possunt, cùm sponsi votis, & vocationi seruiunt. Quia ergo hæc magis communia, & in rei spiritualis tyrociniis frequentissima sunt, ideo in hanc explicationem magis propendeo. 28.

Dilectus meus misit manum suam per foramen, &c.

ADhibuerat sponsus omnes amatorias machinas, vt dilectæ suæ animum ad aperiendum alliceret: suum primùm studium blandis compellationibus, postea incommoda per nocturnum rorem significarat. Cùm verò illa tardior esset ad officium, & moræ causas leuissimas necteret, tētat iam quod pene extremum in ea cura potuit, non vt claustra reuelleret, aut fores effringeret, sed vt aperiret. Quare per foramen, aut rimam, quam inter vtramque portam relictam esse verisimile est, digitos misit, si quomodo remoueret obicem, qui aditum 29. Histor.

tum

tum ad ſpõſam prohibebat. Hic eſt proprius, & verus ſenſus.

Addam ego quoque aliũ, quem indico potiùs, quàm probo, quia nonnihil à vulgato diuerſus, ad mores tamen ſatis accommodatus eſt. Et quidem ſi textum conſulas Hebraicum, cum illo ſatis bellè conſentit: nam vbi vulgatus habet *per foramen*, Heb. eſt מן החור *min hachor*. Illud verò מן *min* pene ſemper ſignificat habitudinem à loco. Atque ita hîc vertunt L x x. ἀπὸ τῆς ὀπῆς, id eſt, *à foramine*, vel *feneſtra*. Illud verò חור *Chor*, non tantùm *foramen*, & *feneſtram* ſignificat, ſed etiam *cauernam*, *latibulum*, & *ſpeluncam*: quomodo interpretatur Hieronymus Nahum c. 2. Iob. cap. 3. num. 6. planè ſumitur pro cauernis, aut ſpeluncis, vbi ſylueſtres homines habitant, & qualis dici potuit à modeſta fœmina domus, in qua ipſa habitabat, & vnde à ſponſo vocabatur. Vel quia ipſa è ſyluis euocata fingitur, vtpote vinearũ, & hœdorum cuſtos: vel quia eodem tempore quaſi columba de foraminibus petræ, & cauerna maceriæ iubetur egredi. Poſſet ergo ex his ſẽſus eſſe, quem indicant L x x. *Sponſus miſit*, id eſt, remouit, *manum ſuam à foramine*, ſiue *à meo latibulo*, id eſt, pulſare deſiit. *Et tunc contremuerunt viſcera mea, quia ſuſpicata ſum illum offenſum diſceſſiſſe*. Et ita omnino experta eſt; nam cùm ad aperiendum exiliiſſet è lecto, iam ille receſſerat.

Et venter meus intremuit ad tactum eius.

30. QVidam hîc agnoſcunt tactum non omnino purum, & caſtum; ſed errant prorſus, cùm neque ſponſa eo tempore lectum reliquerit, neque ſponſus cubiculum ſit ingreſſus. Nam quis credat ab oſtio per foramen, ac rimas manum, ac digitum ad lectum vſque ſponſæ potuiſſe pertingere? Senſus ergo eſt, ſponſam ſubito quodam pauore horruiſſe, cùm videret dilecti ſui amorem eò vſque progeſſum, aut pudore confuſam, quòd tandiu ad fores expectare coëgerit tempeſtate perfrigida, aut obſeruantia, quòd tantum ſponſum præſenrem ſecum eſſet habitura. Venter autem in Scriptura non tantùm ſignificat *vterum*, ſed *cor*, & *viſcera*. Et quidem Symmachus *viſcera* vertit: quo ſenſu dicit Dauid Pſ. 31. *Conturbatus eſt in ira venter meus*; & Prouerb. 20. *Inueſtigat omnia ſecreta ventris*: & Ioan. 7. *Flumina de ventre eius fluent*. Et alia innumera.

Ad tactum eius.

HEb. עליו *Alau*, *ſuper eum*, & ita vertunt L x x. id eſt, ipſius gratia, vel propter ipſum, qui ſic tetigiſſet fores antea pulſando, & ad extremum manus per rimas inſerendo. Vel certè ſecundùm quod ipſum tangebat, id eſt, ad ipſum attinebat; nam & hoc valet aliquando, *tango*: vt, *Non me tangis hac cura*. Qua ratione dicimus, *Miſereor ſuper te*; &, *Doleo ſuper te*. Sic ergo ſponſæ viſcera ſuper ſpõſum intremuerũt, id eſt, doluerunt, quòd ſponſum ſic amantem molliter, & ad fores ſub dio noctis incommoda ſubeuntem inurbanè repulerit. Prodit verò ſe hîc amoris peſecti vis, & natura, qui non ſui cauſa, ſed amati laborat, & ſatagit. 31.

Dilectus meus miſit manum per foramen.] Vocarat Dominus quieſcẽtem animam, blanditias addiderat ad emolliendum obſtinatum ani- 32.

Allegor. Quo ordine Deus peccatorẽ excitet.

mum ſanè potentiſſimas; fores præterea crebro verberauerat pulſu: illa tamen nimis lenta ſe ipſam in lecto, tanquam porta in ſuo cardine, verſabat. Pergit adhuc oppugnare animæ deſidiã, & cùm priùs externa tantùm impuliſſet, & tanquam aliena, & quę ad illam aliquo modo pertinerent, nunc internis, & propriis vim adhibere tentat, per foramen digitum infert, terret, cōcutit, atque abiecto torpore ad aperiendum extrahit. Ita plerumque Dominus ſeſe habet in vocatione, cōuerſioneque peccatoris. Excitat, & terret dum aliena pulſat, dum vicina conuellit: pulſus ille, licèt alienis proximè impreſſus, tamẽ ex repercuſſu noſtra concutit. Noſtris deinde foribus inſultat, dum propria noſtra tangit, dum fruges aut ſiti enecat, aut ſternit grãdine, aut vrit gelu, dum famã lædit, aut odia contra nos ardere permittit. Inſtat deinde grauiùs, dum filios, aut ſi quid illis charius eſt, violenter rapit, dum morbo tentat, adducitque eò, vt nulla iam appareat à morte fuga. Hoc iã eſt ſponsũ manũ per foramẽ inſerere, qui dum in nos propiùs ſæuire videtur, & acerbiùs, tum benigniùs accipit, & illuſtriùs irradiat: & tandem ex lecto non tam quietis, quàm doloris exilire compellit. Sed huiuſmodi tactu turbatur venter, contremiſcunt viſcera, neque ſtatuunt iam amplius locum eſſe deſidiæ. Hunc ordinem ſeruauit Dominus Aggæi 2. Hunc item cum Pharaone, ſucceſſu tamen longè diſſimili.

33. Eſt autẽ viſcerum tremor ſignũ aliquod aduenientis, & inſtãtis ſpōſi, ingreſſumque in animam moliẽtis; non tamen oſtendit fuiſſe iam ad animam admiſſum. Tremebant quidem ſponſæ viſcera, foris tamen adhuc pernoctabat ſponſus. Præcedebat Deum 3. Reg. c. 19. commotio, ſed non in commotione Deus. Concuſſerat Dominus Cain, Pharaonem, Saülem, & graui metu, & longa vexatione; pulſanti tamẽ Domino, manũmque penitus per tot foramina mittenti non aperuerunt. Neque Aggæi 2. populus tot vexatus incommodis, tot conciſus plagis, ad Dominum reuerſus eſſe dicitur. Eſt quidẽ timor Spiritus ſancti donum, non quidem inhabitãtis, ſed mouentis; Trident. ſeſſ. 14. c. 4. Quòd ſi cum LXX. interpretere, quod etiam indicat textus Hebraicus, *miſit manũ ſuam à foramine*, id eſt, pulſare deſiit, iuſtiſſima eſt, & grauiſſima tremoris, atque doloris cauſa. Eſt enim irati Dei argumentum maximum, cùm dormire nos ſinit quietè, ac placidè in peccatis noſtris, neque noxium ſoporem, aut lethargum pulſu crebro, atque clamore turbat. Vide Gregor. lib. 6. Mor. c. 11. & Homi. 12. in Ezech. Hier. in illud Eze. 7. *Nō parcet oculus.*

Timor ſpiritus ſãcti donũ nō habitãtis, ſed mouẽtis.

Deus tũc iratus maximè cũ in virgã deponit.

Manus meæ ſtillauerunt myrrham.

Dubium eſt, à quo myrrha hęc allata fuerit. Quidam à ſponſo putant, qui amantium more ſpōſæ fores, & ornarat coronis (vt paulo antè diximus) & vnguento perfuderat. Quod fieri etiam ab amantibus docet Plaut. in Curcul. ſcen. 1. 34.

34. Hiſtor.

Agite, bibite, feſtiuæ fores: ſite mihi propitiæ.

Et ſcholiaſtes Ariſtophanis in Pluto, ait à Theſſalis fores Laidis vino irrigari ſolitas, vtique odorato. Et Perſius Satyr. 5.

Portæ ab amãtibus vnguentis irroratæ.

Dum Chriſidis vdas (ſcilicet vnguentis)

Ebrius

Ebrius ante fores extincta cum face canto.

Sed omnium clarissimè Lucretius lib.4. omnia hæc amatoris lenocinia coniunxit.

At lacrymans, inquit, *exclusus amator limina sæpe*
Floribus, & sertis operit, postésque superbos
Vngit amaracino; & foribus miser oscula figit.

A Iudæis ianuæ vnguētis, & floribus ornatæ.

Est autem mihi verisimile, vsitatum esse apud Hebræos, vt lætioribus, ac solemnioribus diebus ianuæ & ornarentur floribus, & perfunderentur vnguentis. Quod colligere mihi videor ex Persio Satyra 5. vbi sic de Iudæis.

—At cùm
Herodis venêre dies, vnctâq́; fenestra
Dispositæ pinguē nebulam vomuêre lucernæ
Portantes violas.—

Illud, *vnctâq́; fenestra*, in diebus Herodis natalitiis, & aliis festis vngi solitas esse fenestras, & fores suadet. Imò suspicor omnibus sabbathis à Iudæis lucernas in fenestris disponi, & vnguenta, aut vinum conditum, & odoratum diffundi. Suadet illud Senecæ epist. 96. *Accendere aliquem lucernas sabbathis prohibeamus.* Maduisse ergo verisimile est ad aliorum similitudinem, sponsi operа vnguento sponsæ fores, & pessulum, ex quibus sponsæ digitis cùm aperiret, aliquid allapsum est.

Fauet huic sententiæ vox Hebr. עבר *Aber*, pro qua vulgatus *probatissima*, quæ significat, *transiens*. A myrrha ergo hac transeunte, & decurrente manus sponsæ stillauerūt. Huius sententiæ est Genebrardus, & Rab. Anonymus; & est mihi lōgè probabilius: quia magis ex amātium consuetudine, & quia mirificè explicat diuini amatoris ingeniū, & latè patet ad mysticos sensus.

Neque est tamen improbabile, allatam esse myrrham à sponsa, qua ingredientem sponsum statim irroraret; tum quia id fœminarum munus est; & ipsa sponsa cap. 1. num. 12. suprà, vt multi putant, dicit se vnguenta in sponsi gratiam parauisse: tum quia illud amatorium officium erat eo maximè tempore opportunum, vt sponsi animus illa subrustica cunctatione subiratus leniretur. Neq; incommodat, quòd myrrha dicatur *transiens*; nam eo modo in Scriptura dicitur quod probatum, & pretiosum est. Quare pecunia transiens dicitur Genes. 23. quæ *probata* redditur à vulgato. Sic myrrha vendibilis, quia pretiosa, transiens vocatur. Vel certè cùm ex Athenæo lib. 15. cap. vltim. duo sint myrrhæ genera; alterum liquidum, stillatitium, & fluens: alterum concretum, & crassum, illo perfundimur, atque irroramur; quod transiens appellari posset, hoc ad suffitum optimum. De illo priori loquitur sponsa, quo manus abūdè impleuerat, vt excepisse spōsum videretur hilariùs, & ipsius caput nocturno rore madidum, alio rore longè nobiliori madefaceret. Dicuntur autem manus stillare myrrham, licèt illa esset vasculo conclusa; neque manus vnguento madidæ, quia vnguentum stillatitium ferebant. Qua ratione scatere dicitur aliquid, exundare, & affluere, vbi rerum copia est, etiamsi nihil ibi vel fluat, vel scateat liquidum, metaphora ab aquis aptè sumpta. Quidā, vt propriè manus spōsæ stillare intelligātur, fractū esse putant à sponsa myrothecium, dū incautè, & festinatò accurrit; seu certè quod dici poterat verisimili⁹,

35.

Duo myrrhæ genera.

sponsa vltrò vasculũ fregit, quò largiùs perfunderet sponsum vnguento. Quod credo vsitatũ fuisse apud Hebræos, sicut & nunc in multis nationibus: & argumento est Magdalena, quæ in officio non dissimili fracto alabastro Christi caput perfudit, ex Hebrææ gentis, vt reor, cõsuetudine. Sed, meo iudicio, necesse non est ista fingere, cùm aliter cõstare posset sensus. LXX. pro, *digiti mei pleni myrrha probatissima*, vertunt, *digiti mei myrrham plenam*; & subintelligendum, *stillauerunt*, aut quid simile. Plena verò dicitur perfecta, & cui nihil desit, vel ab arte vnguẽtaria, vel à natura.

36. **Manus vnguento quando perfusæ.** Sensus propositus difficilis non est, & fortasse proprius, sed multò simplicius videtur, posse dici, sponsam ex puellarum consuetudine, quæ munditiæ student (maximè earum quę sponsis placere, atque illis, & gratæ & officiosæ videri volunt, vt tradit apud Xenophontem in symposio Socrates statim in principio, & Athenæus lib. 15. cap. 14.) cùm non posset vnguentis ex more vestes aspergere, quò sponso hilariot, & officiosior occurreret; in ea festinatione, ac perturbatione fecit, quod promptum erat, vt manus vnguento vngeret nardino; quibus stillantibus, & sponsum exciperet & gratum illi odorem offerret.

37. **Allegor.** *Surrexi, vt aperirem dilecto meo.*] Vbi venter contremuit, quia propiùs iam sponsus remouendo pessulum instabat, egressa est sponsa, vt aperiret; animi enim nobiles, atque ingenui contra diuinam voluntatẽ niti diu non solent, & quæ à lecto surgere, & tantùm spatij, quantùm esset ad ianuam vsque, graue existimabat, iam per tot rerum discrimina obire non solùm ciuitatem, sed etiam agros leuissimum ducit. Et, quia offensum iure putabat sponsum, tulit secũ, quo & leniri primũ, & conciliari posse didicerat. Tulit myrrham secum, eámque probatissimam, nobile scilicet pœnitentiæ genus, quo Deum offensum esse potiùs dolet, quàm temporarię, imò & æternę cõmoditatis iacturã. Quàm verò suauiter oleat illud myrrhæ genus sponso, diximus suprà ad illud, *Messui myrrham meam*.

Porrò stillare dicuntur manus, & 38. **Pœnitentia Deum quærit.** digiti probatissima myrrha, quia opera huiusmodi sunt, vt videantur ab ingenti peccatorum dolore profecta: hi nimirum sunt fructus digni pœnitentia. Hac myrrha pessulum quoque perfunditur, quo sponsum in sponsæ conclaue intrare prohibuit, quia super illa quoque lacrymandum est, quæ diuiserunt inter nos, & Deum. Eius exemplum habemus in Magdalena, quæ cùm obseratas animi fores ad Christi vocem, & pulsum non aperuisset, exiit tandem, tulit secum myrrham (id est, lacrymas, nam myrrha quoque lacryma dicitur) qua manus, & digiti ita stillauerunt, vt quacumque pergeret, doloris sui, atque pœnitentiæ odorem reliquerit.

Quòd si myrrhinum illud vn- 39. **Quã Deus optet peccatricem animam attrahere.** guentum non tam à sponsa allatũ sit, quàm à sponso, qui inertis sponsæ fores irrorauit, aliquid hîc apparet, quod quotidie in se peccator experitur. Accipit anima à singulari Dei benignitate beneficia quàplurima, quæ tamen dũ in peccatis est, aut ignorat, aut nõ curat: vbi autem à peccato, tanquam à graui sopore excitata est, & lux noua cæcis antea oculis affulsit, agnoscit quãtùm Dei humanitati debeat, & quanta sit vis amoris eius, qui myrrhini vnguenti, id est, pretiosissimi, maximam copiam effundere, vt ad se

traheret

traheret pigritantem animam, non dubitarit.

Pessulum ostij mei aperui; at ille declinauerat.

40. Histor.

QVidā ita distinguunt, vt clausula incipiat ab eo loco, *Digiti mei*, &c. in hanc sententiam. Digiti mei pleni myrrha trāseunte per pessuli manubrium, vel ansam. Quæ explicatio fauet illi sententiæ, quæ à sponso putat allatam esse myrrham: quia cùm vnguentum per duarum portarum spatia vacua esset inspersum, necesse fuit, vt pessulum vnguento stillaret, ex quo sponsæ manus, dum aperire nititur, commaduerunt. Sed non est, quòd à vulgati distinctione, ac sensu recedamus. In Heb. est vox כפות *Caphoth*, quæ licèt à vulgato videatur esse prætermissa, reuerà sententiam nō mutat; sed paulo magis explicat. Significat enim sponsam aperuisse postitis super cardines, aut manubria pessuli, ac seræ manibus. Ita legit Gregor. Nyssenus. כף *Caph* enim *basis* est, & *fundamentum*: vt hoc loco sunt annuli, aut caueæ, quibus pessulum & continetur, & versatur. Significat etiam *manum*, vt reddiderunt LXX. & figuratè *ansas*, & *manubria*. Ex quibus intelligitur, duas fuisse portas, & per communem illarum rimam facilè potuisse sponsum digitos inferre.

41. Allegor. Multas ob causas Deus se ab amato subducit, & quo modo.

At ille declinarat.] Mirabile sanè est, quòd sponsus diuinus tam ardenter amet, tam constanter vocet, tot machinis ad se attrahere tentauerit sponsam; nunc tandem vbi abiecta desidia, & relicto lecto ad aperiendum festinabat subduxerit sese, eluseritque properantis studiū, quasi animum habeat alienum à nuptiis, aut laboris suscepti ipsum pœniteat. An nō ludus iste videtur, aut res nugatoria? Sed sanè hìc arcani aliquid est, quod admiremur, atque amemus in sponso: neq; eius digressus vna sola potest reddi, aut simplex ratio.

Prima sit, quia solet ab iis quos amat, & eo etiam tempore, quo maximè amat, tantisper abesse, vt maiori deinde cumulet gaudio. Neque tamen tunc abesse dicendus est, cū sit præsentissimus, præstétque tunc cùm abesse creditur beneficia interdum maiora: neque enim tam illum discessisse doleremus, reuocaremúsque sublatum, nisi ipse nobiscum, & pro nobis gemitibus oraret inenarrabilibus. Hoc verò sensu abesse dicitur, quando non instillat animis spiritualem illam dulcedinem, quæ sponsi indulgentiam teneris adhuc animis ostendit. Prima causa, vt maiori cumulet gaudio.

Secunda, quia etiam in perfectioribus aliquid torporis est, & ignauię in re, quæ studium contentionémque desiderat. Id ergo punit Deus sublata dulcedine, qua fouere solet, & ex parte compensare strenuorum ardorem, quod proculdubio nobis proponit hoc diuinum Canticum. Videant ergo etiam, atque etiam, qui sterilem, certè cœlesti orationem vacuam suauitate, sibi esse dolent, ne parum strenui sint, & acres in suscipiendis diuinis mandatis, humanisque voluptatibus, ac nagis respuendis: nam dum huiusmodi voluptates, & ineptias captāt, parum se ad diuinam dulcedinem accipiendam expediunt. 42. Secunda, vt leporis nos, & imperfectionis admoneat, ac puniat deficientes.

Tertia ratio est, ne si diuturnior sit, & quasi perpetua cœlestis illa suauitas, quæ ex familiari Dei congressu nascitur, propriam existimemus, nostrisque meritis omnino debitam. Ideo subtrahit illam mitissi- 43. Tertia, vt nos in humilitate contineat.

mus

mus ſponſus, qui non eſt minùs beneficus, dum abſconditus noſtræ nos infirmitatis admonet, quàm dum oculis noſtris oblatus familiariter altiori nos lumine, & maiori quadam dulcedine perfundit. Vide Auguſt. de ſcala Parad. capite 8.

Hinc ſæpe fit, vt poſtquam diuinæ liberalitatis ampliſſima dona ſumus experti, aliquid humanius, atque imbecillius patiamur, vt Iud. 15. docuit Samſon, qui poſt glorioſam Philiſtinorum cladem vexatus à ſiti, muliebriter pene eiulare coact' eſt. Docuit Elias, qui poſt clauſum reſeratúmque cœlum, poſt ignem cœlitùs miſſum, ſic expauit fœminæ ſæuitiam, vt fugeret longè ea animi conſternatione, vt mortem optauerit. Docuit Paulus, cui, ne magnitudine reuelationum extolleretur, datus eſt ſtimulus carnis, & ſpiritus Satanæ. Vide Gregor. lib. 8. Moral. cap. 20.

44. *Quarta, vt magis inflammetur amor.* Quarta ratio, vt ex amati abſentia creſcat magis, atque inflammetur amor. Solet enim, ſaltem in humanis, plerumque contingere, vt quæ præ oculis habemus, quibúſq; noſtro vtimur arbitratu, viléſcant vſu nimis familiari, aut certè minùs habeant ſuauitatis. Quare cómodè cum illis agitur, qui ſic affecti ſunt, ſi aliquando ſubtrahatur cœleſtis illa ſuauitas. Vide Laurent. Iuſtin. de connubio Verbi c. 15.

45. *Quinta, quia Deus lacrymis delectatur.* Quinta ratio, quia ſanctarum animarum lacrymæ, quæ ex ſponſi deſiderio naſcuntur, vnguentum ſuauiſſimum ſunt. Hæ ſapientiſſimũ rei vnguentariæ æſtimatorem Deũ ſic oblectant, vt præ his optima, quę ab hominum luxu exquiruntur vnguenta, fœdè puteant. Vt autem arbuſcula, quæ myrrham ſtillat, incidi ſolet, & penè dixerim, hoſtiliter diſtringi, atque nudari, vt plus fundat myrrhæ, quæ lacryma etiam appellatur; ſic quia Dominus lacrymarum ſitientiſſimus eſt, verſat interdum animos, & vexat durè, & diu, quò ſe magis illis copioſè manantibus oblectet, & expleat. Qui ergo dolet, ſi piè, atque ſapienter dolet, quòd ſanctus ſponſus abſit, quòd ſæpe audiat Dauidicum illud; *Vbi eſt Deus tuus?* quod minùs acer fuerit in eo colendo, quòd non ſtatim humanam commoditatem reliquerit, vt illi clamanti, pulſantíque aperiret; quòd tandem tantam bonitatem vel leuiter offenderit, habet quo dolorem ſuum, & deſiderium leniat, dum cognoſcit tunc ſuauiſſimè ſponſum illis lacrymis, atque ſuſpiriis paſci.

Anima mea liquefacta eſt, vt ſponſus locutus eſt.

SVnt, qui putent purgare ſe ſpõſam ab ea culpa quam admiſiſſe videbatur, dum ſpõſum foris patitur ſubire noctis incõmoda: quia nimirum ad vocem ſponſi ſubitam examinata concidit; neque repentina illa perturbatio quicquam reliqui fecit, aut conſilij, aut mentis. Sed nimiùm hi laborant in ſponſæ cauſa, in qua, vt maximè velint, non tamen omnino liberabunt à culpa. Quid enim illi excidiſſe putemus mentem, atque conſilium, quæ audire, atque notare potuit ſingula verba ſponſi? quæ obſeruauit quomodo inſertis digitis peſſulum remouere niteretur? quæ meminit depoſitam eſſe tunicam, lotos pedes? certè non erat impos conſilij, ac ſui, quæ myrrhinum vnguentum pararat, vel quo ſponſum adſpergeret, deſidięque ſuæ culpam obtereret: 46. *Hiſtor.*

vel

vel quod sponsæ more aliquid oleret nuptiale,& amatorium. Dicendum potiùs liquefactam esse animam, vbi persensit nihil esse iam propiùs, quàm vt sponsus reseratis claustris in cubiculum irrumperet, & deprehensum iri se in lecto torpentem, amoremque suum, & fidem in dubium vocari. Et hoc fortasse est quod dixit, *Venter meus intremuit.* Quòd si dicas perturbationem illam accidisse, vt sponsus loquutus est; quare non prouenisse ex eo conatu, quem sponsus ad aperiendum adhibuit; respondeo illud *vt*, non significare, *quando*, sed, *postquam*, quod apud Latinos frequens est. Postquam ergo sponsus loqui desiit, & cùm nihil verbis promouisset, manu rem agere tentauit, anima liquefacta est.

47. Sed licèt hæc videantur probabilia, tamẽ germanũ huius loci sensum existimo, non quòd se ipsam purget, aut quòd ad portarum stridorẽ expauerit, sed quòd pœnitentia ducta, quia non statim, atque loqui cœpit sponsus, è lecto prosiluerit, ac suspicata non temere subiratum abiisse, se ipsam incuset stuporis, & amentiæ. Id enim est, *liquefactã esse animã*; id est, solutã, & euanidã. Quod ostẽdit non obscurè, & textus Heb. & Lxx. versio, qui consentaneè reddunt, *anima egressa est:* ac si dicat; Quò mihi mens, quò anima abiit? quæ si non læua fuisset, tunc mihi primùm exeundũ fuit, cùm sponsus primùm loquutus est. Hispanè dicitur, *desalmado.* In eundem sensum accepit Isaias cap. 19. qui cùm significaret omne consilium excidisse Ægyptiis, ait, *& cor Ægypti tabescet in medio eius.* Vt ergo suæ stoliditatis, atque mollitiei pœnas daret, gratiámque iniret ab eo, quem non sine causa offensum putabat, egressa est statim; neque nocturnas tenebras verita, neque pericula, quæ in nocte sunt passim obuia, quorum ipsa aliquot experta est.

Anima mea liquefacta est.] Vt in cortice variè exponitur hic locus; sic etiam variè in spirituali medulla sumi potest. Liquescit primùm anima, quando ab amore sic afficitur, vt à se ipsa pene deficiens magnam aliquam subeat mutationem. Nam sicut ignis soluit congelata, & emollit dura; sic amor cordis glaciem, atque duritiem. *Liquefactio,* de qua hîc sermo, vt dicit S. Thom. 1. 2. quæst. 28. art. 5. *importat quandam mollificationem cordis, qua exhibet se cor habile, vt amatum in ipsum subintret.* Quod de vtroque amore verum est, cùm vterque igneam quandam vim, & naturam habeat. Sed cùm amor vterque animam liquefaciat, non erit difficile, ex euentu cognoscere, quo quisque amore liquefiat. Nam, vt optimè August. tract. 2. in Epist. Ioan. *Amor, quem afficit, in illud mutat, in quod amando fertur. Talis,* inquit, *est quisque, qualis eius dilectio est: terrã diligis, terra eris; Deũ diligis, quid dicam? Deus eris. Non audeo dicere ex me, Scripturam audiamus. Ego dixi, dij estis, & filij altissimi omnes.* Sicut ergo quæ liquefacta sunt, eam assumunt speciem, quã habet forma (Hispanè, *molde*) quam subeunt, ea per liquefactionem imagine deposita, quam habuerant priùs: sic etiam amor veterem figuram exurit, inurítque nouam, eius nimirum, in quem anima sic liquefacta

48. Allegor.

Amor liquefactã animã in amati similitudinem figurat.

Talis est aliquis, quale id, quod amat.

illabitur. Nam quod humidum est, ac fluidum, ab alio terminum habet,& figuram,non à se. Quare vbi ab vno vase in aliud transfunditur, prioris figuram exuit, posterioris induit.Deus autem,& ignem secum adfert,& formam,qua animam iam liquefactam informat,consignat,& imprimit.Si Christum exprimimus voce,aut sensu, Christus proculdubio animæ nostræ forma(id est,*molde*)fuit.Si Christus est loquutus,ad eius vocem cum sponsa liquescimus. Si verò alia se ostendat figura, quæ alienos mores,& sensus prodat,ab alia profectò voce concipimur,& ab alia forma figuramur.

49. *Vt sponsus loquutus est.*]Diuina vox otiosa non est,sed liquefacit animã. Dei enim *sermo est viuus,& efficax,& penetrabilior omni gladio ancipiti,pertingens vsque ad diuisionem animæ, ac spiritus,compagum quoque, ac medullarum,*&c.Et hoc verè est, animam liquefieri. Ex quo spirituales viri argumento coniectant non leui, illudi potiùs puerilitèr à dæmone, quàm à Deo sapienter instrui, qui sic audit in oratione loquentem, aut etiam interdum speciem videt augustam, & cœlesti similem, si mutari se non sentiat, & à mollioris vitæ amore ad cœlestis sponsi quærendi studium inardescere. Sic nimirum inflammabantur illi Lucæ vltimo qui diuinæ vocis vim admirati dicebant: *Nónne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via?* Hinc etiam magna spes oboritur illi,qui diu flagitiis assuetus sic induruit, vt nullum iam in se vestigium bonæ mentis inueniat, cui de meliori statu desperandum non est: nam diuina vox, modò illam ad aures, & animum patienter admittat, confringit cedros,& reuelat condensa,& corda,quæ in saxorum,aut metallorum similitudinem obduruerunt,non solùm mitigat,sed etiam liquefacit,& in aliam quandam figuram, naturámque transformat; ita vt cum sponsa verè possit canere,*Anima mea liquefacta est,*&c.

Diuini verbi vis.

Lucæ vltimo.

50. Hæc sanè verè dicuntur, & ad sensum, qui plerisque probatur,accommodatè. Sed quia aliam esse sententiam magis textui, filóque illius congruentem, suprà docuimus, aliter spiritualem sensum instituamus necesse est. Liquefactam sibi esse mentem dixit sponsa, cùm dilectus loquutus est, ac si diceret, excidisse sibi omne cõsilium, & mentem, quando nõn considerauit, quantùm sua interesset sponso occurrere, etiam non vocanti, aut quàm esset dignus sponsus,quem admitteret,imò quẽ longo labore, & tempore ex vltimis terræ finibus accerseret. Agit hoc loco sponsa personam peccatricis animæ,quæ Dei monita non curat; neque quidquam habet pensi,quòd foris extra se pernoctet, & à qua pœnas exigit ingratitudinis, atque perfidiæ violatus, atque despectus sponsus. Quòd verò peccator excors sit,& amens,id est, sine mente, & corde(quod designat *animæ liquefactio*,vel *egressus*.vt Lxx. vertunt)adeò frequens in Scriptura est, vt multis probare necessarium non sit.Quòd enim à peccatore cõsilium absit, & mens, docent illa Scripturæ loca, quæ peccatorẽ appellant cæcum, & stultum, & qui in vanum accipit animam suã; quia non videtur animam habere rationalem,qui illam ad sæcularia bona, & terrena commoda, & ad eas voluptates adiicit,quæ magis ad illam

Peccator excors, & amens.

animæ

animæ partem spectant, qua vigemus, atque sentimus. His nimirum rationalis anima excidisse videtur, aut liquefacta esse, cùm illa quibus studet, aut vegetatiua facultate exercere poruerit, aut sensitiua. Quibus aptè conuenit, quod acutè de porco dixit Chrysippus, illi animam datam esse pro sale. Potuit ergo (quæ dum animam haberet liquefactam, columba vocabatur) respondere id, quod multo posteà de Ephraim tradidit Oseas cap. 7. esse quidem columbam, verùm seductam à carnis blandimento, non habẽtem cor, quia quod facto tunc maximè opus erat, non animaduertir, neque quantùm esse momenti in sponsi verbis, considerauit.

Quæsiui, & non inueni, vocaui, &c.

51. Histor. COmmota grauiter sponsa inopinato dilecti discessu, conscia culpæ, & amoris impatiens, egreditur domo, neque indecorum putat nocturnum exitum ob talem causam. Quin etiam vocare audet non respondentem; nimirum talem se præbere voluit sponsus exanimatæ pene, & à se ipsa desidiæ pœnas exigenti sponsæ, qualem sponsa ex ignauia, atque mollitie torpens se ipsam præbuerat, dum sponsus blandè, ardenter, ac miserabiliter clamans pernoctaret ad fores.

Allegor. *Quæsiui eum, & non inueni: vocaui, & non respondit.*] Quomodo Deus imploratus abesse videatur, neque magno animi angore quæsitus, inueniatur, diximus paulo antè, & eius aliquot rationes adduximus.

Inuenerunt me custodes.

HÆc puto iocosè fieri solita in nuptialibus sacris, neque sanè otiosè; vt hac rerum imagine discant vxores viris obsequi, & eorum causa delicias abiicere. 52. Histor. Plurimùm autem refert, vt in quaque re quantùm sit indignitatis intelligant, vt in se ipsis aliquid experiantur non dissimile. Dum ergo sponsa quærit, quem iam pene ingressum sua inurbanitate repulerat, in custodes incidit ciuitatis, qui misellam domo procul aberrantem ita durè acceperunt, vt etiam manus attulerint armatas. Custodes verò ciuitatis illi dicuntur, qui custodiæ gratiâ hâc, & illâc concursantes, totam vrbem obeunt; vel qui pro murorum custodia excubias statiuas agunt. Quòd autem Hierosolymis eiusmodi custodes præpositi sint, planum fit ex illo Isaiæ cap. 62. *super muros tuos Ierusalem posui custodes.* Et Psalm. 89. *& custodia in nocte.* Vbi obiter notandum, cùm priùs cap. 3. sponsa refert nocturnum hunc exitum, & vigilum occursum, non meminisse direpti pallij, ludibrij, atque plagarum, quia cur illa commeruerit, nihil exposuerat. Hîc verò narratis sponsi ad fores excubiis, & sua stoliditate atque ignauia, optimè eius meriti proponitur pœna. Cæterùm, quæ ea nocte contigêre, sic insederunt altè sponsæ animo, vt ter in hoc Epithalamio non adeò longo repetierit. Primùm 2. cap. deinde 3. ad extremum hîc; nimirum magnum est nobilissimum sponsum rusticæ puellæ ambire nuptias, &

earum gratiâ dura pati.

53. Allegor. Verus amor, & vera pœnitentia nomen difficultatis ignorat.

Inuenerunt me custodes.] Dum nihil non tentat sponsæ sollicitudo, vt quem mollitie sua, & rusticitate repulerat, officio iam, & sedulitate reuocaret, incidit in murorum vigiles, à quibus, & accepta duriùs, & spoliata, vt videbatur, inurbaniùs, neque iniuriis, neque vulneribus retardata est, quominus in quærendi studio perseueraret; imò ex ea vexatione exagitata multo vehementiùs non solùm ipsa sponsum inuestigauit, sed ad illud opus Solymitanas puellas duces, ac socias quærit. Hoc habet nempe verus, & constans amor, vt difficultate non modò non frangatur, aut langueat, sed etiam acuat sese, & ad illam vim, quam habet propriam, externam etiam adhibeat. Sicut etiam ignis, si magnus est, acriori vento magis accenditur; idem, si paruus sit, statim in fauillas soluitur, & extinguitur.

54. Qualiter anima ad Christi nuptias à Doctore instituenda.

Obscurum autem est, quinam sint isti murorum custodes; neque enim sunt apud omnes iidem. Angelos esse dicit Ambros. Psalm. 118. octon. 7. v. 7. Psellus, & tres Patres. Iis verò id negotij videtur esse datum, vt sponsæ ignauiam detracto pallio, inflictisque vulneribus puniant. Alij Prophetas, Apostolos, & Ecclesiæ Doctores in his custodibus agnoscunt. Ita Greg. S. Thom. Beda, Bern. in Ps. *Qui habitat.* Serm. 15. Hi verò dicuntur sponsam nudare pallio, quia docent quemadmodum sponsi nudi ambiri nuptiæ debeant ab sponsa nuda: quemadmodum despicienda terrena, quia cœlestis est sponsus, carni renunciandum, quia spirituale iam connubium initur. Hoc nimirũ est, carnem grauiter vulnerari: hoc horrẽt, qui ad has vocantur nuptias, neque dum quantùm in hac nuditate, & rerum humanarum abdicatione suauitatis sit, experti sunt. Pallium tollitur, vt dicit Ambros. quando homo vetus exuitur: neque enim aliter inducitur nouus. Vulneratur verò quia fieri non potest, quin magna inferatur plaga illi, qui à communi vita, vulgarique consuetudine, ad honestiorem viuendi rationem traducitur. Hic sępe, vbi in hos custodes, id est, vitæ Euangelicæ magistros incurrit, scãdalizatus retrorsum abit: vt Lucæ 18. adolescens ille, qui multis abundabat opibus. Et certè qui arcani huius connubij pronubi sunt, sic instituunt futurã tanti Regis sponsam, vt nihil iam statuat sibi cum humanis futurum esse commercij.

55. Mali pastores valde perniciosi.

Alij murorum custodes in peiorem partem accipiunt: existimant enim eos esse, qui sponsi causæ non tam student, quàm aduersantur. Cùm autem hi multi sint, oportet omnino, vt qui sponsum quærit, id est, ad Dei seruitutem accedit, præparet animam suam ad tentationẽ. Apponius dæmones intelligit; Theodoretus Tyrannos: alij eos, qui cùm Ecclesiam custodire debeant, illam tamen suis moribus plusquam hostiliter oppugnant. Hi habitu sancto, speciéque honesta scientiam se habere legis profitentur, séque rectè viuendi viuum quoddã exemplar proponunt: sed reuerà cùm turpitudinem, atque improbitatem foueant, illísque à sua dignitate, atq; ordine honestatis, atq; virtutis pallium prætexant, virtutem ipsam pallio nudã, maléq; iactatã, & ipsi produnt, & vt aliis ludibrio sit, suo exẽplo perficiunt. De his malis murorũ custodibus, seu gregis pastoribus, multa dicuntur à Patribus grauiter, & dolẽter, à quibus tanquã à domesticis

ſticis hoſtibus multo magis oppugnata dicitur Eccleſia, quàm ab externis.

56. Cùm ergo in hos malos cuſtodes ciuitatis, aut Eccleſiæ præſides incidiſſet ſponſa, qui exanimaram confirmare, & incertam viç ad ſponſum deducere debuiſſent, deterrẽt tamẽ ab vlteriori curſu, audacius aliquid, atque improbius moliti, dũ Chriſti ſpõſam, id eſt, Eccleſiã, aut Eccleſiaſticum ordinem ſuis commodis ſeruire faciunt. Hi ergo ſponſam ornamento nudant, & quoad poſſunt inornatam profligant; lacerant gregem, non paſcunt; impellunt in barathrum, non educunt.

Tulerunt pallium meum.

57. Hiſtor. Pallium quid. SEptuaginta vertunt, *theriſtrum*, quod operimẽtum æſtiuum eſt, quo caput à Sole defenditur, ſeu, quod magis reor, quod æſtiuo tempore geſtatur à fœminis, quia leue eſt, neque pondere grauat, neque villis calefacit. Eſt autem pallium fœminarũ amiculũ, quod pro flammeo eſt illis, & humeros tegit. Hieron. lib. de ſuſpecto contubernio. *Pallium* (inquit) *interdum cadit, vt candidos nudet humeros; & quaſi videri noluerit celat feſtina, quod volẽs detexerat.* Eſſe hoc pallium pudicitiæ ſignum dicit Hieron. epiſt. ad Lætam. Quo vſam eſſe Rebeccam, quando deambulãtem in agro conſpexit Iſaac, tradit Ambr. lib. de Iſaac c. 2. & Hier. in c. 4. Iſaiæ. Et addit ſua ætate vti illo Arabicas fœminas: imò hoc eſſe ſponſale inſigne docet Nyſſenus Oratione 12. in Cant. Quare non mirum, ſi grauiter doleat ſponſa ereptum ſibi pallium, quo ſe ſponſam profitebatur eius, quem inquirebat.

Adiuro vos filiæ Ieruſalem.

REperit hîc ſponſa illa verba, quibus filias Ieruſalem obteſtata eſt, vt, ſicubi ſponſum inuenerint, nuncient ei, quanto ipſius deſiderio langueat. Vbi ingenua puella non curat, quòd percuſſa à cuſtodibus ſit, & ludibrio habita, neque de his ſpõſum certum eſſe vult; ſed tantùm quòd amoris vim ferre non poſſit; quòd ipſius deſiderio vagetur, vt corpus extra domum, ſic extra corpus anima, quæ ad ſponſũ, vbi vbi eſt, iam antè conuolarat. Quod videtur, ſi non expreſſiſſe, at certè inſinuaſſe LXX. qui conſentaneè ad textum Heb. ſic vertũt, pro *(vt nuncietis ei) quid nunciabitis ei?* Ac ſi dicat, non vt meam, imò vt ſuam iniuriam vlſcatur, non vt ereptum mihi palliũ reſtitui curet, ſed quia ab amore ipſius tanquã ab igne ſacro conficior. Norat enim mandatum hoc plurimùm habiturum eſſe momenti apud prudentem rerum æſtimatorem. LXX. vertunt, *quia vulnerata charitate ego.* Quaſi dicat, accepta à cuſtodibus vulnera ſibi eſſe non grauia, quæ verò ab amore ſunt, maximo eſſe ſibi dolori. Vbi notandum LXX. addidiſſe, *in virtutibus, ac viribus agri*; non quia ita ſit in Hebreo, ſed quia ſuperiorẽ adiurationem his adiectis complere voluerũt. Quia fortaſſe ſolemnis erat illa adiuratio, & quod plerumque ineſſe ſolet, ſupplere nulli eſſe incommodo cenſuerunt. 58. Hiſtor.

Adiuro vos filiæ Ieruſalem.] Repulſa à cuſtodibus ſponſa, confugit ad filias Ieruſalẽ, quæ multo humaniùs ipſius dolorem, & ſollicitudinem miſeratę, quàm poſſunt officiosè cõſolantur, ſuúmque ſtudium, atque operã promittũt. Hîc verò obſeruã- 59. Allegor. Qui verè amat, amat dolet incommoda, nõ ſua.

da est maximè spōsę ingenuitas, quę tot affecta incōmodis, & iniuriis, id solùm dolet, quòd sponsum offenderit, & quòd offensus abierit. Quare non vult sponsum de nocturna illa iactatione, aut de suis incommodis doceri; sed quòd ipsius desiderio, atque amore langueat. Id nempe proprium amantis est, vt sibi mortuus viuat in aliis. Quocirca quæ excepit sponsa vulnera, quia in eo excepit, quod erat iam ex amore mortuum, non sensit: sentiret vtique, doleretque maximè, si illa eadem excepisset in dilecto suo, in quem iam per amorem tota migrârat; & nunc etiam dolet sponsi dolorem. Illud vulnus ægrè afficit sponsæ animum, quod sponsus accepit, quando post imploratum sæpius sponsæ nomen, à foribus abire compulsus est.

Hîc verò obseruandum maximè, non temerè ab sponsa iuberi, vt tantùm nuncietur sponso languor ex amore, sed magna adhibita deliberatione; ideo enim quasi dubitabunda inducitur, vt est in Hebr. textu, & vertunt LXX. *quid nunciabitis ei?* deinde quasi assumpta deliberatione, quasi alia non curans, id solùm in mandatis dat, vt nuncient dilecto, quòd ex amore languida deficiat: quòd anima apud se non sit, sed in amaro, qui cùm vbi sit gentium ignoretur, ignorat etiam vbinam gentium animam suam inuentura sit. Hæc vna ratio grauissima visa est, quæ sponsum humanissimum aduocet, trahátque, vel ex vltimis terræ, imò & cœli finibus.

60. Filiæ verò Ierusalē, vt putat Psellus, Angeli sunt: vt S. Tho. & Beda, viri perfecti, qui sūt in terra: vt Greg. illi etiā viri sancti qui in cœlis agunt; & hoc verisimilius, quia hi omnes pro nobis orant, & pietatis studium regunt, & fouent. Sponsa ergo ad dilectum toto inhians animo, omnem adhibet conatum, & suum, & externum. Aduocat igitur ad sua vota externas etiam preces: quia his adiunctis collectæ vires diuinum pectus oppugnant, atque adeò expugnant vehementiùs.

Angeli, & sancti pro nobis solliciti, dū quærimus Deum.

Qualis est dilectus tuus ex dilecto?

NArrat hîc sponsa quid sibi responderint Hierosolymitanæ fœminæ, quę excitę clamoribus spōsæ, & illo nocturnæ iactationis incommodo commotæ suum studiū & operā pollicentur. Illæ ergo, quod res erat, suspicatæ, pulcherrimum esse sponsum, qui tantopere à fœmina omnium pulcherrima amaretur, rogant signa, vt edat certa, vt illum ab aliis internoscant, ne ipsæ incertæ inanem illam operam sumant. In illo verò, *ex dilecto*, Hebraismus est, vbi pro *ex*, מִן *min* ponitur, quod etiā significat, *præ*, & est sensus: Qualis est dilectus præ dilecto? i. præ dilectis, per synecdochen. Quasi dicat; quid habet præcipuum, quo alios dilectos antecellat? Et videtur allusum ad illud Psal. 44. *Speciosus forma præ filiis hominum.* Quòd verò (*ex*) in Scriptura sumatur cōparatiuè pro, *præ*, constat ex Psalm. 134. *Mirabilis facta est scientia tua ex me*, id est, præ me, id est, suprà quàm ego illam assequi possim. Neque est alia sententia, si (*ex*) sumatur in communi sua significatione; valet etenim, hunc ex dilecto, id est, ex omnibus dilectis electum esse ad amorem, vel ad thalamum; sicut dicimus *virum de viro lectum*, id est, de omnibus viris. 61. Histor.

Ex comparatiue indicat

Psal. 134

Qualis est dilectus tuus ex dilecto?] 62. Allegor.
Norant sanè beatæ mentes, atque perfectæ, quis esset is, ad quem tam auidè ferebatur sponsa; rogant tamen quis ille sit, vt audiant eius eximias dotes, & præconia. Nā qui bene alicui

alicui volunt, ad eius laudes, & nomen fitientes plerumque afferunt aures,& animos; vel certè, vt ostendant non esse sibi pro quolibet voto, ac desiderio sponsæ causâ laborandum; neque enim ad res ludicras, futilésque conatus operã suam pollicentur, aut præstant. Ad quærendũ sanè talem sponsum, qualis statim describitur, aderit nobis beatarum mentium prompta sedulitas; illarum verò patrocinium quærere ad terrenarum rerum nugas, neque pium est, neque repulsę nescium. Quòd si veras diuitias, & castos amplexus à tali sponso aliquis ambiat, adsunt illicò, incumbúntque in eam curam maiori, quàm qui illarum auxilium implorauit, alacritate ac studio; neque grauiter ferunt adiurari se, & quodã modo cogi; quia quàm sit id sponso in votis non ignorant. Libẽter ergo dicunt adiurati siue Angeli, siue mentes in terra perfectæ, siue in cœlis beatæ; *Et quæremus eum tecum.*

Dilectus meus candidus, & rubicundus.

63. Histor. ARtificiosè occasionem affert interrogatio fœminarum, vt sponsa describat spõsi pulchritudinem, & signa edat certa, atque præcipua, quæ vel latere volentem prodant. Est autem descriptio ita elegans, ita copiosa, & apta materiæ, vt neque inueniri apud scriptores alios, aut excogitari vlla possit illustrior. Commendat imprimis à colore, quem candidum esse dicit, suffusum tamen honestè, ac suauiter rubore purpureo, quem ex multis formosorum millibus vnum eligas. Est autem hæc candoris cum rubore societas in faciei commendatione inter profanos authores valdè frequens. Tibull. lib. 3. Eleg. 4. multis hoc similitudinibus explicat. Statius lib. 1. Achil.

——Niueo natat ignis in ore
Purpureus.——

Et quidam malis in autumno rubentibus: quidam minio cum niue certanti, aut rosæ foliis in lacte natantibus pulchras formas similes vocant. Obserua pro, *electus*, Hebr. esse דגול *Daghul*, id est, *vexillatus inter millia.* Dissimili quidem figura, eodem tamen sensu; quia, vt signifer antecedit alios in acie milites; sic dilectus alios in amoris acie dilectos longo præcurrit interuallo. Hunc locum forsan imitatus est Theocr. Idyl. 21. sicut alia plurima. vbi Venus quærens Cupidinem, signa quædam ostendẽs pueri fugitiui, illum ad hunc fermè modum describit.

Dilectus meus candidus, & rubicundus.] Paucis hîc sponsa complexa est multa, atque admiranda dilecti sui ornamenta; nam duobus his verbis, multorum Patrum sententia, Deum, & hominem confitetur. Est enim candidus Diuinitate. Sap. 7. *Candor est lucis æternæ*; & 1. Ioan. 1. *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ.* Rubicundus verò humanitate; nam, vt notauit Theodoretus, rubicundũ terrenũ significat; & humani generis parens, Adã vocatus est, qui apud Hebræos *rubeum* sonat. Cuius sententiæ authores sunt Ambros. Psal. 118. octon. 5. v. t. Theodor. & tres Patres. Quidam hoc de Christo tantùm intelligunt, quà homo est. Hieronym. in cap. 53. Isaiæ, Gregor. Psellus, S. Thom. Beda, Rupertus, & alij. Qui candidum ideo dici putant, quia innocens, & virtutum omnium luce, & candore illustris. Rubicundum verò, quia passus, & suo sanguine perfusus est. Quare Angeli

64. Allegor. Christus à Diuinitate, & innocentia candidus; ab humanitate, & Passione rubicundus.

Angeli admirati tantum candorem potuisse sanguine rubescere, atque violari, non aliter, atque vestimentũ in torculari calcantium inquinatur musto, dicunt apud Isaiam, vt nonnulli volunt c.63. *Quare rubrum est vestimentum tuum?* Iure ergo sponsa pulchritudinem illam prædicat, quæ ab innocẽtia nascitur, quã conuitia exagitant, flagella tundunt, crux torquet, ac luxat, sanguis tingit, & rubẽtem facit. Nimirum cãdor, cui rubor aduenit, pulcherrimus est, sicut ebori candido mirabilem affert venustatẽ purpureus rubor. Quare est, quòd verè, ac seriò gaudeat, ac triumphet, qui suæ innocentiæ conscius iactari se videt, ac cõcuti, quasi omnium esset scelerum reus. Tunc enim verè dici potest candidus, & rubicundus, quem sponsus è millibus electum amat, & quẽ sibi ipsi persimilẽ, & tãquam alterũ se accipit, & amplectitur. Hæc est imago Christi, inquit Amb. lib. de obitu Valentiniani. *Valentinianus* (inquit) *meus candidus, & rubicundus habẽs in se imaginẽ Christi*; illam nimirũ, quam attulit Christo innocentia vulnerata. Huic ergo ascendenti, portãtique nõ solùm Christi imaginem, sed eius Passionem, vt loquitur Paulus 2. Cor. 1. *Sicut abundant Passiones Christi in nobis*; occurrunt Angeli, cantántque cum plausu verè triumphali illud Isai. 63. *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?* (id est, de loco pingui, feracíque musti tribulationum.) *Iste formosus in stola sua*, candida nempe propter innocentiam; Passione verò non tam infecta indecorè, quàm tincta eleganter.

65. Christus forma speciosus. *Electus ex millibus.*] Mille Hebræorum more pro quauis multitudine sumitur. Ex omnibus ergo electus sponsus Christus, si externam etiam speciem intueare: quia omnium pulcherrimus, vt dicit S. Thom. in illud Psalm. 44. *Speciosus forma præ filiis hominum*; & cum ipso communiter alij, licèt non nemo aliter exstimauerit. Nam, si qua sunt loca, quæ illum indicant non habuisse aspectum, neque decorem, & visum esse quasi leprosum, illa referenda sunt ad tempora Passionis. Qua de re nos pluribus ad illud cap. 52. *Inglorius erit inter viros aspectus eius.* Electus etiam ex omnibus est, si munus spectes, ad quod assumitur; hîc nempe est, de quo Eccles. 7. *Virum de mille vnum reperi*; hic nempe vnus est, qui à se ipso cãdidus dici possit, cùm reliqui non tam candidi, quàm candidati dici debeant. Electus è millibus est mediator inter Deum, & hominem Christus Iesus, qui filius dilectionis est, non iræ, vt iratum placaret, redderétque beneuolum offensum Patrem.

Caput eius aurum optimum.

66. Histor. LOcus hîc difficilis est propter incertam quorũdam nominum significationem. Sensus esset nõ difficilis, si caput aureum esse dicamus, quia pulchrum est; nam in quocumque genere, quod eiusmodi est, aureum appellatur; quomodo paulo inferiùs manus sponsi dicuntur aureæ, & ab externis, aurea mala, aurea sæcula, aurea eloquentia: & ab ea vocati sunt Chrysostomus, & Chrysologus propter auream facundiam. Sed certum mihi est, hîc non agi de communi aliqua laude, sed de præcipua aliqua, & certa

pul

Caput pro capitis ornamento. pulchritudinis nota, quæ tamen nõ insit à natura capiti sponsi, sed ab arte, & industria, id est, de aliquo capitis ornamento. Nam statim agit de capillis, qui cùm nigri sicut coruus esse dicantur, consequens est, vt auri optimi splendorem non referant. Sicuti infrà cap. 7. sponsæ caput cum Carmelo confertur, propter coronam è ramis, floribúsque contextam; deinde propter capillorum aureum nitorem Regiæ purpuræ simile vocatur; sic etiam nunc, vbi de sponsi corona dictum est, statim ad comæ pulchritudinem descendit.

67. Dicitur ergo caput, id est, capitis ornamentum aureum. Hebr. כתם *Cethem*, quod variè exponitur. Quidam dicunt esse diadema, vt R. Salomon; Abenezra genus dicit esse monilis, Anonymus, margaritam; & ita reddit illam vocem Hieronymus Prouer. 25. *margaritum fulgens.* Symmachus, lapidem pretiosum: sed communiter exponitur, aurum purissimum; & probat nomen פז *Paz*, quod statim sequitur; quod etiam non vno modo verti solet. Quidam enim dicunt aurum esse solidum, & firmum; quod igne non cõsumitur, à פזז *Pazaz*, quod est, *roboro*; & id videntur indicare LXX. qui vertunt, *cephaz* seu, *cephaz*, quod *lapidem* significat. Nisi velis illud *ce*, quod est in priori parte nominis, esse notam similitudinis, quæ apud Hebr. est *ce*, hoc sensu. Aurum sicut Phaz, id est, quale ab ea regione solet adduci. Aquila vertit illud *Paz*, *lapidem auri*, id est, quod durum est, & solidum in auro. Alij putãt פז *Paz* esse *pretiosum lapidem.* vnde LXX. & Hieronymus Psalm. 118. *topazium* reddunt, & iuuat literarum communitas; nam à *Paz* facilis est transitus ad *topazium*, maximè si τὸ sit Græcorum articulus, qui per tot mutationes in Græcam linguam Hebraicæ voci adhærere potuit. Alij *Paz*, nomen esse putant loci auri optimi feracis; & de *Ophaz*, quod ab eo videtur esse deductum, verisimile fit ex eo Ieremiæ cap. 11. *Argentum inuolutum de Tharsis affertur, & aurum de Ophaz.* Res est difficilis, neque dum satis explorata; vtcumque tamen sit, sensum illius loci existimo; illustre esse spõsi caput aureo aliquo, aut inaurato insigni, quod putat Theodoretus, & indicat Theodotionis versio; qui reddit *insigne in auro*, fortasse Syrorum more, qui, vt tradit Athenæus lib. 12. *coronæ è floribus aureos addidêre lemniscos.* Vel certè aureis ramentis capillos inaurarat sponsus, vt de elegantibus adolescentibus, & miro cultu illustribus, qui Salomoni aderant, tradit Iosephus lib. 8. cap. 7. Ant. *Equis optimis*, inquit, *Salomonis insidebant equites, flos iuuentutis, procera statura, prolixóque capillitio cõspicui, adhac ramentis auri capillos quotidie spargebant, vt ad Solarium radiorum contactum fulgur è capitibus eorum reflecteretur.* Quod fecisse etiam postea dicuntur Imperator Commodus, vt in eius Vita scribit Lampridius, & Lucius Verus, vt in Ælio Vero Spartianus: & Gallienus, vt in Vita ipsius tradit Trebellius Pollio. Quod si ita est, facilè intelligitur, quomodo illi capilli, qui nigri statim dicuntur, aurei, vel inaurati esse potuerint; quia natura nigri, auri tamen splendore illuminati flauescunt. Satis hæc aptè; sed fortasse talis hîc describitur sponsi cæsaries, qualis ab Anacreonte Ode 27. vbi Bathillum pulchrum adole-

Capilli olim inaurari soliti. 68.

ſcentem deſcribens, comam illi aſfingit flauentem in ſumma, in intima verò parte nigricantem. Quod credo olim fieri ſolitum artis aliquo lenocinio. Sic Anacreon ad pictorem effigiem Bathilli exprimere conantem. *Λιπαρὰς κόμας ποίησον, τὰ μὲν ἔνδοθεν μελαίνας, τὰ δὲ ἐς ἄκρον ἡλιώσας.* Quæ ſic reddo Latinè. *Nitentes comas facito, intus quidem nigras, in exteriori, ac ſumma parte Solares*, id eſt, rutilas, quales ſunt radij Solis. Quæ capillorum ſpecies, & cultus non multùm abeſt ab eo, quem habuiſſe nuper diximus Salomonis miniſtros. Et fortaſſe propter illum optimum colorem comæ dicuntur ſimiles palmarum elatis; cùm propter intimum aſſimilatæ poſtea ſint coruis, vt mox videbimus.

69. Allegor. Diuinitas in auro figurata.

Caput eius aurum optimum.] Sermonem hîc eſſe de Chriſti diuinitate omnes penè fatentur. Gregor. hîc, & lib. 34. Moral. c. 13. Theodor. S. Thom. Beda, idque probant ex illo Pauli 1. Cor. 11. *Caput Chriſti Deus.* Hoc verò caput optimè adumbrat auri ſplendor, atque natura. Quod Philo Iudæus indicare viſus eſt eo libro, cui titulus, *Quis rerum diuinarum heres*, longè à medio, vbi agit de candelabro. *Inter laudes* (inquit) *auri multas, duæ referuntur præcipuæ. Vna, quòd non ſentit rubiginis iniuriam; altera, quòd in tenuiſſimas bracteas ſine ſciſſura deducitur. Meritò ergo maiorem naturam ſignificat, quæ diffuſa, & protenſa vſquequaque tota per totum plena eſt; aptiſſimè contexens cætera.*

Auri natura.

Sapienter ſanè Philo, aut certè Philonis oratio diuinæ in auro naturæ ſimilitudinem explicat. Vt enim aurum, maximè obrizum, de quo hîc ſermo, quia optimum dicitur, nihil ſordium trahit, aut rubiginis ex ſitu longo, ſqualoréque loci, in quo ſepultum eſt, neque ex eius momentis quicquam deterit, aut de ſplendore adimit vetuſtas; ſic omnino Deus multo excellentiùs vbique purus, puritatiſque idem inexhauſtus fons, apud quem non eſt tranſmutatio, neque viciſſitudinis obumbratio. Vt in tenuiſſimas bracteas deductum aurum noſtris ſe vſibus mirificè accommodat; cùm ſit ad cultum, & elegantiam eximium, & ad exhilarandum animum efficax, & ad commercia pretioſum: ſic etiam Deus ſuper aurum, & topazium longè pretioſior, exhilarat animos, ornátque adeò lautè, & ſplendidè, vt cœlo fiant longè pulchriores, qui antè aſpectu ſordidi fuerant, & cultu horridi; ſicut vaſtum, & rude lignum ſculptoris arte expolitum auro veſtitur, & longè radiat. Hoc aurum nobis quærendum eſt, vel ipſo rerum noſtrarum vitæque diſpendio. Suadet hoc ille qui aurum eſt, Apoc. 3. *Suadeo*, inquit, *tibi emere à me aurum ignitum, probatum, vt locuples fias*, id eſt, me ipſum, ſine quo locupletari nemo poteſt. Hoc caput noſtrum, & aureum, & optimum ſeruemus, ne damnati hoc capite, eodémque aliquando mulctati ſupplicium ſubeamus turpe, immane, ſempiternum. Hoc nobis caput, ne qua fraus, aut violentia demetat, laborandum, & vt omnino ſeruetur incolume, ſerpentis in morem totum corpus vulneri obiiciendum eſt. Tractauit hæc optimè Ambroſius Serm. 20. in Pſalm. 118. Quidam hîc putant ſermonem eſſe de Chriſto, qui caput eſt Eccleſiæ; & in his Ambr. in Pſalm. 118. Serm. 15. Non dubium eſt, Chriſtum eſſe caput Eccleſiæ, vt expreſſè Paulus ad Epheſ. 4. ſed cùm hîc ſponſa non de ſuo capite,

te, sed de sponsi loquatur, prior sententia sine dubio probanda est.

Comæ eius sicut elatæ palmarum.

70. Histor. FAcessit huius loci explicationi negotium vocum obscuritas. In Hebræo deest, *palmarum*, neque habent LXX. neque ex Græcis Psellus, & tres Patres, & ex Latinis Ambrosius. Agnouerunt tamen Theodoretus, Carpathius, Apponius, & verisimile est LXX. addidisse *palmarum*, & scriptorum incuria excidisse. Quid verò sit *elate*, valdè incertum est. Heb. תלתלים *Taltalim*, quod *tumulum*, vel, *cumulum* significat, siue etiam figuratè, *floccos*, seu *cincinnos*, qui in capillis instar tumuli sunt. Quidam *elatem* abietem exponunt, sequuti Plinium, qui huic voci abietem, spathem, aut palmam subesse vult. Qui sanè videntur incidisse in Græcos codices, in quibus deesset *palmarum*. Ita Ambros. Gregor. Nyssen. & alij. Quidam illud *elate*, faciunt adiectiuum Latinum; ita vt palmæ elatæ dicātur rami, qui in palmis erecti sunt, vt distinguantur ab iis, qui deprimuntur, & incuruantur. Ita Rupertus. Quidam adiectiuum Græcum esse credunt ἀπὸ τοῦ ἐλαύνειν, quasi dicas, *ductiles*. Ita R. Abraham. Alij vocē esse Græcam fatentur, sed cauliculum esse putant, vel germen palmæ nouellum, quod grati coloris est, & perpetuò virens. Ita Galen. lib. 8. Simpl. Hesychius, Genebrardus. Et quidem Plinius lib. 3. cap. 4. nouella illa germina, quæ erecta pullulant à cacumine, comam vocat. *Coma*, inquit, *huius arboris in cacumine est*. Sed

Elate palmarum quid.

communior sententia est (quando iam constat hîc agi de palma) esse integumentum illud, quo palmarum fructus includuntur. Ita Dioscorides lib. 1. cap. 126. Ætius, Oribasius, & ex recentioribus plerique. Comparatio verò in eo est, quia vbi crassius illud, & durum inuolucrum palmarum fructus iam maturitati proximus discindit, erūpunt densi, atque numerosi flocci, ita inter se conglobati, atque implexi, vt crispatos capillos, ac cincinnatos imitentur. Habuisse autem sponsum cincinnatos, siue vibratos crines, ipse docet hoc eodem capite, cùm ait: *Et cincinni mei guttis noctium.*

Nigræ sicut coruus.

SVmit à palma, quod in capillis pulchrum est, scilicet densitatem, & aptos ad cincinnos flexus; sed quia in viris color palmæ, siue qui in nouello germine, siue qui in dactilorum operimento est, decoris non multùm habet, quia viros parum honestat fuluus color, ideo niger à coruo sumitur, quem esse in viris honestum docet Horatius in Arte Poëtica: 71. Capillus niger honestus in viris.

Spectandus (inquit) *nigris oculis, nigróque capillo.*

Et lib. 1. Ode 32.

Et Lycum nigris oculis, nigróque
Crine decorum.

Imò & flauam comam viris Romanis esse dedecori tradit Propertius lib. 2. Eleg. 18.

Turpis, inquit, *Romano Belgicus ore color.*

Neque mysterio vacat, quòd sponsa adeò effusè dilecti sui caput cōmendet. Quia audierat caput plenum esse rore, & cincinnos guttis

noctium; extollit magis eius amorem, & tolerantiam, qui caput vsque adeò pulchrum nocturnæ subiecerit pruinæ.

72. Allegor. Sancti à Deo non recedunt, etiam dū humana curant. *Coma eius sicut elata palmarum.*] Quidam per *comas* significari putant Angelos, & Sanctos, ac demum omnes Christi fideles. Ita Gregor. Beda, S. Thom. Carpathius, quia hi semper in suo capite manét, qui Christus est, à quo & succū, & vitam trahunt, sicut rami, qui à suo stipite decisi non sunt. Sicut ergo elatæ crispum quiddam habent, & sursum spectans, sic nimirum Sanctorum cogitationes, & studia in sublime rapiuntur. Et quo maiori pondere premitur palma, deorsúmque violentiùs inflectitur, maiori se nixu sursum attollit: sic capilli isti, quia in palma sunt, id est, in Christi capite, nituntur magis in altum, quo durior illos vis pertinaciùs incuruare contendit. Deinde, quia sicut capilli nunquam ad inferiora sic defluunt, vt caput deserant, à quo pullularunt: sic viri sancti nunquam ita se terrenis implicant, vt à Deo recedant. Adde ad extremum; sicut capilli, quòd crescant, quòd splendeant, imò quòd

Sācti Deo ornamento sunt. omnino sint, accipiunt à capite, eidémque vicissim aliquid addunt honestatis, sicut frondes arbori; sic etiam Sancti, qui quòd tales sunt, & nobiles Regij capitis crines, habent à Christo, eidem ornamento sunt.

73. Sancti nihil de se sublime cogitant. Hi verò capilli dicuntur esse quasi coruus nigri, quia licèt eò dignitatis ascenderint, vt in diuino sint capite, ab eóque pendeant, tamen nihil in se magnum agnoscunt, quia quales antea fuerint, & quid à se ipsis habeant, & præclarè norunt, & sæpe reputant. Ita Gregor. S. Thom. Beda, Carpathius, & alij. Angeli verò quasi coruus nigri sibi esse videntur, cùm tamen in se tetri nihil habeant, quia candor omnis, & splendor cum diuino compositus, nigror omnino est, & densæ tenebræ. In hoc nigrore conseruare voluit Paulus capillos quosdam Ephesiæ antea Dianæ, id est, ignobili, atque obscuro capiti insertos: postea verò ad aureum Christi caput meliori mente translatos, dum dicit ad Ephes. 5. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Et hoc idem cognoscebat in se, prædicabátque liberè, cùm se persecutorem Ecclesiæ fuisse clamabat.

Illud porrò maximè considerare oportet, illustrissimum aurei capitis ornamentum esse capillos, & nitentes, & nigros. Tales verò sunt, qui cùm magnis dotibus splendidi, & ad altissimarum virtutum fastigium euecti sint, nihil tamen de se sublime cogitant. Hos Christus non solùm in manibus, sed etiam in capite libenter gestat; cuius sudoris opus vel maximum est, ita ornamentis Sanctos excolere, & in altum assumere, vt tamen ipsi se in suæ tenuitatis, ac sordium meditatione contineant.

Alij fortasse accommodatiùs per *capillos* diuina consilia, & cogitationes intelligunt, quæ ex Deo Christi capite manant. Dicuntur verò palmarum elatæ similes, quia hæ altæ sunt, & in ipsa sua altitudine erectæ; quas cogitando non potest assequi humana ratio. *Sicut enim exaltantur cœli à terra*, inquit Dominus Isaiæ 55. *sic exaltata sunt viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris.* Et Paulus 74. Diuina consilia non scrutanda.

lus ad Rom. 11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Quis cognouit sensum Domini?* Ex hac tanta diuinarum cogitationum altitudine fit, vt nigræ sint, id est, obscuræ, neque humana sapientia perscrutabiles; quemadmodum capi videndo nequeunt, licèt sua natura lucidissima sint, quæ ab oculis nostris longè recesserunt.

Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum.

75. Hist. SIcut sponsæ oculi columbis similes suprà ab sponso vocati sunt, sic sponsa parem remetita laudem, imò & magno auctam corollario sponsi vicissim oculos columbis assimilat. Quòd enim illud, *columba*, in numero plurali sit, ostendunt LXX. qui vertunt περιστεραὶ, & Hebraicus textus, in quo est יונים *Ionim*. Sed obscurum est in quo similitudo consistat: neque enim magna laus est, si oculi sint candidi sicut columbæ; neque prætere apparet quid tantùm afferat laudis aquarum vicinitas columbarum pulchritudini.

Alba columba in magno pretio Palæstinis. Imprimis certum mihi est, non hîc ex colore figuráve columbarum peti similitudinem, sed ex modestia, atque simplicitate, à qua columbis præcipua commendatio. Dicuntur verò lacte lotæ, quia albæ in maximo pretio sunt Palæstinis, vt ait Tibullus lib. 1. Eleg. 7.

Alba Palæstino sancta columba Syro.

Hæ verò columbæ aquarum amãt pellucidos riuos, & fluenta pura: lacunas verò, & si quid tetri odoris est, horrent. Vide Basil. in Psalm. 33. & Varronem de re rustica lib. 3. c. 7. vbi agens de columbariis; *Aquam* (inquit) *puram esse oportet, quæ influat, vnde bibere, & se lauare possint columbæ. Permundæ sunt enim hæ volucres.*

Aquarum riuuli videntur esse sinus illi, & cauitates, in quibus cõtinentur, & mouentur oculi; nam & hæ stillare, & manare dicuntur, quod fontium est. Qui verò oculi propriè dicuntur, sunt in his riuulis, & fontibus, sicut columbæ: nam & hi à poëtis dicuntur natare, haud dubiè in fontibus. Quòd verò columbæ iuxta fluenta pulchræ dicantur, facit vt suspicer sermonem hîc esse non tam de colũbis, quàm de columbarum imagine, quæ ab aquis repercussa venustior est, quàm ipsa columba; quia in aquis repræsentata inclusa videtur, & quasi innatare in pellucida quadã, & liquida crystallo. In suo sinu, quasi in suo fonte natare dicuntur oculi. Virg. 5. Æneid. 76. Oculi similes columbarũ imagini in aqua repræsentatæ.

——— *Natantia lumina soluit.*

Et Ouid. 6. F[a]storum.

——— *Animique, oculique natabant.*

Neque fulgor ille, qui emicat, & vibratur ab oculis, propter quem ipsis luminum nomen indidimus, à candida columba satis exprimitur: optimè verò ab eius imagine, quæ in aquis collucet. Quare Ouid. 2. de Arte, oculos comparat non Soli, sed eius imagini quæ ab aquis redditur:

Aspicies oculos tremulo fulgore nitentes,

Vt Sol in liquida sæpe refulget aqua.

Et Horat. lib. 2. Ode. 5. non Lunæ comparat cuiusdam pulchritudinem; sed ipsius imagini ex mari renidenti:

Albo sic humero nitens,

Vt pura nocturno renidet Luna mari.

Alij putant ideo oculos columbis iuxta riuos videri similes, quia pupilla in eo, quod est in oculis pellucidũ, & humidum inclusa videtur. Sed hęc etiã similitudo nõ tam à columba, quàm ab eius specie sumẽda est. Hęc mihi sese offerebat ratio, cur columba dicatur residere iuxta fluenta; neque vllam commodiorem ab aliis afferri video; nisi fortasse quis existimet agi hîc de aliquo præcipuo columbarum genere, quę iuxta purissimos amnes, aut fontes plurimùm versantur. Sed non video quo niti possit hæc coniectura.

77. Quidam hîc censent duabus similitudinibus valdè diuersis explicari oculorum venustatem: altera, à columbis; altera, à gẽmis auro argẽtóve inclusis. Ita explicant Rab. Salomon, Abenezra, & Anonymus. Ad quod obseruandum in posteriori hemistichio non esse Hebr. *fluenta plenissima*: sed tantùm, *plenitudines*, Hebraicè מלאת *Meleah*, quod significat *palam*, aut *sinum* in annulo, aut alio quouis loco, quem implet inclusus ibi lapis pretiosus. Exod.28. num. 17. vbi vulgatus legit, *Pones in eo quatuor ordines lapidum*, communiter alij eodem sensu: *Inclusi auro erunt per ordines suos*. Hebr. *Erunt lapides in plenitudinibus suis*, vel *palis*. Ita fere Pagninus, Vatablus, Tigurina, Oleaster, & Chaldæus. Erit ergo iuxta dicta huius loci sensus; sponsi oculos esse similes & candidissimis columbis iuxta aquarum decursum, & duabus gemmis, quæ palis suis illigantur. Quæ verò in annulis dicuntur palæ, vbi conduntur gemmæ, in capite sunt cauitates, & sinus, vbi conduntur oculi. Hoc verò est, *esse super suas plenitudines*. Cùm autem hæc comparatio apta sit, atque elegans, à vulgata tamen abeundum non est, quæ per epexegesim eandem rem duobus modis expressit.

Exod.28.

78. Alia mihi succurrit explicatio non omnino aliena ab vsu Scripturæ, & à loci dignitate. Est in Scriptura ad significationem, & notationem nominum frequens allusio: vnde Adam iuxta sui nominis notationem, *puluis*, Iacob, *luctator*, Nabal, *stultus*, vocatur. Sed & ad varias eiusdem nominis significationes intenti sacri etiam scriptores ludunt eleganter in ambiguitate vocabuli. Exempla sunt apta Dan. cap.13. vbi cùm alter senum dixisset deprehensam esse Susannam cum adolescente *sub prino*, subiecit Daniel, secandum esse ad Angelo Dei; nam prinus arbor cum σχίνῳ verbo, quod *secare*, vel *serrare* valet, communem habet sonum. Et cùm alter respondisset *sub schino*, intulit esse diuidendum: nam & hoc valet verbum σχίζω. שקד *Sakad vigilare* significat, & *amygdalum*; fortasse quia vigilans expectat primum quodque tempus, vt flores, quos nimiùm auidè parturiebat, prima omnium arborum pariat. Vnde quo loco vulgatus Ierem.1. reddit. *virgam vigilantem*, alij communiter vertunt, *amygdalinam*, eodem, vt ego existimo, sensu; nam amygdalus vigilans dicitur à festinatione in germinando: sicut morus, si vox esset Latina, tarda, aut segnis dici posset, à mora, quia serò germinat. Cùm ergo Propheta videre se dicat virgam amygdalinam, subdit dicens, *bene vidisti; quia vigilabo ego*. Ad hunc ergo modum cùm eadem vox significet *oculum*, & *fontem*, alludit sponsa ad vtramque significationem, dum fontis meminit; ac si dicat, satis implere oculos sponsi totam

Regula. Allusiones variæ ad nominis etymologiam.

totam nominis sui latitudinem: nam sunt, quod sonant, aut fontes pleni, ac puri; aut saltem iuxta puros, & plenos fontes. Qui verò hîc dicantur fontes, nuper explicuimus.

79. Præterea nomen illud, quod *columbam* sonat, à radice deducitur, à qua *cœni* quoque nomen deriuatur. Columba enim, quæ Hebr. יון *Ion*, & cœnum, quod יון *Iauan*, radicalibus eisdem constant literis. Modestè igitur, & vrbanè sponsa, dum columbis oculos dilecti assimilat, remouet id quod propter nominis cognationem purissimis luminibus aliquid aut tetrum, aut sordidum allinere potuisset. Quare, vt ostendat longè abesse columbas illas ab eo, quod indicat altera significatio; lotas dicit lacte, non in locis palustribus, ac cœnosis; sed super riuulos aquarum, & fluenta plena, vbi pura omnia, neque quicquam est, aut odore graue, aut aspectu fœdum. Simile est, quod Oseæ cap. 2. sponsus idem Deus de sponsa iam ad fidem, thalamúmque reuocata dicit. *Tunc vocabit me, vir meus, & non vocabit me vltrà Bahali: & auferam nomina Bahalim de ore eius.* (Oseæ 2.) Nomen *Bahal*, quo vxores honoris gratiâ appellant viros suos, ab ea radice nascitur: vnde *Bahalim*, quo nomine significantur idola, quæ antè sponsa illa fugitiua coluerat. Ne ergo radicis, & quasi generis communitas, aut vicinitas soni sponsum offenderet, qui vel ipsum nudum nomen vehementer horret, vult ab ea compellatione, alioqui honorifica, detergi quicquid indignum, aut odiosum subolere potuit, exterminato quamlongissimè nomine Bahali. Ita pene Hieronymus in Oseæ cap. 2. Ad hunc ergo modum, quia nomen *columbæ* cum eo nomine, cui cœnum subest, radicē, & quasi genus habet commune, ab eo tollit quicquid ingratum, & sordidū esse potuit. Ideo sedere dicuntur columbæ non ad cœnum, quod nomen ipsum sonat, sed ad fluenta, quæ quia plenissima sunt, pura esse oportet.

Quæ lacte sunt lotæ.

80. HEbraismus est, *lotum esse lacte*, pro, candidum esse: sicut *dealbatum esse niue*, Psal. 67. quasi perfusum esset, vel intectum lacte, vel niue; sicut Hispanè dicitur *bañado en leche*, quod lactis colorem habet; & quod inauratum est, *bañado en oro*: neque enim se quisquam niue dealbauit, aut lauit lacte, vt candidus fieret. Dicuntur verò loti lacte, quia tales nobis apparent, qui candidi sunt.

81. *Oculi eius, sicut columbæ super riuulos aquarum.*] Quia hîc columbæ meminit sponsa, quidā in sponsi oculis Spiritus sancti dona meditantur, qui in columbæ specie visus est iuxta aquarum riuulos, id est, ad fluenta Iordanis. Et in his est Theodoretus, & tres Patres. S. Tho. Beda, & Rupertus. Cui explicationi fauet illud Apoc. 5. vbi agnus visus est Ioanni, qui habebat oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei. Et Zachar. 3. vt exponit Hieronymus, septem oculi, qui sunt super lapidem vnum, septem dona sunt Spiritus sancti. Hic verò diuinus Spiritus super aquarum riuulos sedere dicitur, quia puris, & castis animis delectatur. His aquis quasi incubat, & fœcundas reddit; non residet super paludes, ac cœnosa loca, quia ibi aliquid tetri odoris est, quod horrent columbæ. (Allegor. Spiritus sancti dona.)

82. Alij Doctorum symbolum oculos

Doctores oculi Dei, atque ideo puri. los esse volunt. Ita Gregor. Ambr. Psellus, Carpathius, & Apponius. Hi Christi sunt oculi, quia sicut per hos Christus loquitur: sic etiam per eosdem videt, per hos membris inferioribus prouidet. Ideo sunt in capite, id est, in dignitate positi, vt è superiori loco tanquam ex specula longè prospiciant. Est autem in Scriptura frequens, vt quis dicatur id facere, quod vt alij faciant author est. Sic Spiritus sanctus postulare, atque orare dicitur, quia nos orare facit; & loqui in Prophetis, quia vt loquantur iubet. Et Paulus in se loqui Christum liberè profitetur 2. Cor. capit. 13. Videt ergo per Doctores Christus, quæ vel corrigenda sunt in moribus, vel ad animorum profectum adhibenda. Hos habere decet columbinum candorem, simplicitatem lacteam, ne, dum Iesum Christum quæri à se, & prædicari iactant, inanem sibi gloriam, & humanam commoditatem venentur. Videant ergo etiam, atque etiam quàm mundi, & casti esse debeant oculi, quos Christus in facie gestat, neq; in causa sint, vt in pulcherrimis aliquid esse nubili, atque distorti quisquam suspicetur. Magna certè laus est, oculos esse tanti sponsi, & quos idem tanquam pupillam oculi sui muniat, atque custodiat; sed magnum propositum supplicium est, si hi, quid Christi oculos deceat, non cõsiderent, aut id audeant, quod tantos oculos pudefaciat.

83. Hi sedent iuxta aquarum riuulos, & fluenta plenissima, id est, iuxta diuinarum Scripturarum oracula: inde hauriunt, quod effundant ad populum, non ex tetris, atque cœnosis poëtarum, profanæque, ac comptulæ facundiæ paludibus, quod nostro sæculo hac in re longè infelicissimo multi audent, qui sanè id videntur suis concionibus proposuisse, vt populum Dei in viam Ægypti reuocent, vt bibat aquam turbidam, in qua se dæmon quotidie tanquam in suo volutabro versat.

Hæc quæ hactenus à nobis dicta, magis sunt ad Patrum antiquorum sententiam, & ideo mihi magis probantur. Sed quia in nomine יונה *Ionah*, quod & *cœnum* significat, & *columbam*, aliquid arcani latere suprà diximus in cortice, hîc iam in medulla, quid spiritualiter lateat, exploremus. Qui יונה *Ionah* audit, cùm de columba sermo fit, statim occurrit aliquid fœdum, & cœnosũ, propter Hebraicæ radicis societatem, ideo quamlongissimè à cœno remouetur columba, dum dicitur *lacte lota*, & quæ habitet non iuxta palustre cœnum, sed *iuxta fluenta plenissima*; in quibus nihil fœtidi est, nihil immundi. Sic quia sponsus Christus homo est, Christus purissimus ex purissima virgine conceptus. viderique poterat alicui ex communi hominum fonte iam antea serpentis halitu, ac volutationibus infecto, & turbido aliquid traxisse sordium, ideo candorem lactis illi tribuit sponsa, & sedentem facit ad purissimos riuos viuentis aquæ: sumpsit enim ex B. Virginis purissimis visceribus mundissimam carnem, quibus antiqui serpentis halitus nihil afflarat pestilens. Quare licèt verè homo sit, à communi tamen hominum labe immunis est. Neque huic expositioni incommodat, quòd columba lacte dicatur esse lota, quasi lauari debuerit, & à cognata sibi macula mundari: nam lotum esse aliquid lacte, candidissimum sonat, quasi lacteum sit, aut lacte vestitum, quia tale spectantibus apparet, sicut Psalm. 67. qui futuri

futuri sunt alibi sicut nix, niue dealbari dicũtur. *Niue dealbabuntur in Selmon.*

Genæ illius sicut areolæ aromatum.

85. Histor. DIfficilem reddit huius loci sententiam varia expositio nominis ערוגה *Arugah*, pro quo noster, *areola*, Lxx. *phialæ aromatum germinãtes vnguenta*, Aquila. *sulci*, recentiores ex Hebræis, *linea sulci*. Sed existimo hæc omnia parũ à vulgato differre. Hunc locum quidam accipiunt de candore, ruboreque genarum, quæ optimè adumbrari videntur areolæ similitudine. Sed quia iã spõsus cãdidus, & rubicũdus dictus est, aliud proculdubio spectat hæc cõparatio.

Vt omittã sententias alias, existimo ab areola; siue à linea, sulco, phialáve aromatum sumi similitudinem, ad explicãdam genarũ venustatem, quæ est ab illo naturali flore, vel lanugine, quę iuuentutis index est, quã nos pubertatẽ appellamus: tum quia non videbatur prætermittendus ornatus ille, qui in viris non postremũ obtinet locum, maximè in adolescẽtibus, qui sicnitent teneta illa flauáque lanugine, sicut arbor floribus: tũ quia ad alia omnia difficilè accommodatur areolæ species; ad iuuenilẽ autẽ decorem, qui est à barba, aptissimè. Tanta est enim inter arborum, & barbæ nitorẽ similitudo, vt trãslatione quadã mutua, atque reciproca, quæ barbæ sunt, ad arbores, & sara, & quæ horum sunt, vicissim trãsferantur ad barbam. Nam & arbores dicuntur pubescere, & prata, & omnia, quæ terra gignit iam maturata, vt dicit Cic. de natura Deorum, & pubẽtes herbæ à Virg. 3. Georgic. & 4. Æneid. Et vuæ, ac vineæ pubertas, à Plin. in Proœmio l. 5. Rursus ab a-

A barba ad arborẽ reciproca translatio

gris, & arboribus ad barbæ dignitatem, & speciem translationes fiunt multo frequentiùs. Virg. 8. Æneid.

Tunc mihi prima genas vestibat flore iuuenta.

Pacuuius,

Nunc primùm opacat flore lanugo genas.

Martialis,

Dũ tibi vernarẽt dubia lanugine malæ.

Et pili dicuntur germinare Ezech. c. 16. Et sanè apud Latinos *hortus*, & apud Gręcos κῆπος pro ea germinatione sumitur, quę ætatis maturitatẽ indicat. Et Suidas cùm duas constituat tonsuræ formas, alteram vocat σκάφιον, quæ ad cutim radit; alteram, quæ capillos ad frontis ornatum relinquit, appellat κῆπον.

Quòd si colori candido, & rubicundo, quem inesse spõso nuper vidimus, colorem illum addas flauum, suauem, & renidẽtem, qualem fuisse oportet tali adolescẽti in primo iuuẽtutis flore, optimè explicatur varietate, suauitateq; florum, quos pigmentarius in areola ex arte dispo-suit. Dicitur autem pigmẽtarius hîc, qui flores in area, vel phiala variè, atque concinnè serit, aut disponit, figuratè quidẽ: nã propriè hic topiarius est; aptè tamen, quia iste florum varietate elegantẽ aliquam exprimit formã. sicut ille coloribus, vel certè, quia pigmẽtarius, Heb. רוקח *Rokeh*, vnguentarius est, aut seplasiarius, qui vnguenta ex variis aromatibus confecta vendit; hic quia varia etiã aromata conserit, speciẽ pulchrã efficit in areola ex eorum varietate.

Neque ab hac sententia aliena est versio Lxx. quam enim noster vertit, *areolam*, ipsi reddunt *phialam*, illam videlicet, quam in horti similitudinem, nos odoriferis herbis floribúsque conserimus, ad mensarum, fenestrarúmque, imò altarium amœnitatem, & elegantiam: 86.

Hh

siue quos aliunde collectos ad phialas, calathósue traducimus eo ordine, quo ad aspectũ sint magis grati. Quales illi de quibus Maro Eclog. 2. vbi mira quædam species ostenditur ex violis, narcisso, casia, vacciniis, & aliis, aut in fasciculos coactis, aut ex arte cõpositis. Quę verò ita contexta sunt, nó video quo alio nomine aptiùs, quã areolę explicari possint.

Qui *lineam sulci* reddunt, id etiam volunt; nam in illa pubertatis, id est, primi floris areola lineæ sunt, ac sulci sic à natura, sicut alij à pigmentarij, aut à topiarij industria directi; qui claudunt, continéntque areolam illam, quæ iuueniles genas, & vestit, & illustrat.

87. Allegor. *Genæ illius sicut areolæ aromatum.*] Ingenuitatis, & indolis præclaræ non obscura indicia apparere solent in genis, quas plerumque in bene institutis animis inficit rubor. Cùm ergo in sponso vigeant virtutes omnes, eædemque summæ, sicut in horto à pigmentariis consito flores eximij, & sua natura pulchri, & ordine topiario conspicui, qui & summam topiarij artem, & naturæ bonitatem ostendunt; sic sponsi genæ produnt summarum virtutum gloriam, & ingenui animi præclaros sensus. Quidam in genarum altera indicari putant Christi misericordiam; in altera seueritatem, & iustitiam, quibus, & amabilem se ostendit, & venerandum, & timendum. Ita S. Tho. & Beda. Quod sanè principem virum, publicęque salutis custodem ita decet, vt si alterum desit, suo munere ex aliorum vsu fungi nó possit. Sed nescio quomodo seueritas, & maiestas abhorrẽt ab hoc nuptiali, atque festiuo tempore: neque seueritas admodùm ad quærendum inuitat, maximè cùm alibi totus spõsus suauitas, & desiderium dicatur.

Christi seueritas & misericordia.

Quare non est improbabile quod Rupertus, Titelmanus, Genebrard. & alij dicunt, significari in genis maximè tunc iuuenili flore pubescentibus ea, quæ mansuetũ, liberalem, hilarem, & humanum sponsi animum prodũt. Quid enim terribile in areola aromatum pigmentarij arte disposita? In sylua fortasse, vbi omnia inculta, atque horrida, nonnihil est est quod timeas, at in Regio horto, vario, & eleganti nihil est, quod non ames. Et certe Christus à mansuetudine, & humanitate laudari solet Isai. 42. *Non audietur vox eius foris, calamum quassatum non conteret, & lignum fumigans non extinguet.* Et Paulus 2. Cor. 10. *Obsecro vos per mansuetudinem, & modestiam Christi.* Christi mansuetudo.

Philo Carpathius Scripturam in *genis* adumbrari putat; quia in eis maximè diuini spõsi natura cognoscitur. Neque longè hinc abit Rab. Salomon, qui in duabus genis duas diuinæ legis tabulas considerat. Pia sanè cogitatio, quæq; nos admonet, vt attentè Scripturam intueamur, & tanquam Christi viscera, cum timore, atque veneratione perscrutemur: vbi diuinos sensus, paternum affectum, amorem in bonos, odium in malos, & videre, & meditari permittitur. Eam veneremur tanquam Christi faciem, in qua quid in animo lateat, obseruare licet. Magna sanè res est Scriptura, quæ & facies Christi est, & virtutis diuinæ cœlestis vapor, & omnipotentis Dei syncera quædam emanatio. Sap. 7. 88. Scripturæ sacræ dignitas.

Labia eius lilia stillantia myrrham primam.

Laudat sponsi labia, & sumit similitudinẽ à liliis, vel quia quæ pulchra sunt, liliorum, ac florum nomine 89. Histor.

mine

mine significantur; siue quia liliorũ quoddam genus est purpureum, de quo Dioscorides lib 3. cap. 97. & Plinius lib. 21. c. 5. Et ad hoc potiùs refero, propter colorem, à quo labiis prima ferè laus. Neque liliorum pars extrema longè abest à labiorum forma; imò Plin. suprà liliorum extremam oram explicat labiorum nomine. Dicuntur verò stillare myrrham primam, quia ab eius ore longè abest grauis odor, & teter anhelitus, qui solet alios longè à colloquio, atque à congressu repellere. Quam ob causam statim dicitur, *guttur eius suauissimum*, propter suauiter nimirum olentem animã. Suauis autem oris anhelitus commendari solet etiam ab externis. Martialis lib. 5. Epig. 38.

Lilia quędam purpurea.

Suauis oris halitus.

Fragrauit ore quod rosarium Pasti,
Quod Atticarum prima mella cerarum.

Idem libr. 3. Epig. 23. id olere dicit cuiusdam os,

Quod madidis nardo sparsa corona comis.

Quantùm verò gratum oris anhelitum quidam ament, docet Clemens Alex. lib. 3. Pęd. c. 3. & c. 11. qui ideo dicit fœminas solere mastichem in ore versare.

90. *Labia illius lilia stillantia myrrham primam.*] Hîc iam inducitur sermo de sponsi suauiloquentia, quam esse admirabilem in alio etiam Epithalamio canitur. Psalm. 44. *Diffusa est gratia in labiis tuis*, & Ioan. 6. eidem æternæ vitæ verba tribuuntur. Dicũtur verò diuina eloquia *lilia*, quia pura sunt, sicut argentum igne examinatum, & purgatum septuplum, & quia suauitatis plena. Loquitur enim sponsus pacẽ in plebem suam, laborantibus quietem promittit, refectionem oneratis, & lassis, bonum nuncium. i. Euangeliũ affert mœstis, & lucẽ annunciat, oririq; facit illis, qui in tenebris, & regione vmbræ mortis habitant. Isai. 9. Habent tamẽ hæc labia suauitatis eximiæ suã quoque myrrham, quia ad illã beatitudinem, quã promittunt, perueniendum esse dicunt per arduam, & accliuem semitam; amplam sanè domum, abundantémque deliciis prædicant, eius tamen aditum amplum, & deliciosum esse negant. Dulce sanè beatitudinis nomen, sed eo non indigetat sponsus, nisi eos, qui lugẽt, qui paupertatem amant, qui persecutionem patiuntur. Hæc sanè myrrha est, quæ à luxu carnis, morũ turpitudine, & corruptione vendicet: hanc stillant diuina labia, cùm iubẽt portandam esse crucem post Christi vestigia, renunciandum parentibus, atq; iis, quæ nobis aut in pretio, aut in amore sunt: neque dignum esse cœlorum Regno illum, cui vita charior, quàm sponsus fuerit. Ita pene S. Tho. Beda, Theodoretus.

Allegor. Christi sermo allicit, & terret.

91. Alij in sponsi labiis loquentes audiũt diuini verbi pręcones. Ita Amb. de inst. Virg. c. 15. Psel. Carpat. Rup. Hi autem aspirare debẽt suauissimũ halitum, in quo sit odor Christi, quẽ intra viscera colere debẽt, tanquam in tẽplo, qui in ipsis loquatur, & omnia ipsorũ facta, atque cogitata moderetur. Hunc piis cogitationibus alere, oratione fouere, atque oblectare debent; neq; ab eorũ ore quidquam egressurum est, quod lilij cõuallium Christi candorẽ, & odorem nõ referat. Quòd si in horũ labiis aliquid hæserit vile ac sordidũ, vel ipso spõso iudice, labiorũ Christi dignitatẽ non habet. *Si separaueris* (inquit per Iere. c. 15.) *pretiosum à vili, quasi os meũ eris*: nõ futurũ profectò si pretiosis vilia permista sint, atq; confusa.

Concionatores Christi labia.

Deinde necesse est, vt hæc labia stillent myrrhã primã, quia, vt dicit Amb. suprà, illis familiaris esse debet de Christi Passione sermo; tum etiã

quia illa pro concionibus proponẽda, quibus duretur carnis mollities, totusque homo à vitiorum labe seruetur. Et iste, vt docet idem Ambr. in Ps. 118. Sanctorum sermo est, in quo virtus sit; at in sermone forensi, ac philosophico mundi vanitas.

Manus eius tornatiles.

92. Histor. HEbr. גלילי Ghelile, orbes, vel *tornationes*. Videtur non ineptè dicturus, qui per *tornationes*, annulos acciperet; ita vt ideo tornatiles vocentur manus, quia annulis instructæ. Facit ad hæc, quòd statim dicũtur hyacinthis plenæ, quod annulorum ornamentum est. Veruntamen hîc de manibus sermonem esse puto: nam statim, vt reor, de annulis agitur. Dicuntur verò tornatiles, quia quod torno elaboratum est, id pulchrum, & perfectum esse existimatur; vnde malè elaborati versus, & in quibus aliquid est, quod elimes, & deteras, malè tornati dicuntur ab Horatio in Arte. Commendatio verò, & venustas, quæ à torno sumitur, maximè accommodata videtur esse digitis, in quibus nihil esse debet, quod aut in nodis extuberet, aut in internodiis asperum, aut scabrum horreat. Digitos verò teretes in laude esse dicit Ouidius,

Nec faciem, nec te pigeat laudare capillos,
Nec teretes digitos.———

Aureæ, plenæ hyacinthis.

93. QVod pulchrũ est aureum dici, suprà obseruatũ est; sed hîc loco ideo dicuntur manus aureę, quia aureis annulis ornatæ sunt; quod indicant hyacinthi, qui in annulis plerumque radiare solent. Quid verò significet *Tharsis*, pro quo noster vertit, *hyacinthus*, obscurum est: neque adhuc, quod sciam, ab aliquo certò definitum. Vide Hier. epist. 133. ad Marcellam, & Riberam nostrum super cap. 1. Ionæ. De quo nos pluribus egimus in illud Isaiæ cap. 2. *Et super omnes naues Tharsis*.

Manus eius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis.] Notum est, manus pro operibus sumi, quia operum communiter manus administræ sunt; & ita penè omnes hunc locum interpretantur. Dicuntur verò tornatiles, siue opera tornatilia, quia quę torno elaborantur, & facilè fiunt, & perfectè; cùm tamen alia instrumẽtis variis, iisque aliter, atque aliter cõuertendis plurimùm indigeant. Quàm autem perfecta sint opera, quæ diuinæ manus molitæ sunt, & Scriptura clamat, & sensus etiã ipsi non difficilè capiunt. Dicuntur autem aureæ, & hyacinthis plenę, quia magna donãt, & quę ex talibus manibꝰ ad nos proueniũt, aurea sũt, & ab omni cõcretione terrena purgata. Hyacinthi verò diuinas implent manus, quia cœlestium rerũ quas hyacinthus significat, propter cõmunem sibi cum cœlo colorem, spem nobis ostendit. 94. Allegor. Dei opera magna, atque perfecta.

Venter eius eburneus, distinctus sapphiris.

MVlti hîc existimãt sermonem esse de ventre sponsi: & multa dicunt de eburneo candore, qui additis ex arte sapphiris mirè nitorem, pulchritudinémq; ventris ostendit. Quæ ego dici puto non improbabiliter, licèt eò adduci nunquã potuerim, vt omnino crederẽ sponsum hîc propriè à ventre laudari; quia laus hæc prorsus inusitata, maximè 95. Histor.
in

in vitis; in fœminis fortasse non inepta. Sed neque tunc à colore laudatur, quia aliquid innuit indecorum, sed à fœcunditate, & rumore. Rursus neq; pulchritudinis aliquid, imò deformitatis plurimùm ventri affert & cuti, vbicumque sit illa sapphirorum dispositaseries, non aliter, atque si carbunculorum esset. Quare qui ventrem laudaret, quia distinctus sapphiris, vel carbunculis, nihil diceret fœdius; significaret enim ex materia putri luridum esse corpus. Quãtùm enim carbunculus lapis vestibus confert ornamẽti, tãtùm corpori carbunculus morbus fœditatis affert. Et prudẽs illa, atq; modesta spõsa nõ praeberet iis, quibus sponsus notus non erat, illa signa, quæ non paterẽt oculis. Neque posset sponsæ non esse indecorum, & notasse ventris illa minuta signa, & eadẽ aliis puellis indicasse: neque sponso nõ esse turpe nudum gestare ventrem, & aliorum oculis expositum, & nocturno tempore, eòque perfrigido, omnino incommodum. Iocosè hæc, inquiẽs, & simulatè in his nuptiarum ludis; ita prorsus: at hæc ab eo, quod naturæ rerum, aut vsui consentaneum est, abesse non debent.

96. Quare alij de aliquo corporis ornamẽto interpretantur. Abenezra cingulũ lumborũ putat, quẽ ex recentioribus sequuntur nõnulli. De hoc nos pluribus suprà Proleg. 8. Dicitur verò vẽter per metonymiã, quæ id quod cingitur, & cõtinetur, pro eo quod continet, vsurpat. Existimo tamẽ hìc agi non tam de spõsi zona, quàm de illa parte thoracis, aut tunicę, quæ vẽtri imminet; tũ quia id maximè significat & vox Latina, *vẽter*, & Hebraica מעי *Mehhi*, quod Lxx. videtur sensisse, qui *eburneã pyxidem* verterunt. At vas illud eburneũ non tã zonæ simile est, quàm ventris integumento: tũ quia, vt infrà c. 6. dicemus, cùm spõsæ vẽter aceruo frumenti liliis vallato similis dicitur; sine dubio sermo est de illa parte tunicæ, quæ ventri respõdet; neq; alia ratio est de hac spõsi hieroglyphica veste. Et licèt apud Hebræos nihil certũ habeã de speciali hoc ventris ornamento; at in vsu fuisse Persarũ Regibus, vt vestis purpureæ mediũ albo intexant, tradit Q. Curtius l. 3. Ex quo nonnulla coniectura sumi potest; nã Hebræos ab aliis populis sumpsisse vestimẽtorum formas indicat Sophonias c. 1. *Visitabo*, inquit, *super Principes, & super filios Regis, & super omnes, qui induti sunt veste peregrina.* Rursus gentes alias sumpsisse ab Hebræorũ luxu suas quoque delicias, docet Clemens Alex. lib. 2. Pædag. c. 10. ad finem: qui vbi Græcorũ in vestibus nimiam curã, & luxum reprehendit, ait: *Non amplius lintea ex Ægypto, sed quædã alia ex terra Hebræorũ, & Cilicum cõportant.*

Venter eius eburneus, distinctus sapphiris.] Communiter omnes in *vẽtre* intelligunt Christi humanitatẽ, quia venter mollis est, & nulla ossiũ duritia firmatur. Sed ne quisquam suspicetur ideo sponsi ventrẽ corruptioni, aut alicui fœditati subesse, attribuit illi, quod omnem & puritatẽ, & stabilitatẽ importat. Appellat enim *eburneũ*, id est, candidũ, & osseũ; cãdidũ quidẽ propter singularẽ munditiã, atq; innocentiã; osseũ verò propter singularẽ in omni sanctitate, atq; puritate cõstantiã. Qui sanè venter præter candorem, & firmitatem eboris, id etiam habet eximium, quòd distinctus sit sapphiris, quia Christi humanitati diuini splendoris multùm est à Diuinitate tributum; quæ non ita latebat in mortali carne, vt non etiã ostẽderet 97. Allegor. Christi humanitas.

æternæ lucis diuinum candorem. Sapphirum autem cœleste aliquid portendere significat ipsius color, qui Exod. 24. *similis esse* dicitur *cœlo cùm serenum est.*

98. Christus ma'orum omnium medicina. Quòd si cum Septuaginta legas, *eburneam pyxidem*, mirè se produnt Christi mitissima viscera: sicut enim eburnea pyxis, id est, vnguentarium narthecium medicinam continet paratam iis, qui vti volent; sic Christus totus myrothecium quoddam est, quod quacumque spectes, vbertim perfluit, effunditque vltrò, non modò ad eos, qui medicinæ gratiâ ad ipsum accurrunt, sed etiam qui, & sui, & tantæ medicinæ immemores sunt. Hos enim inuitat, ad hos clamitat in plateis: *Venite, atque emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum, & lac.* Ita Isai. cap. 55. Facit ad hoc quod cap. 4. ad illud, *de monte Galaad*, diximus, mõtem illum esse Christi symbolum, qui resinis abundat, & salutaribus succis.

Crura illius columnæ marmoreæ.

99. Histor. Marmoreum pro candido. OPtimè componuntur elegantia crura cum columna marmorea, siue figuram spectes, siue colorem; illam à columna sumit, hunc à marmore. Columna recta est, solida, stabilis, sic crura firma, non distorta, elegantia; marmor candidũ, & nitidũ: sic crura, & nitoris sunt, & candoris eximij. Neque nouum est, vt quæ pulchra sunt, & candida, vocētur marmorea. Virgil. 4. Georg. *marmoream ceruicem* dicit, & Ouid. 2. Amor. Eleg. 11. *pedes marmoreos.* Idem 4. Fast. *collum marmoreum.* Pedes verò attemperatissimè dicuntur bases, quia non secus tibiæ pedibus, quàm columnæ basibus innituntur. Imò magis propriè de pedibus dicuntur, quàm de columnis, ad quas à pedibus translatum est nomen, quod *incessum* significat. Vnde Act. 3. *consolidatæ* narrantur *bases pedum eius, qui claudus erat ab vtero matris*. Dicuntur autem bases aureę, quia calceamenta auro, gemmísque exculta. Calceos verò auro, atque margaritis solitos esse distingui, tradit Plin. lib. 9. c. 35. & l. 37. c. 2. Plutarchus Demetriũ auratis calceis vsum esse refert. Heliogabalũ calceis adhibuisse gemmas Lãpridius author est; Diocletianũ Eutropius, Caninium Vopiscus. Sic etiam est verisimile, in nuptiali hoc articulo hunc calceamentorum ornatum sponso non defuisse: maximè si, quod probabile cap. 4. dicebamus, hæc ornamenta nuptialia à Rege Salomone in huiusmodi vsum compatata sunt. Calceorũ ornamenta.

Hîc fortasse non nemo in sponsa prudentiam requiret, quæ signa edat his, quibus sponsus ignotus esse fingitur, quæ vel in media luce intueri non possent? Nam fuisse crura tecta tibialibus verisimile est, atque adeò apparere non poterat candor ille marmoreus, quo internosci posset ab aliis. 100.

Locus hic examinandum exigit, an Hebræis olim in vsu fuerint tibialia, vel tibiæ fuerint, aut omnino nudæ, aut certè sic ex parte vestitæ, vt illarum & forma, & color notari posset. Qua de re quid affirmem certi, nihil habeo. Videtur autē mihi verisimilius, antiquos Hebræos non habuisse tibialia: neque huic sententiæ aliquid negotij facit caligarum nomen in Scriptura frequēs. Vt enim bene omnes pene Interpretes illud Act. 12. *Calcea te caligas tuas*, de calceis intelligunt, non de tibialibus; vbi noster Salmeron negat,

gat, veteribus esse cognitum vsum tibialium: certè pro, *caligis*, in Græco *sandalium* est. Et Genes. 14. dicit Abraham *non se accepturum à filo subtegminis, vsque ad corrigiā caligæ.* Vbi sine dubio calceus intelligitur, vt Lxx. vertunt: & Hebr. est נעל *Naal*; quod omnium concessu *calceamentum* significat. Si verò alicubi tibiarum munimentum, *caliga* vocatur, illud est militare; vnde Caligula dictus, quia in castris natus, & ibi in habitu militari educatus est.

101. Hebræis tibialium vsus non fuit, neque femoralium.

Quòd si, vt de Romanis, & omnibus pene Orientalibus constat, Hebræi femoralibus vsi non sunt, minùs illud de tibialibus videtur difficile; sed hoc fit probabile ex Leuit. cap. 6. & 16. vbi Sacerdos ingressurus Sanctuarium iubetur assumere femoralia; ex quo intelligitur, nō alio tempore solita fuisse gestari. Et causa additur Exod. 20. vbi prohibetur Sacerdos ad altare ascendere per gradus, ne ipsius turpitudo reueletur. At ab eo periculo tutum redderent feminalia, si illa habuisset Sacerdos ex more. Super quem locum docet Lyra, eo tempore non fuisse vsum femoralium: post verò Exod. 28. præceptum esse à Domino, vt illis vterentur, quando ad Tabernaculum accederent, & altare. Post quod ministerium iubentur ea deponere Ezech. c. 44. & ponere in gazophylacio. vbi videntur tantùm ad illud ministerium assumi femoralia. Quod seruari, quando hæc Cantica composita sunt, constat, quia Ezech. longè fuit post Salomonis tempora. Quod etiam probat casus Noë Genes. 9. qui si ea habuisset quo tempore vini potestatem expertus est, non ignominiam suam filiis reuelasset. Quod etiam videtur apertè velle Deuteron. 25. casus ille, propter quem vxori iubetur manus abscindi. Abulensis sentit in cap. 20. Exod. quæst. 79. & 28. quæst. 21. aliquē vsum Sacerdotibus eo tēpore fuisse femoraliū: quod tamē (vt diximus) videtur esse magis ad veritatē.

Ex his non videtur durū, si dicamus, Hæbræos nō habuisse tibialia, saltem quæ crura tegerent omnino, quia durius videtur carere femoraliū vsu: neque illorū apparet vllū in Scriptura vestigiū. Facit ad hoc antiqua pictura, quæ fasciis ita sandalia subligat pedibus, vt etiā decorè vinciat crura. Certè quòd Romani, gens lauta, atque elegās tibialia non adhibuerint, ex eo fit planū, quia in morbo, aut necessitate aliqua nō tibialibus includere, sed fasciis ligare crura dicūtur. Pōpeius cùm vulnus vellet tegere in crure, fasciis cādidis vsus est. Valer. Max. lib. 6. c. 2. Quint. l. 2. c. 3. fascias ponunt, quibus crura vestiuntur, & tāquā aliquid rarū, & nouum mutata iā populi Romani fortuna. Augustus traditur à Suetonio cap. 82. in hyeme vsus esse tibialibus, sicut & femoralibus; sed credo illa ex fasciis esse Romano more, qui fasciis obligabant, quæ fouere vellent, vnde subligacula dicta sunt. Quòd verò calceamenta siue sandalia fasciis, seu corrigiis subligarentur pedibus, ostendit Græcum nomē, quod *subligaculum* sonat: & Romanorū vsus, apud quos calcei vocantur pedū vincula. Et Plin. lib. 8. cap. 57. ait mures arrosisse Carbonis Imperatoris fascias, quibus in calceis vtebatur. Fasciæ deinde illæ, siue corrigię, quæ subnectebāt pedibus soleas, crura deinde vinciebant, & ornabāt, vt statuę antiquę Romanorū argumento sunt. Et idē in vsu etiā fuisse apud Hebræos, ea est cōiectura, quia corrigia calceamēti in Scriptura frequens. Accedit, quòd cùm in conuiuiis sæpe audiamus de

102.

positas

positas solcas, ablutos pedes, nunquã tamẽ quicquã de tibialibus audimus, cùm tamẽ illa quoque essent detrahenda. Ex his cõstat, quomodo à Solymitanis puellis ex crurũ candore sponsus internosci potuerit.

103. Allegor. Christi viæ rectæ, atque cõstantes. *Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.*] Duo hîc video apud antiquos Patres velle sibi marmorea crura, aureis innixa basibus. S. Thom. & Beda ad spõsi-vias, & cursus referunt, quæ à marmore firmitatem, & robur, à columna rectitudinẽ habent. Cùm enim vt Gigas viam curreret, eámque & longã spatiis, & accessu arduam; neque victus labore est, neq; difficultate deterritus. Quòd verò rectam semper viam institerit, ipse testatur, dũ ait, nunquã se à Patris sui voluntate, id est, à certa regula deflexisse. Ioan. 6. *Descendi de cœlo, non vt facerẽ voluntatẽ meã, sed voluntatem eius, qui misit me.* Et alibi dicit se esse viã, & veritatem, id est, viam veram, & rectam. Neque verò marmoreæ istæ columnæ possunt nõ esse, & firmæ, & rectæ, quia basibus aureis, id est, Diuinitate nituntur (Diuinitatem autẽ in *auro* significari paulo antè diximus) & quia omnes viæ æterno cõsilio præordinatæ sunt, ad quod tanquã ad perpendiculũ, & regulam columnæ istæ elaboratæ, & directæ firmitatẽ illã habent, & rectitudinẽ, quam nunc sponsa admiratur, & amat. *Ideo*, inquit Beda, *quia viæ Domini rectæ sunt, & crura nunquã à rectitudine digressa, in cruce fracta non fuerunt, sicut eorum, qui cum ipso simul affixi sunt cruci.*

104. Viri Apostolici quocũque Christum circumferunt. Alij hæc sponsi crura ad Apostolos referũt, ac viros Apostolicos. Ambr. in Psal. 118. Serm. 5. & Carpat. Et sanè horũ partes, & munus naturã pedũ, & crurũ satis adumbrat accommodatè: quia per hos Christus lustrauit Orbẽ, & Euangelicã lucẽ quamlongissimè sparsit. Vt enim pedes, & crura caput suum in alia, atque alia loca sublime portant; sic Apostolici viri Christũ caput suum quocumque pergunt, secũ circumferunt cum ea dignitate, ac maiestate, quã ab humana lingua, atque studio capere diuina dignitas, & maiestas potest. Talis erat Paulus, vas electionis, qui Christi nomẽ in vniuersã inuexit terrã. Ideo Apostoli dicti, quia missi, quia illis in perpetuo quodã cursu viuendũ est. Qui cœli etiã dicuntur à Greg. Homilia 30. in Euang. ideo fortasse, quia sicut cœli motu suo nunquã, vel minimùm intermisso, Solẽ circumagunt, proponúntque vel vltimis terræ finibus spectandũ: sic etiã Apostoli Christũ, qui se lucẽ esse dixit mundi, lucere faciunt in tenebris. Hi nimirum cœli enarrant gloriam Dei, & eorum sonus in omnem terram egreditur.

Hæc verò crura, & recta sint oportet, & ad diuinum perpendiculũ locata, ne diuaricata, atque distorta aliò incumbãt, quàm diuina vocat, & regit voluntas. Oportet etiam, vt marmorea sint, quia pondus sustinent nõ exiguũ, & quæ cõcutiant, & conuellere perpetuò studeãt, sunt multiplices machinæ. Horũ autem labor quantus sit, explicat Apostolus 2. Cor. 7. *foris pugnæ, intus timores*, &c. Sed quia aureis insidẽt basibus, i. quia eo nituntur, cuius nomini propagando seruiunt, concutiuntur quidẽ, nõ sternuntur: impelluntur, non procumbunt, fundati, & super firmam petrã, & super auream basim. *Omnia*, inquit Paulus ad Philipp. 4. *possum in eo, qui me confortat*, id est, in basi, quæ me sustentat. Discant igitur hinc, qui magnas propter Deũ difficultates adeunt, formidandum non esse, neque ab ea, quæ à Deo imponitur prouincia, deficien-

105. Viri Apostolici in diuinam voluntatẽ intenti, & ad ardua parati.

Apostolici viri quãta constãtia, atque fiducia.

deficiendum: qui enim illis id negotij dedit, non è fragili carne mollitiem, ſed è duro marmore firmitatem dabit. Qui ad ſtatuæ Nabuchodonoſoris ſimilitudinē, proceritatem, & molē altitudinis prodigioſæ, luteis non tā firmat, quàm ſuſpendit pedibus, id eſt, terrenis conſiliis, aut hominum opinionibus, quid mirum ſi ad puſilli lapidis impulſum cadat? At qui Deo nititur, in eóque conatus ſuos, & ſtudia verſat, non eſt, quòd aduerſariorum fraudes, aut machinas, aut naturæ infirmitatem, & inconſtantiam timeat.

Species eius, vt Libani.

106. Hiſtor. VIdetur hic ſummatim velle ſponſa colligere quanta ſit dilecti ſui pulchritudo, & ideo adhibet id, quod rerum omnium varietate exiſtimabatur eſſe pulcherrimum. Talis eſt Libanus, quem & arborum eximia proceritas exornat, & fruticum aromatiferorum ſuauitas, & herbarum odore nitoréque præſtantiū amœnitas conuēſtit. Ait ergo ſponſa talem eſſe dilectum, qualis eſt Libanus, nempe, vt hic ſpecioſus eſt inter omnes montes, ſic illum eſſe ſpecioſum forma inter filios hominū. Quia verò propoſita Libani venuſtate, & forma, non ſatis videbatur explicata ſtatura eius, ait electum eſſe ficut cedros, id eſt, procero, atque erecto corpore ſublimem. Eſt autem pulchritudinis pars non leuis in proceritate. Proceritas pars pulchritudinis. Vt enim Ariſt. 4. Ethicor. c. 3. *Pulchritudo in magno corpore cōſiſtit: parui vero urbani quidē ſunt, & membris appoſiti, ſed non pulchri.* Quare multi, qui à forma laudantur, erecto corpore eſſe dicuntur. De Anchiſe Virg. 8. Æneid.

——— Sed cunctis altior ibat

Anchiſes ——————

Et l. 7. de Turno. *Et toto vertice ſuprà eſt.* Et ſponſa in ſua ſtatura aſſimilatur palmæ: vbi hac de re plura.

Species eius, vt Libani. Quæ pluribus antè ſpōſa proſequuta fuerat, ea nunc preſſiùs videtur in quamdam quaſi ſummam contraxiſſe. 107. Allegor. Chriſtus ſpecioſus. Vt enim mons Libanus altus eſt, & iuxta nominis ſui notationem candidus, & odoratus, & omnium plantarum genere, & florū ſuauitate gratiſſimus, ſic Chriſtus, & altitudine eximius, & candore excellens, & omnium odorum ſuauitatē diffundens, omnium in ſe rerum pulchritudinem, & bonitatem non continet ſolùm, ſed etiam longo ſuperat interuallo. Et quia Libano mōte aliquid eſt ſublimius, nēpe cedri, quæ ſua etiam proceritate ſpectādæ in ipſius Libani faſtigio poſitæ multo magis altæ, atque conſpicuæ ſūt; ideo huic etiam arbori ſponſi pulchritudinem accommodat ſponſa, quam eſſe perpetuā, atque immarceſcibilem oſtendit ipſa cedri natura, quæ & incorruptibilis eſt, & alia plurima à carie, & corruptione defendit. Vnde digna cedro carmina vocamus, quæ æternitatem merentur, & chartam, rem ſanè fragilem, & leuem, oleo vngimus cedrino, ſi diuturnam eſſe volumus. Ita omnino ſpōſus, cùm quò eſt *agri pulchritudo*, Pſ. 49. *cui gloria Libani data eſt*, Iſai. c. 35. immarceſcibilem habet illam gloriā, quia non ab aliquo artis lenocinio fucatam, non ab arte, & tēpore, quæ morbo pleruūque, aut, ſi is abſit, vetuſtate deflorescit, ſed propriam habet, & omnino ſuam.

Eſt etiam optima Ruperti allegoria, qui in *Libano* non mōtem illum nobilem agnoſcit, ſed Tēplum à Salomone cōſtructū. 108. Templum dicitur Libanus Quod enim *Libanus* tēplum quoque ſignificet, diximus in illud c. 4. *Veni de Libano;*

& dixit apertè Zacharias c. 11. *Aperi Libane portas tuas*. Neque deest cōmoda aliqua ratio nominis nam & ex eo monte ad Templi fabricam omnis materia comportata fuit, & quia non secus Templum odores ex altaribus, quàm Libanus ex suo vernaculo prouentu suauiter aspirat. Est autē Tēplum optimus Christi typus; quæ enim in Templo spectantur omnia tanquam in vmbra, illa apparent in Christo clariùs tanquam in corpore. Confer singula Arcam, altaria, victimas, &c. hæc in Christo eminent, & signata pulchriùs, & luculentiùs expressa. Et sanè Christus se ipsum appellauit Tēplum Ioann. 2: *Soluite tēplum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Hoc autem*, inquit Euangelista, *dicebat de templo corporis sui*.

Templū Salomonis Christi typus.

Anima Dei templum.

Facit præterea ad hanc sententiam, quòd sicut olim de monte Libano conuecta materia Tēplum illud materiale ac mortuum texit, & ornauit, sic viua Tēpla, corda scilicet hominum ex mystico, ac verè cādido, atque odorato Libano materiam sumunt, non ad stabilitatem solùm, sed etiam ad splēdorem, vbi habitet non iā in vmbra Christus, vt olim in Hierosolymitano, sed Christus ipse, qui vt author, & opifex talium tēplorum est, sic etiam inhabitator eorum esse vult. Indicat hoc Paulus ad Ephes. 4. sub alia metaphora. *Crescamus*, inquit, *in illo per omnia, qui est caput Christus, ex quo totum corpus cōpactum, & connexum per omnem iuncturam*, &c. Qui ergo tēplum Dei esse desiderat, habet & formam, in quam si diligenter intueatur, non errabit in cōstruendo manus; & vnde ad ædificādum propriam sumat materiam, quæ multis tēplis vna sufficiet, & hic est Christus, verus vtique Libanus. Hic verò qui Dei templum est, quique etiam Libanus, vt Salomonis Templum, dici potest, audiet ad extremū dulcissimam illam sponsi vocem: *Veni de Libano, veni, coronaberis*; morietur enim, vt sponsa in Domino, id est, in cōplexu, atque osculo Domini, à quo nuptialis corona parata est.

Guttur illius suauissimum.

HEb. *suauitates*; & ita vertunt L x x. Laudatur sponsus non tam à sermone, quia de hoc suprà cùm de labiis actum est, quàm de voce, ac sono, vt putat Nyssenus: quia hæc in gutture sunt; non autē sermo, qui in ore fingitur, cùm in gutture sonus tantùm fit immoderatè profusus. Seu, vt ego existimo, de halitu, & bene olente anima, sicut sponsa laudatur cap. 7. cuius odor, qui est ab ore, vel à gutture, spirare dicitur quod poma, aut quod vinum optimum. Repēdit verò gratiam, quam ab sponso acceperat c. 4. Audierat enim ab illo: *Fauus distillans labia tua*. Vbi verò noster, *suauissimum*, Heb. *suauitates*: sic etiam vbi statim, *totus desiderabilis*, Heb. *totus desideria*. Quo loquendi genere per abstracta valdè attollitur oratio, & ita vertunt L x x. Ac si dicat; nihil est in sponso, quod non amabile, nihil quod non desiderabile sit; imò quod non sit amor, & desiderium. Ad hanc quasi summam contrahit, quod multis antè prosequuta fuerat, quò tādem ostendat non esse cur cuiquam mirum videri debeat, si ipsa tantopere doleat, quòd sponsum talem tam rusticè tractauerit, ac durè; neque sibi vertendum esse vitio, quòd abfit domo multa iam nocte, quòd in murorum vigiles incurrat ignota, quòd amoris, & doloris impatiens, tota erret ciuitate, quòd decori antè immemor, nunc verò inurbani

109. Histor.

urbanitatis, & iniuriæ memor duras à se pœnas exigat, quòd filias Ierusalem supplex oret, vt ad illā sollicitudinem suam quoque operam adiungant; quò ab sponso suo per tot dispendia, atque ludibria tandem inuento, gratiam aliquā ineat. Qua ratione fœminæ Solymitides adductæ suam operam, & sedulitatem pollicitæ rogant sponsam, vt edat quam in parte suspicetur spōsum declinasse, vt eò ipsæ quoque conuolent.

110. Allegor. Christiū̄sus intimi atque affectus suauissimi. *Guttur eius suauissimum.*] Credo hîc nō tā agi de Christi verbis, licèt in eis esset mira suauitas, & æternæ vitæ dulcedo (quia iam de illis suprà dictum, quādo actum est de labiis) quàm de anhelitu, & sono. Et quidem sic putat Nyssenus hîc de sono, ac voce sponsam loqui, non de sermone; quia sonus in gutture est, quem primùm immoderatè profusum lingua, atque alia instrumenta naturæ moderantur, & fingunt, & ita fit sermo. Sed placet maximè, vt sonus hîc non solùm, & vox, sed etiā halitus intelligatur, & anima suauiter olens: sicut etiam sponsa c. 7. ab eodem anhelitu laudatur. Est ergo non in sermone tantùm sponsi, sed in ipso sono, atque halitu tanta suauitas, vt cùm cætera sponsæ ornamenta aliarum rerum comparatione explicata fuerint, vt bene hîc notat Rupertus, illa tamen suauitas, quæ est à gutture, neque similitudine vlla, neque vlla verborum forma explicari potuerit; sed simpliciter dicatur, *guttur suauissimum,* & ab Hebræis significātiùs, *ipsa suauitas.* Illa ergo suauitas, quæ à gutture, imò verò à visceribus per anhelitū trahitur, non capitur ab omnibus, sed ab illis tantùm qui ad spōsi familiarem complexum, atque osculum admissi sunt, ad quod cùm iam ascendisset spōsa, hausissètque per osculum diuini sponsi halitū, & quādam quasi viscerum partem libasset, id est, ardentissimos animi affectus, sensúsque tenerrimos; cùm nihil haberet, quo vim ardentis animi, & diuinam suauitatē exprimeret, suauissimum esse dicit, imò suauitatem; sicut statim totum desiderabilem, imò etiam desiderium esse canit.

111. Cōcionator Christi sensus, & affectus aspirat. Huius spiritus, aut halitus, in quo sonus est, qui ex gutture efflatur ad sermonis organa, diuini verbi præcones, formatores, seu dearticulatores dici possunt: per hos enim diuini sensus, atque consilia perceptibili quadam forma figurata ad hominum aures, & aurium deinde nuncio ad animos transmittuntur. Ideo Ps. 44. Dauid *linguam suam calamū Spiritus sancti* dicit, quia per illam non aliter, atque formatis literis diuinæ cogitationes, ac sensus spectanda hominibus proponuntur. Seu, vt Nyssenus indicat, vox Dei, ac sonus concionatores sunt, quam Deus ad Euangelici sermonis dignitatèm format, & fingit. *Et ideo,* inquit Nyssenus, *magnus ille Ioannes rogatus, quis esset, vocem se appellauit: & beatus ille Paulus documentum edebat loquentis in se Christi, cui vocem suam locauerat, ex qua nimirum Christus fingeret verba.* Nysseno fauet explicatio Pselli, qui Ioannem Baptistam guttur dicit esse Christi, quia ipsius præcursor, & præco, & quasi vox fuit. Hinc discant sacri verbi ministri, quàm optandum ardēter, quàm orandum assiduè ipsis sit, vt de Christi visceribus spiritum habeant, quem lingua forment, resonaréque faciant in hominum concentibus. Quòd si spiritum alium aut forment, aut proferant, malè, & suæ conscientiæ, & dato sibi muneri consuluerint. Quòd si Christi vox sunt, Euangelio nempe conse- (Ioannes Bapt. Christi vox.)

erata, vt dicebat Nyssenus, imitare debent, orareque perpetuò, vt illam formet Christus; ita vt nihil sonet, nisi diuinum, nihil quod non à Christo vel expressum, vel probatū esse videatur. Sed quia Christus nugator non est, aut ineptæ facundiæ captator, si quidpiam est, quod ineptas nugas, aut aulicas ineptias redoleat, à Christo non formatur; sed alterū, quàm Christo locata vox est.

112. Christus totus amabilis. *Totus desiderabilis.*] Hæc summa est bonorum, quæ de sponsi pulchritudine pluribus prædicauit sponsa. Ait enim in illo nihil esse quod non sit amabile, nihil quod non mille votis expeti debeat. Quam ad rem valdè facit illud Augustini in Psal. 44. parum à principio. *Sponsus procedat nobis, amemus illum, aut si inuenerimus in illo aliquid fœdi, non amemus. Quia, & hoc ipsum, quòd carnem induit, vt de illo etiam diceretur, vidimus eum; & non habebat speciem, neque decorem, si consideres misericordiam, qua talis factus est: & ibi pulcher est. Pulcher Deus verbum apud Deū; pulcher in vtero Virginis, vbi non amisit Diuinitatem, & sumpsit humanitatem; pulcher in cœlo, pulcher in terra; pulcher in vtero, pulcher in manibus parentum. Pulcher in miraculis, pulcher in flagellis; pulcher inuitans ad vitam; pulcher nō curans mortem, pulcher deponens omnia, pulcher recipiens; pulcher in ligno, pulcher in sepulchro. Ibi illum non videbis pulchrum, vbi deprehenderis iniustum. Si vbique iustus, vbique decorus.*

113. Allegor. *Quò abiit dilectus tuus, ô pulcherrima mulierū, & quæremus eum?*] Non deterrent Solymitanas adolescentulas, aut noctis pericula, aut recens exemplum spoliatæ, atque vulneratæ spōsæ, quominus spōsum quærerent, & eius conspectu, & sermone fruerentur, quem tam esse amabilem ab sponsa didicissent. Vbi pro his, qui Dei causam ad proximos agunt, obserua, tunc eorū orationē & sermonem esse, & veram communiter existimari, cùm ad eius cōtentionem, & vim accedit oratoris exēplum, & vita cum oratione cōsentiens. Non crederent, puto, Solymitanæ puellæ pulchrum esse sponsum, & totum desiderabilem, etiamsi hoc millies omni verborū apparatu iteraret spōsa, si hæc è cubili caneret, ex vmbra, & ex deliciis, quas haberet aprica domus, & mollis lectus; nugari etenim crederetur, & ludere, cùm abesse pateretur illum, quem tam esse amabilem prædicarat: nūc verò cùm abiecta lecti mollitie, spoliata, & saucia, adhuc tamen in quærēdo spōso perseueret, spoliari iterum, ac sæpius vulnerari parata, tunc demum potens ad persuadēdum, & ad flectēdū vehemēs existimatur oratio. Vitæ exēplum potētius ad mouendū quàm verba.

Quòd si beatas mentes, aut Angelos, aut perfectos certè viros in hoc puellarum choro consideres; 114.
vt suam operam sponsæ sollicitudini adiungāt, de loco rogant, in quo sit, vel ad quem tantus declinarit sponsus; non quia ipsi dubitent, sed vt se ipsa doceant, quibus maximè studiis sua opera prompta, atque parata sit. Si enim sponsum ibi quæreret, vbi ipse nō inuenitur; scilicet in luxu, diuitiis, contentionibus, cubilibus, & impudicitiis, ad hæc non adsunt Angelorum, & Sanctorum sedulitas, & preces: si in Cruce quærant, in castitate, in rerum humanarum contemptu, adsunt omnes certatim ad fauendum nostræ sedulitati expediti, atque alacres. Hæc de capite quinto.

ARGV

ARGVMENTVM IN CAPVT SEXTVM CANTICORVM.

POSTQVAM sponsus è Sulamitidis narratione didicit, quid ausa, & quid passa fuerit in se inuestigando, laudat illam multo magis quàm antea. Et quæ priùs de illius pulchritudine, atque præstantia dixerat, iterat rursus, & confirmat. Addit præterea Reginis plurimis, & concubinis, innumerísque adolescentulis esse præferendam; idque non tantùm suo, sed etiam ipsarum iudicio. Quare iubet, vt psaltriæ fœminæ (sunt autem illæ, quæ priùs Reginæ, concubinæ, & adolescentulæ vocatæ) illam intueantur, & laudent. Quod ipsæ faciunt summatim priùs, dum sponsam cum aurora, Luna, & Sole componunt; deinde sigillatim cap. 7. Post verò sponsus, vt omnem abalienati animi, aut offensi suspicionem eximat, ostendit cur surgenti iam ad aperiendum sponsæ se subtraxerit: cuius rei ignoratione grauiter se commotam significat sponsa; quia qualibet offensio instantibus iam quadrigis Aminadab, id est ferculo Salomonis ad nuptias parato, non poterat esse non importuna. Ad extremum puellæ psaltriæ orant Sulamitidem, vt spectandam se præbeat, quò possint, quæ spectarint ipsæ oculatæ testes sigillatim laudare.

CAPVT VI.

Sponsa.

1 *DIlectus meus descendit in hortum suum, ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis, & lilia colligat.*

2 *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.*

PARAPHRASIS.

1 QVò sponsus abierit, filiæ Ierusalem, incertum mihi est, suspicor tamen illum, vt est munditiæ amans, ad areolam aromatum descendisse, vt ibi se oblectet in hortis, & lilia colligat.

2 Bellè inter me, & dilectum meũ conuenit, vt ille se mihi totum dat, sic me vicissim illi totam impendo, qui, vt antea suspicabar, & nunc etiã

re experta sum, inter lilia pascitur, & ibi se oblectat.

3 Ex hac tua narratione, quam inter epulas cum amicis audiui, cognoui, ô amica mea, dignam esse te, quæ plurimi fias, & plurimùm ameris. Es enim pulchra, & suauis sicut Ierusalem, ad quam nunc ascendis; & terribilis, sicut instructa militariter acies: quæ tot difficultates, ac pericula superare potueris.

4 Neque temere nunc te à venustate, & fortitudine commendo; cùm me igneis oculorum tuorum radiis ita percusseris, vt longè à me ipso auolare coëgeris. Quare nō muto, quæ priùs de tua pulchritudine dixeram; imò confirmo de nouo, atque adeò augeo. Capilli tui, tui, inquam, capilli, sicut antea dixi, similes sunt capreis, quæ ascenderunt de monte Galaad.

5 Dentes item similes sunt ouium gregi, quæ lotæ, & mundæ ascenderunt de lauacro, quibus gemelli affixi sunt fœtus: neque ex omnibus vna sterilis est.

6 Genæ tuæ sic honestè rubent, sicut cortex mali punici: quibus accedit ad speciem non parū ex eo, quòd, aut frondibus è corona, aut capillis è capite velatæ sunt.

7 Est sanè in hoc nuptiali plausu numerosa fœminarum turba, sexaginta, quæ matresfamilias sunt, vocarique Reginæ solent, sicut tu nunc Regina diceris; ô Sulamitis. Sunt octoginta concubinæ, quæ prolis gratiâ aliis legibus, & alio iure à viris acceptę: sunt præterea innumerę aliæ ado

Sponsus.

3 *Pulchra es, amica mea, suauis & decora, sicut Ierusalem: terribilis vt castrorum acies ordinata.*

4 *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt. Capilli tui sicut grex caprarum, quæ ascenderunt de Galaad.*

5 *Dentes tui sicut grex ouiū, quæ ascenderunt de lauacro: omnès gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis.*

6 *Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ absque occultis tuis.*

7 *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularū non est numerus.*

8 *Vna*

adolescentulæ, ac virgines.

8 *Vna est columba mea, perfecta mea: vna est matris suæ, electa genitrici suæ.*

8 At amica, atque columba mea vna est pro omnibus, imò & præ omnibus his. Quam ita diligo sicut mater solet, quam vnicam habet filiam.

9 *Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt: Reginæ & cõcubinæ, & laudauerunt eam.*

9 Neque hoc vni mihi de sponsæ pulchritudine iudicium est: quod quia ab amore natum, qui ad rem amatam cæcus esse solet, non multùm habet fidei; sed alij hoc ipsum mecum iudicabunt. Quare ipsæ filiæ Sion, id est, virgines, concubinæ, atque Reginæ, quæ præsentes sunt, & sistris concrepant, & Epithamium cantant, ipsæ quoque attentè, atque per otium videant, & suum de Sulamitide iudicium cantando prodant.

Adolescentulæ.

10 *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgẽs, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?*

10 Quando nostrum iudicium de pulchritudine Sulamitidis appellas, ô sponse, illud vel inuitæ subscribemus tuo. Visa enim nobis est adeò speciosa tua Sulamitis, qualis cùm primùm rosea surgit aurora: parum diximus, pulchra est vt Luna; neque hoc satis, electa est vt Sol. Et quòd tu illam terribilem vocasti, neque inferiorem acie ex arte militari ad bellandum instructa, idem omnino nobis visum est.

Sponsus.

11 *Descendi in hortum meum, vt viderem poma conuallium, & inspicerẽ si floruisset vinea, & germinassent mala punica.*

11 Quando tu, ô sponsa, narrasti nobis, quid tibi contigerit, cùm ego à tuis foribus excedens sollicitudinem tuam, & amorem cluserim, audi tu nunc quid interim ego consilij ceperim, quò declinauerim. Descendi enim in hortum meum, vbi sub auroram hodie inuenisti me: eo consilio, vt viderem an mala punica germinas

minaſſent, an floruiſſet vinea, & locus eſſet ſatis opportunus nuptialibus deliciis.

12 Si id mihi compertum eſſet, ô dilecte mi, magna me cura, atque moleſtia liberaſſes. Vehementer enim animam meam hæc perturbabat cogitatio, ne mea inurbanitate offenſus animum alienum haberes à nuptiis. Nam cùm omnis offenſionis ſuſpicio grauis ſit amantibus, maximè cùm iam tempus appetit nuptiarum; quando proximæ ſunt quadrigæ Aminadab, id eſt, ferculũ Salomonis, in quo traducuntur geniali pompa noui coniuges.

Sponſa.

12 *Neſciui: anima mea cõturbauit me propter quadrigas Aminadab.*

13 Quando ſponſus tuus, ô Sulamitis, nobis præcepit, vt videamus te, laudemus, ac beatiſſimam prædicemus, age iam, vt eius mandatis pareamus, conuerte ad nos faciem, téque nobis aſpiciendam præbe.

13 *Reuertere, reuertere Sulamitis: reuertere, reuertere, vt intueamur.*

IN

IN CAPVT SEXTVM COMMENTARIVS.

Dilectus meus descendit in hortum suum.

1. Histor. CVm jam filiæ Ierusalem seipsas ad quærendum cũ Sulamitide sponsum accinxissent, id est, adiunxissent se ad illam hymenæam solemnitaté socias, quæsissentque, quem in locum suspicaretur sponsum diuertisse: ipsa quasi tunc primùm aduerteret in hortis sponsum solitum esse commorari, seque stuporis incusaret, quòd non priùs id venisset in mentem; ait in hortis omnino esse quærendum, vbi seipsum pascit, atque oblectat inter lilia, dignus sanè qui lilia, & colligat, & calcet: vel, quia eius ingenium, sensusque intimos norat, credit vsque adeò non offensum illa sua inurbanitate; vt etiam colligat lilia, floresque alios ex aromatum areolis ad texendas coronas; quibus vel caput sponsæ, vel etiam fores ipsas, à quibus repulsus est, iterum exornet.

2. Allegor. *Dilectus meus descendit in hortum suum.*] In *horto* Ecclesiam adumbrari putant Greg. S.Tho. & Beda: neque enim extra Ecclesiæ septa aromata sunt vlla, aut lilia, quæ sponsus colligat: sed iidem fidelium cœtus, Religiosæ familię spõsi horti. quales sunt Religiosæ familiæ, aut fideles animas, hortum esse putant, ex quibus quotidie fructus à sponso leguntur. Ibi enim dispositi variarũ virtutũ flores, & aromata hortum perpetuò vernanté, atque olentem faciunt. Hũc trahit diuinus sponsus, quos amat è syluarum vastis, atque incultis dumetis; atq; illis se amanter, ac familiariter impertit.

His verbis ostẽdere videtur spõsa dilectum suum superiori inurbanitate offensum esse grauiter, & à se tanquam ab inculta, & plena sentibus sylua refugisse; cùm in frigido illo, atque rustico pectore, neque aromata inueniret, neque lilia, quæ legeret. Ait ergo, cùm domi meæ non hortũ amœnum, sed saltũ siti, atque neglectu horridum offenderet, inueniretque non lilia, & tactu mollia, & odoratu grata, sed spinas, quæ pungerẽt, arcerentque manus, ad hortum suum se recepit, vbi flores habet, & aromata, quibus, & dolorem ex meo ex stupore conceptũ leniat, & animum longo desiderio æstuantem, recreet, & exsaturet. Et quidem Deus à peccatorum ianuis inurbanè repulsus, tanquam à spinoso dumeto; habet Religiosorum claustra, & piorum animas, vbi se diu, & frequenter oblectat.

Dilectus meus mihi, &c.

HIc finit sponsa narrationẽ eorum, quæ sibi, vt est verisimile, proxima, quæ antecessit, nocte contigerunt; clauditque Canticũ familiari hac clausula sæpius in his Canticis repetita; qua significat deberi se totam sponsi liberalitati, & in ipsius potestate perpetuò futuram, 3. Histor.

Porrò his connectenda sunt prima verba huius Epithalamij, quia hæc, quæ posteriùs Dramaticè commemorata; priùs historicè gesta sunt. Vt enim hîc nondum fingitur spōsa dilectum inuenisse, sed angore, sollicitudine, & amore æstuans, vulnerata, & mœrens illum inuestigate, sic statim in principio non minori studio, atque ardore fingitur illum quærere; neque tandē quiescit, donec in hortis, id est, inter pastorū tabernacula repertus est. Vt ergo hîc dicit spōsa dilectum suum in hortū descendisse, seque statim accingit, vt eò se cum puellis Solymitanis conferat; sic conatus iste, ardórque ad hortos vsque, & tabernacula sponsi, in primo statim Canticorum capite continuauit. Vide quæ in Prolegomenis suprà diximus.

4. Allegor. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.*] Hæc à nobis suprà exposita capite 2. solùm hîc addendum est, statuisse sponsam apud sese, quando sponsus inter lilia pascitur, non inter vepres, mutare animū inclementem, & durum, & liliorū instar mitem iam, & candidum assumere; vt totā se sponso det, atque ad eius voluntatem fingat, sicut tantæ dignitatis sponsus ad ipsius se commoditatē, & ad ipsius se quodam modo naturam accommodat. Porrò quàm pauci possint dicere, *Ego dilecto meo*, docet optimè, & multis Amb. in illud Psal. 118. *Tuus sum ego*, Sermone

Vox Religiosi propria. 12. Et indicat hanc vocem in Religiosum conuenire, qui propter Deū omnia reliquit.

5. Nyssenus in cap 6. Cant. vbi hæc verba redeunt, duabus similitudinibus hanc sponsæ ad sponsum conformationem exponit: quibus eam docet futuram esse similitudinē, vt alter ab altero formam, & effigiem expressisse videatur, ita vt in sponsa sponsum, & in sponso sponsam videre te putes. Altera similitudo sumpta est à tabula, in qua imago quædā est, quæ ad viuū exprimit, & tepræsentat archetypum: tunc qui alterum viderit; vtrumque viderit. Anima religiosa Deo se totam attéperat. Altera ab speculo, quod imaginem recepit tantùm, non spirantē, & viuam eius, quē aduersum habet. Debet ergo sponsa tanquam pura tabula ad sponsum accedere, vt ab eo, quos ipse voluerit inducere colores, quamcumque velit effigiem informare, recipiat. Et sicut speculum figuram nullam habet; sed illam admittit, quam is, quem habet coram, obiicit, atque imprimit; sic sponsa fidelis, quæ præter sponsum nullum alium ad aspectum admittit, eius figuram in se recipit, neque illam ex se vnquam, aut eluit, aut abiicit: quia nunquam illum præsentem non habet. Talis erat Paulus, qui Christi in se similitudinem expressit, qui ita de se ad Philip. 3. *configuratus morti eius*; & iterum cap. vltimo ad Galatas: *Ego autem stigmata Domini Iesu in corpore meo porto*, id est, effigiem Christi. De speculo est illud 1. Corint. 3. *Nos verò reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur*, id est, speculorum more Christi in nobis imaginem recipimus, ac reddimus.

Pulchra es amica mea, suauis, & decora sicut Ierusalem.

AVdierat sponsus laudes suas, oblectabatúrque interea oratione officij, ac beneuolentiæ plena; 6. Histor. remetitur laudem, & officium satis cumulatè, dum suauem dicit esse, & deco

decoram ſicut Ieruſalem: quæ *perfecti decoris* eſſe dicitur; *& gaudium vniuerſæ terræ*; Thren. 2. eo maximè tempore, quo ciuitas illa Regia ſic affluebat opibus, vt tanta eſſet in ea abundantia argenti, quanta lapidum. 3. Reg. 10. De cuius laude, & gloria multa à multis cantata. Neque tantùm formoſam dicit, ſed etiam terribilem, ſicut aciem omni bellico apparatu luculenter inſtructam. Ideò verò terribilis appellatur, vel quia de nuptiali more vexillata, & multorum hominum frequentia ſtipata ex hortis geniali pompa reuertebatur, vel quia nocturnas tenebras non horruit; neq; varios inſultus, neq; inopinatos caſus formidauit, qui in vrbibus copioſis, & graues ſunt, & paſſim obuij. Tum etiam quia aduersùs ipſum quoque ſponſum ita potens eſt, vt vel vno oculorum conie ctu violēter, ac propè dixerim impotenter trahat, vt ſtatim ipſe fatetur.

7. Vbi vulgatus habet *ſuauis*, Heb. eſt כתרשה. *Chetirſah*, quod Lxx. vertunt εὐδοκία, id eſt, *beneplacitum*, ſeu *beneuolentia*, à radice רצה *Ratſah*, quæ *velle*, ſeu *placere* valet: neque tunc differt à vulgati ſenſu, ſed ineſt vis maior in abſtracto. Vt enim amabilem, amorem, gratum, ipſam gratiam, ſceleratum, ſcelus vocamus, ſic nunc ſponſa dicitur non ſuauis, ſed ipſa ſuauitas; vel ſicut ipſa ſuauitas. Alij retinent vocem ipſam *Tirſah*, quæ ciuitas fuit, vbi ſuam ſibi ſedem poſuerunt Reges Iſraël; & dicunt ſponſam conferri cum duabus ciuitatibus, quæ duorū Regnorū caput eſſent, & ſedes. Sed ſanè, vt pulchra ſit, & amœnitatis eximiæ Tirſah, quod indicat ipſa nominis notatio; certè Regia non erat ſedes Salomonis tempore: neque admodùm celebris, cùm à tempore Ioſue, cap. 12. nuſquam in ſacra Scriptura eius nomen auditum ſit, vſque ad tempora Ieroboam, qui ibi Regni Iſraël caput conſtituit, donec ædificata eſt Samaria. Quòd ſi propter ſitum, naturámque loci, amœnitatis, & venuſtatis multùm habuit, vt docet ipſa nominis ratio, etiamſi Regiæ ſedis illi ſplendor defuerit; non adeò reprehēdendi ſunt, qui retinendum exiſtimarunt nomen Tirſah, à qua ſecundo loco gradatio facta eſt ad Ieruſalē. Neque verò ideo à vulgato receditur, cùm & ſenſus ſit idem, neque nunc primùm pro nomine eius ſignificationem adhibeat.

Quam ad rem obſerua, in ſacra Scriptura ſumi pro nominibus propriis eorum ſignificationem. Qua ratione Simon Chanenæus dicitur Zelotes, Thomas, Didymus: & qui in Actis dicitur Sylas, eadem ſignificatione à Paulo in Epiſtolis vocatur Syluanus, omnium pene Interpretum ſententia, ἀπὸ τῆς ὕλης, mutato ſpiritu denſo in S. Græcorū more. Neque id abeſt à Latinorum cōſuetudine: nam Suetonius in Othone cap. 10. patrem ſuum nominat Suetonium Lenem, ipſe tamen pro Leni, Tranquillum ſumpſit, eodem quidē ſenſu, licèt diuerſo ſono In ſacra Scriptura occurrent pene innumera exempla. Vna clauſula cap. 4. v. 22. lib. 1. Paralip. exhibebit quatuor: pro nominibus etenim propriis, eorum adhibetur ſignificatio; *Qui ſtare fecit Solem, virique mendacij, Securus, & Incendens*, pro *Iochim, Chozeba, Ioas, & Saraph*; ſic hoc loco pro nomine proprio *Tirſah*, nominis notationē vſurpauit, vt oſtenderet, qua in re ciuitati illi ſponſa videatur ſimilis, nempe in ſuauitate, & amœnitate, ſicut Ieruſalē in decore, & gloria. Quæ cùm ædificiorū 8. Nominis ſignificatio pro nomine.

ſpecie & mole,& Templi maieſtate,ciuium frequentia, atque amplitudine ſplendeat, amœnitatis tamē non multùm habet;quia ſolo eſt, & petroſo,& arduo,imò & ſterili, ſi Straboni credimus lib. 16. Quare ſponſa non bene ſuauis diceretur, ſicut Ieruſalem;neque vni illi comparata ſatis videbatur pro meritis laudari. Decorem ergo Ieruſalē, & amœnitatē Tirſah in ſponſam confert ſponſus. Adde quòd voci *Tirſah*; Heb. additur כ, quæ nota ſimilitudinis eſt; non autem ſatis aptè dicitur *pulchra es, ſicut ſuauis*. Quòd ſi abſtractum eſſe dicas nomen, *ſicut ſuauitas ipſa*, vel *gratia* (quæ loquēdi forma inuſitata nō eſt) decreſcit tamen oratio, cùm ſtatim redeat ad concretum, & dicatur, *decora ſicut Ieruſalem*: quod multo leuius eſt quàm ipſa ſuauitas.

9. Allegor. Ad ſpem excitatur peccator. *Pulchra es amica mea, & decora ſicut Ieruſalem*.] Narratio eorum, quæ ante illud tempus euenerāt ſponſæ, tam accidit ſponſo grata, maximè pars illa extrema, quæ ſignificabat dolorem propter inertiam,& incuriam,& deſiderium ſponſi ex oculis ſublati,aſſumptùmque laborem, & adita pericula pro eo recuperando, vt etiam appellet pulchram,& ſuauē. Quia ſi quid turpitudinis aſperſit lecti mollities; ſi quid amaritudinis verborum inurbanitas, id totum ſuſtulit dolor ex ſponſi deſiderio conceptus,& piæ lacrymæ,quas facti pœnitentia ex oculis excuſſit. (Pœnitentiæ vis.) Quare appellatur pulchra,& fortis, cuius ſcilicet ardorem in amando nocturna pruina non extinxit; & in quærendo conſtantiam vigilum iniuriæ,& inflicta vulnera non fregerunt. Hinc diſcat qui Deum ſæpe ac diu ad animæ fores excubantem repulit,fieri poſſe, vt, licèt offenſus neque ſemel, neque leuiter à nobis abierit, placari tamen poſſit, atque ita placari, vt nos ſuas ſibi delicias eſſe dicat, illámque ineſſe nobis pulchritudinem, & ſuauitatem, quam habet vrbium omnium pulcherrima Ieruſalem: & talem fortitudinem, qualis eſt in ordinata caſtrorum acie. Neque id ſine cauſa; mens enim quam peccati pœnitet, quam amor inflammat videndi ſponſi, caſtra vndique ab aduerſaria potentia, quæ pios conatus retardare moliuntur, licèt horribiliter inſtructa, ridet, & calcat, adeò non timet.

Auerte oculos tuos à me, quia ipſi me auolare fecerunt.

LAudat iterum ſponſam eodem prorſus ordine, eiſdem pene verbis quibus cap. 4. & incipit ab oculis,quibus ab effectu maiorem vim,& laudem attribuit, quàm ſuprà à ſimilitudine columbarum. (10. Hiſtor. Vis oculorum in amore.) Quaſi enim ſponſum vis illa ignea oculorum ſui omninò ipſius impotentem trahat, ac ſpiritu pene aliò abrepto exanimatus ipſe,aut exanimato ſimilis fiat;rogat quando ipſe ab amore ſuo impetrare nō poteſt, vt illam non intueatur, ſi è regione conſiſtat,vt aliò detorqueat oculos, ſi modò velit ipſe apud ſe tantiſper vt ſit.Hoc pene loquendi genere ſuprà vſus eſt cùm dixit: *Vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum*. vbi alij, *excordaſti me*. Quod etiam dicendi genus familiare eſt profanis authoribus, qui fatentur ſe ferre non poſſe igneam illam, & amatoriam vim, quæ ab aliorum oculis vibratur. Tibul.lib.4. de laude Sulpitiæ. Ouid.in epiſtola Acontij, & alij ſæpius. Verbum

רהב

רהב *Rahab*, pro quo noster, *audlare*, multa significat, & in his *roborare*, & *praeualere*. Vim autem eius optimè expresserunt noster, & Lxx. dū vertunt, *auolare fecerunt*, id est, in te audaciùs, & impotentiùs ferri. Aliquid non valdè dissimile dixit Acontius epistola ad Cydippé, qui additā sibi audaciam dicit ab oculorum specie.

Audaces facie cogimur esse tua.
Tu facis hac, oculiq; tui quibus ignea cedunt
Sydera. ——— ———

Et satis familiare est amātibus, fateri succumbere se aliorum pulchritudini; maiorē esse amoris vim, quàm vt ferri queat. Illud verò *auolare*, aut ereptam alicui mentem, aut amoris vi quemquam in alium violenter rapi significat.

11. Allegor. *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt.*] Mirè exprimitur hîc quantùm Dei pectus afficiat, & capiat peccati dolor ex amore conceptus. Sicut enim pondus, cui impares vires sunt, deponere quis curat, ne oppressus corruat: & sicut gaudium, si nimium sit, vitam adimit: vnde quidam gaudium quod capi potuit ex optimo, atque insperato nuntio, artificiosè temperandum esse putauerunt. Et noster B. Franciscus Xauier cùm spirituali gaudio iam pene succumberet, clamabat sæpe; *Sat est iam, Domine, sat est*. Sic etiam amoris ea est potestas, vt impotentem sui reddat, quem semel occupauit animū; adeò vt contrà niti, neque velit, neque possit. Sponsum ergo diuinū sic in inflammāt lacrymæ non tam vndantes instar aquæ, quàm erumpentes instar ignis è clibano, vt vim quandam amatoriam patiatur, & quasi deficiēs animo, cùm nō posset ferre igneam illā vim, quæ à lacrymantibus oculis vibratur, exclamet; *Auerte oculos à me, quia ipsi auolare me fecerunt.* i. à me

Gaudium Dei ex peccatoris conuersione, & lacrymis.

deficere, siue extra me ferri. Nam, vt acutè dixit quidā, *amare, & sapere vix Deo conceditur*. Fauet expositio Abenezrę, qui sic interpretatur: *Potētiores sunt me, mihi robur, & dominationem adimunt*. Neque aliud sibi vult illud c. 4. *Vulnerasti cor meum*, quod Lxx. vertunt; *excordasti me*, vel, vt dicit Amb. *cepisti meā corde*. Si pro, *auolare*, cum R. Salomone, atque Anonymo interpretère, *extulerunt, & superbire me fecerunt*, sensus est ad excitandos animos ad bene sperādum de diuina misericordia accōmodatissimus. Tam enim lōgè esse significatur Dominus, vt peccatorē dolentem auersetur, repellatque supplicē, vt potiùs gloriosū sibi esse ducat, si quispiam post lapsum, veniæ gratia ad ipsum accedat. Ideo sponsæ suam culpā lugēti dicit, superbire se, atque extolli, dū oculos videt ex dolore simul, & amore lacrymātes. Gloriā autē Dei esse peccatorū veniā indicat Paul. ad Rom. 3. *Omnes*, inquit, *peccauerunt, & egēt gloria Dei*. i. vt ignoscat Deus. Cur ergo cuiusquā peccatoris animus cōcidat, aut de venia desperet, quando Deus extolli se dicit, ac triūphare, cùm & alij ad suam misericordiam confugiūt, & ipse peccatori veniam misericors largitur?

Deo gloriosum est ignoscere; & in eo triumphat.

Sunt qui hîc putēt, audaciā, & curiositatē spōnsę reprehendi, quia intueri propiùs spōsi formā, & dignitatē voluerit; & ideo cēsent à spōso pręcipi, vt oculos habeat columbinos, & simplices. Quòd. n. ipse auolarit, pœnā esse oculorū, qui scrutari curiosè voluerūt, quod simpliciter potiùs venerari debuissent. In his sunt Amb. lib. de Isaac c. 7. Greg. S. Tho. Beda: & facit illud Pr. 2. *Sicut qui mel multū comedit, nō est bonū; sic qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria*. Est sanè hoc verū, & à vitę spiritualis magistris sępe repetitū: verū nō videtur aptè cū orationis filo cōnexi: neq; n. 12.

12. Curiosi oculi etiā in spiritualibus improbati.

ideo recessit sponsus, quòd propiùs sponsa; atque curiosiùs videre tentauerit; sed quòd propter mollitiem, atque desidiam potiùs videre noluerit: neque præterea inter tot laudes aptum habere locum poterat illa reprehensio. Est ergo eximij amoris significatio potiùs, quàm audaciæ, aut inquisitionis exprobratio.

Capilli tui sicut grex caprarum, &c.

13. Histor. Multa iisdem verbis in Scriptura repetuntur. REdeunt hîc multa iisdem propè verbis, quæ nobis c. 4. exposita sunt: neque tamen otiosa est hæc repetitio, aut in sacris literis insusitata: nam multa quæ dicta sunt Psalm. 117. sequenti statim Psalm. 135. repetuntur. Et Psal. 107. ex Psalmis 56. & 59. compositus est, Ps. 13. & Ps. 52. iisdẽ propè verbis constant. Quæ de excidio Hierosolymitano per Babylonios scripsit Ierem. c. 39. refert eadem iterum c. 52. & eius generis sunt alia plura. Hęc verò eodẽ modo sæpius vsurpata, & in proposito firmitatem, & in re ipsa certitudinem ostendunt. Pharaonis somnium, qui spicas vidit, & boues, Gen. 41. dum interpretaretur Ioseph, dixit: *Quod autem vidisti secundum, ad eandem rem pertinens somnium, firmitatis indicium est*. Quòd si alicubi licet; & vsu non infrequens est, maximè in re amatoria, atq; Bucolica, vbi quæ grata sunt & dulcia, iterari etiam, atque etiã, & regustari solent. Theodoretus putat, ideo hæc à spõso repeti, vt magni faciat pulchritudinem suam, eámque à labe putam, & illibatam conseruet ei, qui intentos oculos ab ea nunquam detorquebit, quò aliqua quotidie fiat ad venustatẽ accessio. Ad eum ferme modum Petrus Epistola 2. iterata commonitione per Epistolam ait. *Hanc ecce vobis secundò scribo Epistolam*, &c. *vt memores sitis eorum quæ prædixi*.

Eiusdem rei repetitio confirmatio est.

Dei præsentia.

Sexaginta sunt Reginæ, &c.

HIc locus multos adduxit, vt crederent spõsum in hoc Dramate esse Salomonẽ, cui sacra Scriptura 3. Reg. c. 11. attribuit vxores, quasi Reginas septingentas, & trecentas cõcubinas; ad quẽ locum hîc videtur allusũ. Alij verò de alio quouis hîc agi credũt, quia Reginarum, & concubinarũ minor est numerus. Sed hi non satis ex hoc probant sententiam suam: quia cùm scripta sunt hæc Cantica, nõ vsque ad illum numerum fortasse profusa fuerat Salomonis intemperantiã. Ex quo intelligi potest, Salomonem, si seipsum sponsum facit, non composuisse hoc opus, postquam à peccato resipuit, vt nonnulli volunt. Sed neque Reginarum, ac concubinarũ nomen conuincit hoc de Salomone institutum Epithalamium: neque hoc erat eius, in quo tanta esset in omnem partem prudentia, vt hac sponsa tantopere, & tam apertè cæteris vxoribus prælata, odia domestica, & inuidiam excitaret, quæ, vbi ex contentione de pulchritudine inter fœminas nascitur, implacabilis est. Tum quia aliarum animos offendere, & alienare nollet, quas sibi cuperet esse pacatas. Est ergo alius à Salomone sponsus, qui suam sibi spõsam ita placere dicit, vt præ illa alias Principũ vxores, concubinásque contemnat. Confert verò aut cum vxoribus Salomonis, aut aliorũ Regum, quibus ex patrio more permissa erat polygamia. Nam & Thraces plures vxores habẽt, qui, vt tradit Solinus c. 15. vxorũ numero se iactant, & honoris loco multi- 14. Histor.

Polygamia olim inter Gentes vsitata.

plex

plex coniugium ducunt. Idem pene de Parthis Eusebius de Preparatione lib.6.c.8.Iustinus libr.41. De Persis Amianus Marcel.lib.23.& ante hûc Herodotus lib.1.& Strabo lib.15.De Ægyptiis Diodorus Siculus lib.1.c.3. De Syrorum, Persarúmque Regibus Cic.5.in Verrem.Quorum mores verisimile est notos esse Hebręis, quia propę absunt. Horũ ergo vxoribus suam sponsam longè præponit hic noster, & affirmat, non solùm esse instar omnium, sed vnam omnibus esse præferendam.

15. Hæc mihi expositio videtur non difficilis,sed neque displicet,si dicamus cõferri sponsam cum omnibus Hierosolymitanis fœminis;siue illæ sponsæ sint aliorum iis ceremoniis ductæ, vt Reginæ dicantur, de quibus mox agemus; siue ad tori tantùm societatem ascitæ,id est,concubinæ; siue adolescentulæ,quæ nondum in virorum potestatem vllo modo venerunt.Numerus verò certus pro incerto ponitur sacræ Scripturæ more. Hac verò tripartita diuisione omnem muliebrem statum complexus est.

16. Nihilo tamen minùs tertia expositio genuina omnino mihi visa est, quæ tripartita hac distributione cõprehendit fœminarum choros, quæ hymenæis hisce sacris intererant, festóque cantu, ac plausu celebrabant. Quod videtur apertè posse probari,quia statim Reginæ,& concubinæ,& filiæ Sion, quæ nimirum hîc dicuntur adolescentulæ, iubentur sponsam videre, atque laudare. *Videbunt illam filia Sion, & beatam prædicabunt: Reginæ, & concubinæ laudabunt eam.* Hæ verò ostendi sibi iubent sponsæ faciem, vt ad sponsi præceptum illam commendent. *Reuertere*, inquiũt, *Sulamitis*, &c. Quòd verò, quæ nuptialem hanc pompam honestant, Reginæ etiam dicantur, constat ex Psalm.44. vbi cùm sermo esset de sponsa, quæ Regina dicitur, *astitit Regina à dextris tuis*, quæ illi astant, cantántque Epithalamium, Reginæ etiam vocantur. *Filiæ Regum* (id est, Hebræorum phrasi, Reginæ) *in honore tuo.* Porrò adolescentularum nullum esse numerum dicit, quia virgines solebant festa celebrare frequentiùs apud Hebræos:quare in hac geniali traductione præcipuè ex virginibus constabat chorus.

Reginæ, concubinæ,& adolescentulæ, quæ pompam genialem comitantur.

Vna est columba mea, perfecta mea, &c.

CVm tot sint aliis vxores, vel cùm tantus sit fœminarum pulcherrimarum numerus siue in vrbe,siue in hoc Regio planè comitatu; mihi tamen, inquit sponsus, vna est pro omnibus, imò & præ omnibus;quam ita diligo,sicut mater vnicam filiam suam. Nam quibus vxorum copiosa est turba, quo in plures distractus, magis languescit amor.At sponsus cùm vnam habeat, quam intueatur, & in qua acquiescat, collecto prorsus amoris impetu,in illam totus fertur. 17. Histor.

Obserua hîc vulgato sacrę Scripturæ more omitti similitudinis notam; quam si adhibeas, hæc erit magis aperta sententia: Mihi Sulamitis est in amore talis, qualis est vnica filia matri suæ, qui amor ardentissimus est,& suauissimus,& in amoris summi explicationem affertur. Dauid 2.Reg.cap.1. de Ionatha. *Sicut mater amat vnicum filium suum, ita ego te diligebam.* Vnde tractura est 18. Vnicus maximè dilectus.

est apud Latinos, & tritum, *vnicè amare*. Ex quo etiam fit, vt maximus mœror, & luctus significetur per illum, qui ex vnici filij morte suscipitur. Ierem. cap. 6. *Luctum vnigeniti fac tibi, planctum amarum.* Et Amos cap. 8. *Ponam eam quasi luctum vnigeniti.* Sponsus igitur hîc sic affici se dicit in sponsam, sicut in vnicam filiam mater. Meminit verò matris potiùs, quàm patris, quia illius amor & mollior est, & impotentior.

19. Reginæ quæ. Superest iam explicemus, quæ hîc Reginæ, quæ concubinæ, & quæ dicantur esse adolescentulæ. Reginæ illæ dicuntur, quæ solemni, atque præcipuo quodam ritu in virorum manum conuenerunt, quæ domesticis curis præsunt, & quas familia obseruat vt dominas, obsequitúrque vt Reginis. Qualis est quæ Hebr. dicitur שגל *Seghel*, quæ multis in locis *vxor* vertitur, vt Deuteronom. 28. numer. 30. Et Psal. 44. vertitur *Regina*, ab Hieronymo verò *coniux*. Quo sensu hîc sponsa Regina dici posset, sicut cap. 7. dicitur *filia Principis*. Quòd verò vxores, quæ dominæ sunt, domúsque præsunt, Reginę vocentur, indicat Plautus in Truculento scen. 10. vbi ancillæ quædam captiuæ, domi suæ dicũtur fuisse Reginę. Hinc illud Plauti Prouerbiali figura in Sticho:

Suus Rex Reginæ placet: sua cuiq; sponsa sponso.

Ac si diceret, suus Rex Reginę, ac sua contrà Regina Regi placet; nam his nominibus se sponsi salutant.

20. Concubinæ vxores sunt. Concubinæ non sunt hoc loco, quæ impuri quæstus gratiâ pudorem suum alterius libidini prostituunt, sed quæ in casti, ac legitimi tori societatem venerunt, quę etiam nominantur vxores, licèt matresfamilias non sint, neque domui præsint; quæque aptè vocari possent proletariæ, quia tantùm propagandæ sobolis causâ quæsitę sunt. Quare Cicero in Topicis duo vxorum genera constituit: *alterum earum, quæ in viri manum conuenerunt, quæ matresfamilias dicuntur: alterum earum, quæ tantummodo vxores sunt.* Hæ verò sunt, quæ hîc concubinæ, Heb. פלגש *Pileghes* appellantur. Quæ vox in sacra Scriptura modò redditur *concubina*, modò *vxor*. Cethura, quæ Gen. 25. vxor dicitur Abraham, eadem Paralipomen. 1. cap. 1. vocatur concubina. Et Bala, quæ vxor erat Iacob, concubina dicitur Gen. 35. & Iud. 19. vir Leuites traditur accepisse אשה פילגש *Isah pileghes*, ac si dicas, *secundariam vxorem*: quam esse legitimam probat, generi, & soceri nomen sæpius repetitum; & tamen eadem dicitur concubina sæpius eodem cap. Quòd autem vxores multæ fuerint loco, atq; authoritate priores, aliæ conditione, & ordine longè inæquales, magnorum virorum exempla restantur. Habuit Abraham vxorem Saram, & re, & nomine dominam: habuit etiam Agar, quæ ipsius vxor dicitur Gen. 16. *Tulit*, inquit, *Sara Agar ancillam suam, & dedit eam viro suo vxorem.* Habuit Iacob duas vxores æquè nobiles, Liam, & Rachel, sed & duas habuit his inferiores, Balam, & Zelpham. Idem de Dauid traditur 2. Reg. 17. & de Salomone 3. Reg. cap. 11. An verò id sanctè fieri potuerit, & quo iure, longioris disputationis est.

Breuiter tamen dicendum, est eo tempore licitam fuisse, atque honestam illam polygamiam; quod probat Abraham, qui viuente vxore Sara, ex Agar suscepit Ismaël, 21.

quod.

quod factum ex eo videtur non displicuisse Domino; quia promittit filium Ismaël, quòd semen esset Abrahæ, facturum se in gentem magnam: quod sanè ostendit ab Ismaëlis satu abfuisse flagitium. Dauid sanè, qui 3. Reg. cap. 15. *nunquam declinauit ab omnibus, quæ præceperat ei Deus cunctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Vriæ*; habuit tamen plures vxores, & concubinas. Neque id vetat Deus, sed potiùs licitum esse, & honestum ostendit Deuter. 21. dum præcipit, quid fieri debeat, cum quis habuerit duas vxores, vnam dilectam, alteram odiosam. Quòd verò Deut. 17. iubet ne Rex plurimas vxores habeat; *id vult*, inquit Augustinus lib. quæst. in Deuter. q. 27. *ne plurimas habeat, licèt multas permittat*. Quod præceptum Dauid transgressus non est; secus verò Salomon. *Permissa verò multarum vxorum connubia eo tempore* dicit August. lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 12. *sufficienda prolis causa: & ideo*, (inquit) *vni fœminæ maritos esse plurimos honestum non erat, quia mulier ex eo fœcundior non fit*.

Adolescentulæ, Hebraicè עלמות *Alomoth*, id est, *absconditæ*, & hæ proculdubio virgines sunt. Ex quo patet cū omnibus fœminarum ordinibus conferri, & illis longè anteferri sponsam.

22. Allegor. *Sexaginta sunt Reginæ*, &c.]Ex hac comparatione significat sponsus, quo loco habeat dilectam; quæ cōparatio eò spectat, vt anima, quæ ab ea fide, quam integram conseruare sponso debuit, aut declinauit ex parte, aut omnino defecit, assumat iam vires, sperétque fore, vt ad gratiam redeat cum violato spōso, & ad eam gratiam, quā sexaginta Reginæ, & adolescentulæ, quarum non est numerus, apud ipsum non inuenerunt. Ideo subdit vnicam esse matri suæ, id est, non aliter amari à sponso, quàm amari solet vnica filia à matre sua.

Hic de Reginis, concubinis, & adolescentulis in spirituali sensu multa à multis dicuntur. Quidam de sanctarum animarum statu interpretantur; ita vt Reginæ illæ dicantur animæ, quæ sponsum sic amant, vt illi vni placere studeant, & in amando præter illum spectent nihil; eius absentiam, vel offensionem metuant. Qualis est hæc sponsa, quæ de plagis à custodibus illatis non dolet, de sublato pallio non queritur; sed de vno sponso sollicita, eius desiderio languet, eius nomen inclamat. Hæ Reginæ sunt, quia motus animæ ita moderantur, vt semper rationis imperio premant. 23. Reginæ quid mysticè.

Concubinæ verò dicuntur, quæ cum sponso aliquid etiam amant, aut timent, quas nimirum aliqua commoditas ad sponsi thalamum adduxit. Quæ, licèt ad Reginarum nomen, & titulum non peruenerint, quia adhuc affectibus minùs ingenuè seruiunt, cum sponso tamen viuunt; quia ab eius timore, vel spe concipiunt, & parturiunt spiritum salutis. 24. Concubinæ mysticè.

Adolescentulæ verò sunt rudes animæ, neque dum satis ad thalamum maturæ, quia nōdum in charitate satis mentem confirmatam habent. Ita fermè Augustinus lib. 83. qq. q. 55. Nyssenus Oratione 15. in Cant. Theodoretus, Psellus, & tres Patres. Harum ergò tantus numerus sponsum omnipotentem in amando nihil moratur, quominus sponsam hanc tam piè, ac sedulò laborantem non amet, quasi vnicam sibi ex omnibus electam. 25. Adolescētulæ mysticè.

Alij præter hæc statuum discri-

Concionatorum varij status, & mores. mina, existimant hîc concionatores intelligi, qui Reginæ dicuntur, quia regunt animas, & cœlesti Regi, ac sponso illas quotidie pariunt. Quorum è numero fuit Paulus, qui parturire se dicebat Galatas, donec in ipsis Christus formaretur. Alij dicũtur concubinæ, qui non Christum in concionando quærunt, sed sua, id est, temporalia lucra, & humanam laudem. Adolescentulæ verò sunt illæ animæ, quæ nuper in Christo renatæ, nondum ad prædicationis officium aptæ sunt. Ita pene Greg. S. Thom. & Beda.

17. Sed quia in cortice diximus hîc agi de fœminis, quæ ad hortum cum sponsa Epithalamij causâ conuenerant; quæ excitatæ sponsæ clamoribus, ei se adiutrices, & socias ad quærendum sponsum obtulerunt, in quibus aut Angelicas mentes, aut sanctas alias animas intelligi, ex antiquorum Patrum sententia diximus; hîc consequenter dicendum est, cùm multæ sint animæ, quas Christus amat, tamen quia infinitus amor est, qui neque exhauriri potest, aut remitti; etsi ad plures effusus; ideo vnicam appellare sponsam, quia tanto in illam amore fertur, quanto si sola esset, in qua incitatissimus ille amoris impetus acquiesceret. Neque minora dedisset amoris signa cœlestis sponsus, aut pauciora, si vna esset anima, quę ipsius beneficiis indigeret, quàm dedit, vt ornaret tot sponsas, quæ in albis secum in cœlo æternum cãtabunt Epithalamium. Ex quo viri pij, gratique tot sponsi muneribus, in se ipsos gratiarum pondus, & retributionis assumunt: neque sibi cũ aliis communem esse considerant Christi mortem, aut immortalia merita; sed eorum, quæ pertulit, reos se esse dicunt, & authores. Gratus, & fidelis animus debitorem se putat omniũ quæ Christus passus est.

Ita Paulus ad Galat. 2. *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Vide Chrysostomum in hunc locum Pauli, & libr. 2. de compunctione cordis. Sic autem Chrysost. in Epist. ad Galat. *Par est (inquit) vt quisquam nostrùm non minus agat gratias Christo, quàm si ob ipsum solum aduenisset; neque enim recusaturus erat vel ob vnum tantam adhibere dispensationem, adeò singulum quemque hominem pari charitatis modo diligit, quo diligit orbem vniuersum.* Hunc Christi affectum contemplata fidelis anima, quod Christus pro totius orbis salute suscepit, illud totum ad se vnam referebat. Quæ sæpe cantauit in hoc sacro hymenæo, *Dilectus meus mihi:* ac si diceret; totus est meus. Vide Bernard. Homil. 68. in illud Cant. 2. *Dilectus meus mihi.* Galat. 2.

Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicauerũt: Reginæ, & concubinæ laudauerunt eam.

HÆ sunt quæ comitantur geniale ferculum, & hymenæũ cantant. Dicuntur verò contemplatæ, & illustri encomio sponsam prosecutæ; vel quia ita accidit, licèt non in his Canticis satis expressum; tametsi in 3. capite non parum, & 1. & 5. non nihil dictum sit, vbi sponsa vocatur ab hoc choro pulcherrima mulierum: tamen existimo hîc non tam de præterito aliquo encomio, quàm de futuro sermonem esse; vel quia sponsus iubet, vt puellæ videant, & laudent sponsam (quod ipsæ statim faciunt, dum in fine huius capitis orant, vt se videndam offerat; & cap. 7. effusè laudant) vel quia id statim futurum 28. Histor.

rum esse ostendit, & ideo *viderunt* dicit; *& laudauerunt*, pro *videbunt*, *& laudabunt*; quia omnium pene gentium more, quæ breui facienda sunt, pro factis censentur, vt pluribus probauimus ad illud cap. 1. *Introduxit me Rex*. Quo sensu dixit Christus Matth. 9. puellam non esse mortuam; quia statim erat suscitanda; & Paul. Act. 20. animam esse in puero mortuo, quia nouerat statim esse rediturum ad corpus. Sic quia puellæ statim contemplantur, & laudant sponsam, & vidisse, & laudasse illam dicuntur à sponso.

Neque vulgaris est commendatio, quòd ita iudicent Reginæ, & concubinæ; quibus graue esse solet rum in aliis, tum maximè in pulchritudinis contentione aliquam sibi præponi. De qua institutum est publicum fœminarum certamen, quod ad sua vsque tempora durasse scribit Athenæus lib. 13. cap. 33. Nota est illa fabulosa contentio inter deas de forma, quod figmentum ab ipsa fœminarum natura, & φιλονεικίᾳ sumptum est.

Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora?

29. Histor. HÆ laudes à puellarum choro cantantur, quæ ipsa sponsi verba confirmant, qui ab ipsis laudatam sponsam, & prædicatam esse beatissimam significarat. Hæ verò aptis ad eam similitudinibus obscurari suam formam fatentur à sponsæ splendore; & eam vnam esse adeò perfectam, vt omnium non modò pulchritudinē contineat, sed longo etiā vincat interuallo. Quali scilicet aurora noctē, Luna, & Sol alia cœlorum astra. Eodem ferme modo supra virgines Helenā apud Theocritum commendari diximus Prolegomeno 5. quæ verba ex hoc Epithalamio expressa sunt. Est autem comparatio pulchra, quæ & splendorem indicat sponsæ, & eius in incedendo maiestatem.

Hæc porrò comparatio satis indicat hanc sponsæ traductionem noctu fieri: tunc enim ea, ex quibus similitudines petitæ, aurora scilicet, & Luna, speciem habent, cùm nocturnæ caliginis aliquid manet: Sol verò tunc sponsæ venustatem aperit, cùm primū ex horizonte emergens, aperit suā. Et sanè nocturnus ille nouorum coniugum progressus cum facibus clarè, latéque fulgentibus ita speciem refert orientis Solis, vt Sol ipse exoriens sponso triumphali pompa ex thalamo progresso vicissim compararetur. Psal. 18. *Et ipse* (Sol) *tanquam sponsus procedens de thalamo suo*. Ad quem locum videtur Salomon respexisse. Adde quòd sicut sponsa curru geniali vehitur in mariti domum, vt alibi dictum est (& docet Suidas in voce ζεῦγος, Apuleius Apol. 2. & Pollux lib. 3. Onomast. c. 3. & optimè Hesiodus in Herculis scuto) sic etiam à poëtis finguntur Sol, & aurora suo etiam ex curru quo vehuntur, splendorem diffundere. 30. Traductio sponsæ noctu. Psal. 18.

Terribilis vt castrorum acies ordinata.

LOcus hic iam est à nobis explicatus; quare hîc tantùm addēdum quod à sponso de Sulamitide antè dictum est, puellarum hîc iudicio probari.

Viderunt eam filiæ Sion.] Si verū est, quod suprà dicebamus, magis aptè cum toto sermonis textu componi, si hîc Reginas, concubinas, &c. eas esse putemus, quæ sponsam comitātur, nō erit difficile, spiritualē sensū ad illud accommodatum eruere. 31. Allegor.

Fide'es animæ gaudent de peccatorum cōuersione. Si enim gaudium est Angelis Dei cùm peccator ad gratiam, & filius paternę hęreditatis dilapidator, suique ipsius in omnē intemperantiā profusus, ac prodigus ad paternam domū, atq; adeò ad paternum cōplexum admittitur, si domestici stolam, annulum, atque conuiuiū parant, & totam domum symphonia festiuissimè complent, adeò non inuident intemperantis filij felicissimam sortē, qui patris seruiunt oculis, & studiis: cur istæ beatæ animæ, quæ & sponsi amorem amant, & illius studiis auidissimè seruiunt, non exultent, cùm exultare vident spōsum recepta sponsa, à qua priùs videbatur, si non omnino repulsus, at certè nō statim, vt ipse cupiebat, intra fores admissus? Vt autem inuenta iam sponsa, & ad coniugij fidē recepta lætus sponsus in eius laudes ardens erumpit; sic sanctæ illæ animæ eodem studio, atq; ardore, & sponsam amant, beatámque prędicant, & laudibus cumulant exquisitis, iisdem prorsus, quibus antea sponsus: nam terribilem esse dicunt, non secus atque aciem omnī bellico apparatu instructam. Ad pulchritudinem verò commendādam illa assumunt, quæ sunt in natura rerum maximè illustria. Et ad id, quod apparet esse pulcherrimū, per quosdam tanquam gradus ascēdunt, ascēsuræ profectò sublimiùs, si quicquam appareret in natura pulchrius: nam ab aurora ad Lunā, ab ea rursus ad Solem gradatio fit, eo scilicet modo, quo sponsa gradū faciebat in spirituali via. Quæ cùm ascēsiones in corde suo disposuisset, irétq; de virtute in virtutē, donec videret Deū in Siō, crescebat quotidie magis, donec à Lunę claritate ad Solis lumen, & gloriam progressa est.

32. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens; pulchra vt Luna, electa vt Sol*] Communis est omnium fermè Patrū cōsensio, in hac gradatione Ecclesiæ, aut cuiusuis animę progressū significari, qui planè idē est, quem in formando animali seruare cōmuniter natura solet; quæ à minimis ad ea, quæ sublimia sunt, per quosdam quasi gradus attollitur. In aurora aliquid obscuritatis est, quia nondū omnino discussa est noctis caligo: & (vt ait Carpathius) aliquid in aurora frigidum apparet, atque pruinosum, quod omnino vidimus sub primum Ecclesiæ ortū, & quotidie in vitæ spiritualis incunabulis experimur. Ab hoc statu progressus quidam fit ad Lunæ splendorē, quæ obiecta Soli ipsius luce tota completur: neque decrescit lumen, nisi cùm illam obliquis, & quasi transuersis radiis respicit & illuminat Sol. Quod decrementum nō patitur fidelis anima; quia vt ipsa directò Solem intuetur; sic illam Sol directis respicit radiis, & complet lumine. Tandem, vt paulo antè diximus c. 2. ad illud, *Dilectus meus mihi*, Soli fit quàm simillima, quia Solis in se imaginem recipit, non secus, atque speculum imaginem admittit eius, quem aduersum habet. Hæc quidē ex communi fermè Doctorum sensu, qui tamen in explicandi modo non omnino conueniunt. Ordo in spirituali progressu.

33. Quidā in hoc progressu triplicem Ecclesiæ statū, quæ statim à mundi cœpit exordio, significari putāt. Ante legem enim darā aurora quædā fuit, in qua frigida fuit, & obscura tempestas, quæ non tam Solem habere videri potuit, quàm auroram, id est, nuncium quoddam, & prognosticum Solis. In lege Luna fuit, quę magis illuminari videtur, quàm aurora, hominū saltē iudicio, quib. se Scriptura sacra nonnunquam accōmodat; quæ in nocte lucet, præsente tamen Sole deficere videtur, atque Ecclesiæ status varius. Synagoga qualē habuit lucē.

atque vanescere. Hæc verò Synagoga fuit, id est, antiquior Ecclesia, in quam iam propiùs, & planiùs Christi veri Solis incurrebant radij, qui longè illam à summo cœlo alio, atque alio intuebatur aspectu. Lux quædam erat, & quasi Christi radius antiqua sacrificiorũ Religio, & tota Salomonis Tẽpli moles, & forma: lux item illa, quæ è Domini conspectu in Moysis facie plenior emicuit; quæ sanè tenuis fuit, neque eodem semper fulgore resplẽduit. At extrema sæculorum ætate lucida fuit Ecclesia, & ad Solis similitudinem electa; Solem enim secum habet assiduum, neque patitur dierum, ac noctium vllam vicissitudinem. Quia inter Solem, & Ecclesiam nulla intercedit moles, quæ Solarem lucem, aut eripiat, aut obscuret. Hæc indicasse Paulus videtur 2. Cor. 3. qui Synagogæ lucem imminui dixit, atque deficere, vt Lunæ contingit. *Quod si ministratio* (inquit) *mortis*. i. lex antiqua, *literis deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita vt non possent intẽdere filij Israël in faciem Moysi propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur.* Euacuari gloriam in vultu Moysis, quæ gloria legis esse dicitur, perinde est, atque Lunæ deficere, aut obscurari lumen.

Ecclesiæ qualis splendor.

2. Cor. 3.

34. Theodoretus hæc tria pro diuersis temporibus conuenire putat Ecclesiæ, quod etiam alij putant, in quibus est Greg. atque Carpathius. In hac enim vita primùm instar auroræ sunt fideles, qui è tenebris emergunt; deinde in lumine, id est, virtutibus, crescunt; sicut Luna, quæ quotidie aliquid accipit incrementi. Tãdem in cœlo ad instar Solis plenum habent lumen, atque immutabile. Plura apud Patres inuenies de hac triplici luminis varietate, siue in Ecclesia, siue in qualibet iustorum anima, quæ, quia omnibus obuiæ sunt, consultò prætereo. Illud non omittam quod scribit in hunc locum Haymo, ideo Ecclesiam dici instar auroræ progredi, quia stare nescit, neque vno in loco deses, atque ignaua concluditur: sed sicut aurora Solem in omnem mundi plagã circumfert, sic in omnem Regionem Ecclesia progreditur, lucemque cœlestem, imò Solem ipsum Christum inducit; quo in hominum animis radiante infidelitatis tenebræ fugantur.

Ecclesia non otiosa, aut segnis.

In hoc progressu B. Virgo designari existimatur, cui Ecclesia partem istam illustrem accommodat. Quæ sic est progressa à primo conceptionis articulo, id est, ex quo primùm esse cœpit, vt nulla pars vitæ fuerit, in qua non magnũ splendoris eximij ceperit incrementum, donec ab auroræ luce ad Lunæ pulchritudinem, & inde ad Solis vsque claritatem progressa sit. Illud notandum, quod *consurgere*, vt habet vulgata, seu excitari dicitur virgo sicut aurora; *sicut aurora*, inquit, *consurgens*: quia nunquam virgo processit sine luce, neque tunc quidem quando auroræ munus in terris obiit, id est, quando primùm concepta, & in materno vtero conclusa, proximum ostendit signum appropinquantis Solis. Et quemadmodum si aliquid est in mundo tenebrarum sub auroram, non inde efficitur aliquid esse obscuritatis in aurora, sed nondum habere mundum à Sole lucem, quæ tenebras omnino ab ipso depellat: sic, neque si in aurora mystica, id est, cùm Maria in rerum incepit esse natura; quæ fuit quoddam quasi proœmium mystici diei, aliquid est.

adhuc in mundo noctis, efficitur aliquid esse caliginis in Maria, cùm ipsa potiùs aliquid noctis è mundo fugauerit, quàm aliquid acceperit obscuritatis à nocte. Hoc idem sub alia metaphora dixit Hieronymus in illud Psalm. 77. *Eduxit eos in nube diei*: vbi cùm nubem illam diei Mariam esse dixisset, adiecit; *Nubes enim illa non fuit in tenebris, sed semper in luce.* Quod sanè verum non esset; si in peccato originali, quod tenebricosum aliquid est, aliquando iacuisset.

Descendi in hortum nucum.

35. Histor. QVidam hæc verba sponsæ tribuunt, vt Theodoretus, & tres Patres, quasi rationem reddat, cur ex suo secessu, non modò in vrbem, sed etiam in agros nocturno tempore, & puellari pudori non satis opportuno prodierit. Nempe, vt quod sedulam matremfamilias decet, hortum videret vtrique iam communem; si floruissent vineæ, & germinassent mala, ne quid in eo temporis articulo deesset, quod prouisum oporteret. Expositio tamen hæc non satis cum superioribus apta; nam iam ipsa significarat, quid sibi esset consilij cùm in agros erupit, nempe sponsum vt quæreret, quem in hortum descendisse suspicabatur. Induxit, credo, illos in eam sententiam quod statim L x x. subiiciunt, *Ibi dabo vbera mea tibi*; quod vt sponsæ videtur esse proprium, sic à sponso maximè alienum. Sed illa verba vulgatus non legit: neque in Hebraico textu reperiuntur; imò, neque in multis exemplaribus L x x. sunt, vt in Cõplutensi, & aliis.

36. Dicendum ergo hæc esse sponsi verba; qui vt metum adimeret sponsæ de abalienato animo; aut dolorem leniret, quem propter suam socordiam, & inurbanitatem cepisse potuit, vel, vt repentinam illam fugam excusaret, qua surgenti iam ad aperiendum sponsæ se subduxit, non satis habuit illam laudasse adeò molliter, & effusè, sed etiam colorem quæsiuit non improbabilem, quo nocturnum illum discessum honestaret; nempe vt hortum videret, communes delicias, vbi & nuces sunt, & mala punica, quæ & ipsa amat, & curatę diligenter vult, vt quæ quotidie multùm ibi temporis commorari cupiat, quod deinde cap. 7. ostendit; *Manè (inquit) surgamus ad vineas.* Quare significat fugam illam nocturnam sponsi studiis seruiisse; adeò non esse offensum, quod tarda ad aperiendum prodierit.

Descendi in hortum nucum.] Verba hæc sunt sponsi, qui ostendit 37. Allegor.
cur eo tempore se sponsæ subtraxerit, quãdo relictis lecti blanditiis ad aperiẽdũ surrexerat. Dicit enim ideo se abiisse, vt videret an in hortis ad nuptiales ludos, & nuptiale conuiuium satis essent omnia parata. Quis verò futurus sit apparatus iste nuptialis, & proxima ad thalamum dispositio, explicant optimè, quæ sponsus hîc dicit videre se voluisse: eò enim videtur pertinere sponsi consilia de adeunda Sulamitidis domo, alta iam nocte, & tempestate frigida, vt exploraret, an satis haberet animi ad abiicienda naturæ blandimenta: eo elusisse aperiendi conatum, spémque videndi, & amplexandi sponsum, extraxisseque domo, & in vigilum manus impulisse, vt cognosceret quantùm esset in sponsa constan- Tribulatio amoris probatio est.
tiæ, ac fidei. Sũt autem huius amoris constantis, & probati symbolum

lum nuces, ad quas videndas sponsus descendit; quæ sub duobus corticibus, altero amaro, altero duro (vt obseruarunt Theodoretus, & tres Patres, & Ambr. lib. de Isaac cap. 8.) dulcem continent nucleum. Sunt poma conuallium, quæ cùm in loco depresso sint, atque humili, saporis grati sunt, & ad speciem pulchra. Poma ergo conuallium virtutes sunt, quæ humilitate condiũtur: vinearum autem botri, qui calcati pedibus, aut magni ponderis pressu mustum effundunt dulce; mala item punica, passionis sunt, & tribulationis symbola, vt docent hîc Thomas, & Beda. Quia non tãtùm in compresso granorum ordine interiùs, sed etiam exteriùs in cortice tota rubent, vt de Palęstinis antea docuimus ad illud cap. 4. *Sicut fragmen mali punici*. Qui horum similitudinem aliquam habent, proximi iam sunt nuptiis. Sic nimirum ornarant se sanctæ illæ animæ Apoc. 7. quæ de magna tribulatione venisse dicuntur, ad agni vtique nuptias. Sic ergo sponsa hæc in duro tribulationis cortice nuclei suauitatem ostendit: in humilitatis cõuallibus fructus edit patiẽtiæ, quia iactata durè nihil austerum reddit, nihil amarum. In ea vitis floret, & punica malus, quia quiduis pati pro sponso suo parata est. Illud ergo est reliquum, vt quando explorata iam est sponsæ constantia, neque minùs habens inuenta est, vocetur ad thalamum, laudetur à sponso, & cantari iam incipiat sacer hymenæus.

78. Quòd si verum est vigiles, & custodes amicos esse sponsi, ad eam curam ex nuptiali ritu dispositos, vt sponsam dilecti sui causa laborantem, atque languentem duriùs accipiant, profectò constat spiritualem sensum à nobis traditum satis aptè cum literali cortice congruere. Cùm enim sponsus explorare vellet, qualem se in duro, atque amaro cortice gerat sponsa; vt ferat patiẽter iniurias, vt sua causa neque horreat tenebras, neque noctis pericula, opportuno ciuitatis loco, id est, vitæ, ac viæ articulo disposuit, qui sponsam in hæc discrimina, id est, in hoc examen coniicerent. Et sanè satis est reipsa compertum, solere Deum non solùm per aduersarias potestates, sed etiam per amicos, ac per se ipsum exercere suos.

Deus sæpe per amicos exercet, quos amat.

Hieronymus in c. 12. Zacharię ad finẽ iuxta versionẽ LXX. qui locum istum ita reddunt; *Descendi, vt viderẽ in genimine torrẽtis, si floruisset vinea, si floruissent mala punica*; sic ait; *Descẽdit Salutator ad torrentem huius sæculi, & turbidas aquas (de quibus, & in typo eius Elias bibisse describitur) vt post flores vineæ, & mali punici fructum, vtrũque susciperet, & inebrians Ecclesiam suam audiret ab ea; Potabis me de vino vnguentarij, de vino malorum.* Ex quibus verbis hanc ego sententiam ad mystici connubij legem accommodatam institui puto; descendisse quidem sponsum Christum, vt per Passionem, & Crucem, quæ per torrentem, & malorum punicorum rubentem succum significantur, illa pararet, quibus dealbaret sponsam infuscatam à Sole, & illam genialibus exornaret deliciis, ac potum denique pararet ex vinea, punicóq; malo expressum, quo conuiuium instrueret sponsæ luculentum, & dulce. Sanè Christus sponsam sibi acquisiuit, atque emit sanguine suo, vt apertè testatur Paulus Actor. 20. sanguine item lauit, dealbauitque illius vestimenta, quę materni sanguinis labe fœdauerat, & suis ipsa sordibus etiã infecerat. Apo. 7. 39.

Christus Passione sua spõsã dealbauit, ornauitque.

Laue

Lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni. Quare digressus ille sponsi otiosus non fuit, neque consilio vacuus; cùm colles trãsiliit, & per difficiles vias ad Passionis suæ torrentem descendit; ex quo quod in mysticas illas nuptias conferret, largiter hausit. Ita indicat ad Ephes. Paulus cap. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ: vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi; sed vt sit sancta, & immaculata.* Ad torrẽtem descendere, & inde aquas potare turbidas, vt dicebat Hieronymus, nihil est aliud, quàm se ipsum pro Ecclesia tradere, vt illam idoneam reddat Regalibus nuptiis.

Nesciui: anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab.

40. Histor. VErba sunt sponsæ, in quorum explicatione Interpretes distracti sunt, vt in nullam pene sententiam conuenerint. His ego, ne longior sim, in pręsentia omissis, dicam, quod mihi magis visum est superiorum explicationi consentaneum. Reddit sponsa in primis rationẽ, cur nocturnum illũ exitum, qui puellarum modestiam parum decebat, esset molita: cur cito cursu, côque perturbationis pleno, eò vsque progressa: nesciebat enim sponsum exiisse in hortos, vt pararet, quæ rei nuptiali forent necessaria, vel vt ibi se cum amicis oblectaret. Quod sanè ipsam magna, & cura & angore liberaret, quæ durius aliquid, & ab amore alienius suspicabatur. Hoc mihi facile videtur, & promptum, quod sequitur, impeditum est, atque difficile. Quod vulgatus legit, *perturbauit*, à verbo שמם *Samam*, id Septuaginta legunt, *posuit*, à verbo שם *Sam*. Illud verò *Aminadab*, quidam volunt nomen esse proprium viri alicuius nobilis, cui equi essent, & currus; & ita vulgatus, & L x x. vocem ipsam retinuerunt Hebraicam. Alij nomen putãt esse appellatiuũ, & eo significari populi Principem, siue ille sit Salomon, siue alius opibus, atque authoritate potens. Quod indicat translatio Symmachi, Aquilæ, & quinta editio, quæ *populi ducem*, aut quid simile vertunt. Et quidem quòd hic Aminadab non sit aliquis eorum, quorum sacra Scriptura meminit, videtur certum, quia illi dicuntur עמינדב *Aminadab*, hic verò עמינדיב *Aminadib*. Neque inusitatum est in sacra Scriptura, vt Hebraicum nomen, quasi proprium sit, ponatur pro eius explicatione. Et constat ex nomine Bethet cap. 2. & Amana capit. 4. & Selmon Psalm. 67.

Ex tam variis translationibus triplex deduci potest sensus, meo iudicio, non improbabilis, neque alienus ab hoc nuptiarum articulo. Et primùm si cum L x x. legamus, *posuit me currus*; rationem videtur sponsa reddere, cur sit terribilis sicut castrorum acies, quod proximè audierat. Dicit enim tantùm sibi additum animi à sponsi desiderio, vt quadrigis Aminadab nõ esset fortitudine inferior: atque ideo nocturnas insidias non timuerit, non pericula, per quæ, licèt malè iactata, in eum vsque locum tandem cucurrit. Verbum autem שם *Sam*, *posuit*, in Scriptura vim quamdam similitudinis obtinet. Zachar. 12. *Ponam Ierusalem lapidem oneris*, id est, faciam, vt instar 41.

lapidis

lapidis fit. Et cap. 7. *Posuerunt adamantem faciem suam.* Sic etiam hîc, *anima mea posuit me currus*, id est, instar curruum. Hoc certè amoris proprium est, vt acres reddat animos, & audaces: quia perfectus amor foras pellit timorem. Quare bene ex natura amoris Ouid. 4. Metamorph. de Thisbe:

Amor audaces facit, & fortes.

Audacem faciebat amor.———

72. Alius sensus satis amoris naturæ consentaneus est, si sponsa dicat conturbatam se fuisse vehementer, ne sponso aliquid accideret grauius ea nocte, qua se subduxit inopinata fuga. Timebat enim, ne incideret in quadrigas, siue equos, aut equitationem Aminadab, eius videlicet, cui cõmissa esset nocturna ciuitatis custodia. Aminadab, *Principem populi mei* sonat, quod nomen aptè cadit in eum, qui præfectus est vigilum. Seu certè currus erant Aminadab, id est, Salomonis Principis populi, qui ad varios vsus, & tempora suæ Reipublicæ magnam vim equorũ, & curruum pararat. 3. Reg. 4. v. 26. His ergo curribus vecti nocturni custodes tota ciuitate concursantes, & metum, & periculum ostentabant iis, quos extra domum noctu errantes, & vagos deprehendissent. Id ergo timebat sponsa: nam ea est amantis natura, vt nihil sit vsque adeò durum, quod non amatis, aut euenisse, aut impendere cogitet. Quid non timebat absenti filio Tobiæ coniux Anna? Expresŝêre id optimè Comicus in Adelphis actu 1. scena 1. & Penelope apud Ouid.

Amor sollicitus.

Quando ego non timui grauiora pericula veris?

Res est sollicitus plena timoris amor.

In te fingebam violentos Troas ituros:

Nomine in Hectoreo pallida semper eram.

Tertius sensus mihi magis probatur, quia magis accõmodatus temporis articulo, & aptissimè consentiens cum iis, quæ à nobis dicta sunt superiùs. Cùm enim iam instaret nuptiarum tempus, ac nihil esset propiùs, quàm vt ascenderet in currus Aminadab, id est, Salomonis, qui Princeps erat populi, & qui ferculum fecit in genialẽ vsum, & põpam propter filias Ierusalem, timebat sponsa, ne sua illiberali, atque importuna mollitie offensus dilectus alienior esset à nuptiis, quas antè spopõdisset. Propter quadrigas igitur timebat, quæ iam ad nuptialem traductionem erant expromptæ, ne illas non ascenderet suo magno merito; quę sponso eo temporis vestigio, & molliter, & miserabiliter clamanti fores non aperuisset. Quam sententiam indicat Athanasius in Synopsi ad finem, vbi dicit, sponsam impositam fuisse curribus Aminadab. 73.

Nesciui: anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab.] Tres sensus in literali cortice probauimus magis, totidem illis in spirituali medulla respondent. Primus est iuxta L x x. versionem, se in quęrendo sponso non minùs citato cursu rapi, quàm currus Aminadab, neque timere magis in proposito sibi negotio, quàm quadrigas illas, quæ ad nullius pauent occursũ; tantam vim habet excellens amor, vbi semel ingenuum animum occupauit. 74.

Allegor.

Explicatio secunda satis explicat amoris naturam, qui vt omnia bene cupit amasio, sic eidem omnia timet absenti. Neque mirum si cùm in illo solo viuat, timeat illi soli, in quo sibi etiam cauet, cuius vita continetur, & seruatur in altero. Et id præstare debet accuratis-

ſimè, qui veri amoris exhibere volet certa veſtigia. Quare cauere debet, ne quid à ſua, vel intẽperie, vel ſtupore graue patiatur ſponſus; ne quid loquatur, quod diuinas aures, ne quid audeat, quod diuinos oculos, ne quid omittat, quod diuinum animum offendat. Vel ſi ab aliis cõtemni, vel offendi animaduertat, intimis angatur ſenſibus, & ne contingat vnquam, laboret ſedulò.

Tertia expoſitio, quæ magis placuit, de nuptiarum tempore, quod iam indicabat currus Aminadab, id eſt, ferculum Salomonis, egregium habet ſpiritualem ſenſum. Anima enim, quæ cœleſtis ſponſi nuptias ambit, quæ tunc demum ratæ ſunt, ac ſtabiles, cùm ad ſponſi domum traductio fiat in Salomonis ferculo, ſeu curru Aminadab, quia quotidie nuptiale tempus imminere ſuſpicatur, id eſt, mortis articulum, timet ne ſponſus propter aliquam animi offenſionem abierit alienus à nuptiis: eſt enim durũ omni tempore iratum eſſe Deum, ſed extremo duriſſimum. Quare prudentes, & quæ ad æterna connubia aſpirant animæ, in perpetuo quodam metu ſunt; quia Deum offenſum timent; & quodnam ſit nuptiarum tempus ignorant, ſemper audire ſibi videntur illud Mat. 25. *Ecce ſponſus venit, exite obuiam ei.* Hæc ergo ſponſa media, vt eſt veriſimile, excitata nocte, conuerſionem ſuam, & pœnitentiam non differt in craſtinam lucem: media ipſa nocte ſurgit è lecto, ſubit incommoda, neque à plorando ceſſat, & quærendo, donec à ſponſo per tot ludibria, ac pericula inuento, atque propitiato audiat, *Pulchra es, amica mea, ſuauis, & decora.*

Meditatio mortis aſſidua.

Reuertere, reuertere Sulamitis; reuertere, vt intueamur te.

DIxerat ſponſus Reginas, & concubinas viſuras, & laudaturas ſpeciem Sulamitidis: id enim eſt; *viderunt eam filiæ*, &c. vbi præteritum pro futuro ſumi diximus: nunc vt re ipſa expleat fœminarum chorus, quod eſſe gratum ſponſo didicerat, rogat vt faciem videndam offerat; vt deinde encomium ordiatur. Vel cùm adeò ſit ab ſponſo laudata, vt longè antecedere dicatur Reginas omnes, & concubinas; ipſæ fœminæ re ipſa experiri volentes, an tanta eſſet Sulamitidi ſpecies, quanta prædicabatur à ſponſo, & quaſi ſuboffenſæ, quòd ſibi præponatur in eo, quod puellis tantæ curæ, ac voluptati eſt; rogant vt reuertatur (nam fortaſſe, dum non fert modeſta virgo laudari ſe tantopere à ſponſo ſuo, faciem auerterat, quod indicat Amb. lib. de Iſaac cap. 8.) vt intueantur eximiam illam formam, de qua tam multa audierant. Et pro hac explicatione facit quod verbum Heb. שוב *Sub*, pro quo vulgatus, *reuertere*, etiam *conuertere* ſignificat: & ita vertunt L x x. & legit Ambroſ. libro de Iſaac cap. 8. & Hieronymus epiſtola ad Algaſiam. 75. Hiſtor.

Reuertere, reuertere Sulamitis.] Sanctæ illæ animæ, quæ ſuprà à ſponſo filiæ Sion, Reginæ & concubinæ dictæ, quia iuſſæ ſunt paulo antè ſponſam videre, atque laudare, orant Sulamitidem, vt ſe videndam præbeat. Ex quo apparet quàm diligat Deus animam, quam culpæ pœnitet, quæ plorat, & patitur, quando & ipſe non ſolatur tantùm, 76. Allegor.

tùm, & abstrgit lacrymas, sed laudat effusè, & vt ab aliis laudetur, studiosè iubet. Hîc etiam notanda sponsæ modestia, atque ex superiori desidia natus rubor. Auerterat enim oculos, quia peccati conscia non facilè tā magnificè de se audire potest. Quo exēplo docet, quàm inter veras delicias, voluptatesque non indebitas habere etiam locum debeat superioris vitæ memoria, atque ex ea profecta verecundia, & dolor, iuxta illud Eccles. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu.*

Pudor ex peccato etiam dimisso.

77. Hæc explicatio magis mihi videtur ad textum: quia verba hæc, vt diximus, puellarum potiùs videntur esse, quàm sponsi. Sed quia ex Patribus nonnulli sponso hæc attribuunt, illorum nos cogitationibus obsecuti, spiritualem sensum aliter instituamus. Sentiunt itaque ex Patribus nonnulli, sponsum auersari sponsæ aspectum; quia in illa aliquid agnoscit suis oculis indignum, iubereque illi, vt si velit diuinis oculis placere, illósque allicere ad sui conspectum, abiiciat illa, quæ ipse vehementer non solùm fastidit, sed etiam horret. Bernardus Serm. 58. ex paruis. *Reuertere*, inquit, *primò ab inepta lætitia, secundò, ab inutili tristitia: tertiò, ab inani gloria: quartò, à latenti superbia. Cùm hæc omnia vitia reliquerit anima, intuebuntur eam spōsus eius.* Idem pene Sermone 3. in Annūciatione Dominica. *Reuertere* (inquit) *quò videlicet nec in peccandi consuetudine, nec in conscientia peccatorum, sed neque in tepore, & torpore ingratitudinis, aut in elationis cæcitate persistas.* Idem fere Carpathius, nisi quòd accōmodatè ad versionem L X X. qui legunt, *Conuertere; & aspiciemus in te.* Verba hæc attribuit aliis à sponso; qui dicunt tunc in sponsa videndum esse Christū, qui in animabus sanctis inhabitat, cùm illa à vitiis, & voluptatum lenociniis ad vitæ sanctitatem sese conuerterit. Neque ab his longè recedit Apponius, cùm ait, his verbis spōsā ad pœnitentiam vocari, à peccato videlicet ad iustitiam.

Anima quid à se abiicere debeat, vt fit diuinis oculis grata.

ARGVMENTVM IN CAPVT SEPTIMVM CANTICORVM.

POSTQVAM adoleſcentulæ pſaltriæ ad ſponſi imperium contemplatæ ſunt per otium Sulamitidis formam, & ornamenta, quid de illius pulchritudine iudicent, oſtendunt. Laudant autem, quæ oculis propoſita ſunt: nam ideo illam curioſis oculis intuentur. Deinde cùm ſignificarent, vehementer ſibi placere, quæ in ſponſa laudant, & cupere ſe illis frui, ſponſa contrà obiicit, nequicquam illas optare ſibi, quod vni ſponſo ſeruatum eſt. Idq́; vt ſponſus reipſa comperiat, hortatur illum, vt in villas egrediatur, vbi intima cordis penetralia ſua eſſe cognoſcat. Ad extremum commemoratione mandragorarum indicat maturum eſſe iam tempus ad id, quod eſt in his nuptiarum ſacris extremum.

CAPVT VII.

Sponſus.

1 *QVID videbis in Sulamite, niſi choros caſtrorum?*

Adoleſcentulæ.

Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamẽtis, filia Principis!

Iunčturæ feminum tuorum ſicut monilia, qua

PARAPHRASIS.

1 SPECTATE, filiæ Ieruſalem, quàm volueritis otioſè Sulamitidem, in ea tamen mirificam inuenietis pulchritudinem, quæ futilis, ac mollis non eſt, ſed fortis, & ſtrenua, vt verè cum choris caſtrorum cõferri queat. Qui ita grati ſunt ad audiendum, vt etiam acres ſint ad inflammandos militares ſpiritus.

O Sulamitis, quam iure, & more nuptiali filiam Principis, & Reginam appellare licet, quàm pulchra sũt calceamenta, ſeu cothurni, quibus Regios pedes incluſiſti!

Fibulæ quibus diſſectam à femoribus tunicam conſtringis, atque confibu

consibulas, instar monilium sunt, quę magno studio, atque opere elaborata sunt ab artifice.

quæ fabricata sunt manu artificis.

2 Gemma, seu lamella, quę è collo ad vmbilicum descendit, aut quæ partem illam Regij integumenti decorat, quæ vmbilico respondet, similis mihi videtur crateri torno elaborato, qui poculis nō indiget, siue quia semper mundus est, neque lotionis eget, siue quia, vt pulcher sit, necesse non est, vt vinum illi flauum infundas. Pars autem illa Regij indumenti, quæ ventrem tegit, in cuius medio vmbilicus est, pictura, atq; argumento similis mihi videtur aceruo tritici, quem lilia, atque alij flores vallant, quæ operè Phrygio in extima veste circumpicta sunt.

2 *Vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis. Venter tuus, sicut aceruus tritici, vallatus liliis.*

3 Quàm verissimum existimamus, probamúsq; ô Sulamitis, sponsi tui de tuis vberibus, collóque iudicium. Imò aliquid etiā addimus: sunt enim vbera tua, sicut sponsus cecinit, tanquam duo hinnuli gemelli capreæ.

3 *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli gemelli capreæ.*

4 Collum tuū, sicut turris; nos autem addimus, quod non cecinit spōsus, inesse illi præterea eburneum candorem.

4 *Collum tuum, sicut turris eburnea.*

Oculis tuis inest splendor quidam atque serenitas, sicut aquæ piscinarū Hesebon, quæ sunt ad portam, quæ spectat oppidum Rabath, quas neque limus turbat, neque ventus exagitat, quare claræ semper sunt, & quietæ.

Oculi tui, sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis.

Nasus tuus talis mihi videtur inter capillos à fronte, seu inter ramos à corona pendulos, qualis apparere

Nasus tuus, sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum.

solet turris pulcherrima, quæ in Libano est è regione Damasci, quæ inter speciosas arbores sic eminet, vt & ipsa sibi habeat,& toti monti conciliet venustatem.

5 *Caput tuum, sicut Carmelus: & coma capitis tui, sicut purpura Regis vincta canalibus.*

5 Quod ad caput attinet, corona, qua insignitũ est, non videtur minùs elegans, ac florida, quàm mons Carmelus, qui pulcherrimus est, aut certè totam Carmeli montis amœnitatem videtur complexa. At coma, quæ naturale quoddam capitis ornamentum est, sic honestè rubet, vt Regiæ purpuræ à à tinctura recenti colorem imitetur. Neque prætere in ea illud desideratur, quod Regiæ etiam purpuræ decori est: vt enim Regiam tunicam ex purpura argenteæ, seu aureæ teniæ, quæ canalium similitudinem,& nomen habent, vinciunt, atque distinguunt: sic comam tuam decorè rubentem, argenteæ, seu aureæ teniæ cingunt, atque discriminant.

6 *Quàm pulchra es, & quàm decora charissima in deliciis!*

6 Es ergo gratissima omniũ oculis Sulamitis, valdè spectabilis propter delicias,& ornamenta, quibus ad nuptialem hunc diem exculta es.

7 *Statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua botris.*

7 Habitus,& proceritas totius corporis assimilantur palmæ, cuius botris vbera tua,& pulchritudine & situ dissimilia non sunt.

8 *Dixi: ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius: & erunt vbera tua, sicut botri vineæ, & odor oris tui, sicut malorũ.* 9 *Guttur tuũ sicut*

8 Quando ea pulchritudine præstas, & iis ornamentis instructa es, vt omnium oculos rapere, & bene volentib. etiam inuidiam mouere possis; dixi apud me; ascendam in hanc speciosam palmam: talis enim mihi visa es; & apprehendam, quod in te palmæ fructum, & similitudinem refert;

fert, dona videlicet nuptialia. Et interim (quando iis, qui eiusdem sexus sunt, indecorum non est) amplexabor, & exosculabor te, & capiam ab vberibus, id est, ab amplexu, quod à vino, & ab ore, id, quod à pomis suauitatis est. 9 Guttur enim tuum, quo suauem omnibus spiritum inhalas, instar obtinet odorati vini.

sicut vinum optimum.

10 Si quid in me dulce est, quod vobis placeat, filiæ Ierusalem, frustra illud vobis desideratis: quia id totum vni debetur, & seruatur sponso, vt suo arbitratu eo iterum ac sæpius regustato, siti satisfaciat amatoriæ.

Sponsa.

10 *Dignum dilecto meo ad potandum, labiisque, & dentibus illius ad ruminandū.*

11 Neque id vobis inurbanum videatur, aut durum, ô puellæ Sionides, si id vobis omnino interdictum esse affirmem. Nam sicut dilectus meus totus est meus, sic etiam fas est, vt quanta ego, qualisque sum, tota sim dilecti mei.

11 *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.*

12 Age ergo, dilecte mi, egrediamur aliquando in agrum, & commoremur in villis, &, vt sedulum patremfamilias decet, matutina luce exeamus ad vineam, consideremúsque an vineæ, & mala punica floruerint, an flores spem ostendant secuturi fructus. Ibi experimentum capies, an tota tua sim: ibi enim tibi dabo vbera mea, id est, quidquid in intimis latet præcordiis, tuum esse comperies.

12 *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, cōmoremur in villis. Manè surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiūt, si floruerūt mala punica: ibi dabo tibi vbera mea.*

13 Nimiùm lenti sumus, ô dilecte mi, in mouendo ferculo, quando mandragoræ iam olentes maturitatem indicant amoris, & nuptiarum. Iam quod ad me attinet, feci quod

13 *Mandragoræ dederunt odorem suum. In portis nostris omnia poma, noua, & vetera,*

adhuc in mundo noctis, efficitur aliquid esse caliginis in Maria, cùm ipsa potiùs aliquid noctis è mundo fugauerit, quàm aliquid acceperit obscuritatis à nocte. Hoc idem sub alia metaphora dixit Hieronymus in illud Psalm. 77. *Eduxit eos in nube diei*: vbi cùm nubem illam diei Mariam esse dixisset, adiecit; *Nubes enim illa non fuit in tenebris, sed semper in luce.* Quod sanè verum non esset; si in peccato originali, quod tenebricosum aliquid est, aliquando iacuisset.

Descendi in hortum nucum.

35. Histor. QVidam hæc verba sponsæ tribuunt, vt Theodoretus, & tres Patres, quasi rationem reddat, cur ex suo secessu, non modò in vrbem, sed etiam in agros nocturno tempore, & puellari pudori non satis opportuno prodierit. Nempe, vt quod sedulam matremfamilias decet, hortum videret vtrique iam communem; si floruissent vineæ, & germinassent mala, ne quid in eo temporis articulo deesset, quod prouisum oporteret. Expositio tamen hæc non satis cum superioribus apta; nam iam ipsa significarat, quid sibi esset consilij cùm in agros erupit, nempe sponsum vt quæreret, quem in hortum descendisse suspicabatur. Induxit, credo, illos in eam sententiam quod statim LXX. subiiciunt, *Ibi dabo vbera mea tibi*; quod vt sponsæ videtur esse proprium, sic à sponso maximè alienum. Sed illa verba vulgatus non legit: neque in Hebraico textu reperiuntur; imò, neque in multis exemplaribus LXX. sunt, vt in Complutensi, & aliis.

36. Dicendum ergo hæc esse sponsi verba; qui vt metum adimeret sponsæ de abalienato animo; aut dolorem leniret, quem propter suam socordiam, & inurbanitatem ceperit potuit, vel, vt repentinam illam fugam excusaret, qua surgenti iam ad aperiendum sponsæ se subduxit, non satis habuit illam laudasse adeò molliter, & effusè, sed etiam colorem quæsiuit non improbabilem, quo nocturnum illum discessum honestaret; nempe vt hortum videret, communes delicias, vbi & nuces sunt, & mala punica, quæ & ipsa amat, & curatq; diligenter vult, vt quæ quotidie multùm ibi temporis commorari cupiat, quod deinde cap. 7. ostendit; *Manè* (inquit) *surgamus ad vineas.* Quare significat fugam illam nocturnam sponsi studiis seruiisse; adeò non esse offensum, quod tarda ad aperiendum prodierit.

Descendi in hortum nucum.] Verba hæc sunt sponsi, qui ostendit 37. Allegor. cur eo tempore se sponsæ subtraxerit, quādo relictis lecti blanditiis ad aperiēdū surrexerat. Dicit enim ideo se abiisse, vt videret an in hortis ad nuptiales ludos, & nuptiale conuiuium satis essent omnia parata. Quis verò futurus sit apparatus iste nuptialis, & proxima ad thalamum dispositio, explicant optimè, quæ sponsus hîc dicit videre se voluisse: eò enim videtur pertinere sponsi consilia de adeunda Sulamitidis domo, alta iam nocte, & tempestate frigida, vt exploraret, an satis haberet animi ad abiicienda naturæ blandimenta: eo elusisse aperiendi conatum, spémque videndi, & amplexandi sponsum; extraxisséque domo, & in vigilum manus impulisse, vt cognosceret quantùm esset in sponsa constantiæ, ac fidei. Sūt autem huius amoris constantis, & probati symbolum Tribulatio amoris probatio est.

lum nuces, ad quas videndas ſponſus deſcendit; quæ ſub duobus corticibus, altero amaro, altero duro (vt obſeruarunt Theodoretus, & tres Patres, & Ambr. lib. de Iſaac cap.8.) dulcem continent nucleum. Sunt poma conuallium, quæ cùm in loco depreſſo ſint, atque humili, ſaporis grati ſunt, & ad ſpeciem pulchra. Poma ergo conuallium virtutes ſunt, quæ humilitate condiũtur: vinearum autem botri, qui calcati pedibus, aut magni ponderis preſſu muſtum effundunt dulce; mala item punica, paſſionis ſunt, & tribulationis ſymbola, vt docent hîc Thomas, & Beda. Quia non tãtùm in compreſſo granorum ordine interiùs, ſed etiam exteriùs in cortice tota rubent, vt de Palęſtinis antea docuimus ad illud cap. 4. *Sicut fragmen mali punici.* Qui horum ſimilitudinem aliquam habent, proximi iam ſunt nuptiis. Sic nimirum ornarant ſe ſanctæ illæ animæ Apoc.7. quæ de magna tribulatione veniſſe dicuntur, ad agni vtique nuptias. Sic ergo ſponſa hæc in duro tribulationis cortice nuclei ſuauitatem oſtendit: in humilitatis cõuallibus fructus edit patiẽtiæ, quia iactata durè nihil auſterum reddit, nihil amarum. In ea vitis floret, & punica malus, quia quiduis pati pro ſponſo ſuo parata eſt. Illud ergo eſt reliquum, vt quando explorata iam eſt ſponſæ conſtantia, neque minùs habens inuenta eſt, vocetur ad thalamum, laudetur à ſponſo, & cantari iam incipiat ſacer hymenæus.

78. Quòd ſi verum eſt vigiles, & cuſtodes amicos eſſe ſponſi, ad eam curam ex nuptiali ritu diſpoſitos, vt ſponſam dilecti ſui cauſa laborantem, atque languentem duriùs accipiant, profectò conſtat ſpiritualem ſenſum à nobis traditum ſatis aptè cum literali cortice congruere. Cùm enim ſponſus explorare vellet, qualem ſe in duro, atque amaro cortice gerat ſponſa; vt ferat patiẽter iniurias, vt ſua cauſa neque horreat tenebras, neque noctis pericula, opportuno ciuitatis loco, id eſt, vitæ, ac viæ articulo diſpoſuit, qui ſponſam in hæc diſcrimina, id eſt, in hoc examen conijcerent. Et ſanè ſatis eſt reipſa compertum, ſolere Deum non ſolùm per aduerſarias poteſtates, ſed etiam per amicos, ac per ſe ipſum exercere ſuos.

Deus ſæpe per amicos exercet, quos amat.

Hieronymus in c.12. Zacharię ad finẽ iuxta verſionẽ L x x. qui locum iſtum ita reddunt; *Deſcendi, vt viderẽ in genimine torrẽtis, ſi floruiſſet vinea, ſi floruiſſent mala punica*; ſic ait; *Deſcẽdit Saluator ad torrentem huius ſæculi, & turbidas aquas (de quibus, & in typo eius Elias bibiſſe deſcribitur) vt poſt flores vineæ, & mali punici fructum, vtrũque ſuſciperet, & inebrians Eccleſiam ſuam audiret ab ea; Potabis me de vino vnguentarij, de vino malorum.* Ex quibus verbis hanc ego ſententiam ad myſtici connubij legem accommõdatam inſtitui puto; deſcendiſſe quidem ſponſum Chriſtum, vt per Paſſionem, & Crucem, quæ per torrentem, & malorum punicorum rubentem ſuccum ſignificantur, illa pararet, quibus dealbaret ſponſam infuſcatam à Sole, & illam genialibus exornaret deliciis, ac potum denique pararet ex vinea, punicóq; malo expreſſum, quo conuiuium inſtrueret ſponſæ luculentum, & dulce. Sanè Chriſtus ſponſam ſibi acquiſiuit, atque emit ſanguine ſuo, vt apertè teſtatur Paulus Actor. 20. ſanguine item lauit, dealbauitque illius veſtimenta, quę materni ſanguinis labe fœdauerat; & ſuis ipſa ſordibus etiã infecerat. Apo. 7. 79.

Chriſtus Paſſione ſua ſpõſã dealbauit, ornauitque.

Laue

Lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni. Quare digressus ille sponsi otiosus non fuit, neque consilio vacuus; cùm colles trãsiliit, & per difficiles vias ad Passionis suæ torrentem descendit; ex quo quod in mysticas illas nuptias conferret, largiter hausit. Ita indicat ad Ephes. Paulus cap. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ: vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi; sed vt sit sancta, & immaculata.* Ad torrẽtem descendere, & inde aquas potare turbidas, vt dicebat Hieronymus, nihil est aliud, quàm se ipsum pro Ecclesia tradere, vt illam idoneam reddat Regalibus nuptiis.

Nesciui: anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab.

40. Histor. VErba sunt sponsæ, in quorum explicatione Interpretes distracti sunt, vt in nullam pene sententiam conuenerint. His ego, ne longior sim, in præsentia omissis, dicam, quod mihi magis visum est superiorum explicationi consentaneum. Reddit sponsa in primis rationẽ, cur nocturnum illũ exitum, qui puellarum modestiam parum decebat, esset molita: cur cito cursu, eóque perturbationis pleno, eò vsque progressa: nesciebat enim sponsum exiisse in hortos, vt pararet, quæ rei nuptiali forent necessaria, vel vt ibi se cum amicis oblectaret. Quod sanè ipsam magna, & cura & angore liberaret, quæ durius aliquid, & ab amore alienius suspicabatur. Hoc mihi facile videtur, & promptum, quod sequitur, impeditum est, atque difficile. Quod vulgatus legit, *perturbauit*, à verbo שמם *Samam*, id Septuaginta legunt, *posuit*, à verbo שם *Sam*. Illud verò *Aminadab*, quidam volunt nomen esse proprium viri alicuius nobilis, cui equi essent, & currus; & ita vulgatus, & L x x. vocem ipsam retinuerunt Hebraicam. Alij nomen putãt esse appellatiuũ, & eo significari populi Principem, siue ille sit Salomon, siue alius opibus, atque anthoritate potens. Quod indicat translatio Symmachi, Aquilæ, & quinta editio, quæ *populi ducem*, aut quid simile vertunt. Et quidem quòd hic Aminadab non sit aliquis eorum, quorum sacra Scriptura meminit, videtur certum, quia illi dicuntur עמינדב *Aminadab*, hic verò עמינדיב *Aminadib*. Neque inusitatum est in sacra Scriptura, vt Hebraicum nomen, quasi proprium sit, ponatur pro eius explicatione. Et constat ex nomine Bether cap. 2. & Amana capit. 4. & Selmon Psalm. 67.

Ex tam variis translationibus triplex deduci potest sensus, meo iudicio, non improbabilis, neque alienus ab hoc nuptiarum articulo. Et 41. primùm si cum Lxx. legamus, *posuit me currus*; rationem videtur sponsa reddere, cur sit terribilis sicut castrorum acies, quod proximè audierat. Dicit enim tantùm sibi additum animi à sponsi desiderio, vt quadrigis Aminadab nõ esset fortitudine inferior: atque ideo nocturnas insidias non timuerit, non pericula, per quæ, licèt malè iactata, in eum vsque locum tandem cucurrit. Verbum autem שם *Sam, posuit*, in Scriptura vim quamdam similitudinis obtinet. Zachar. 12. *Ponam Ierusalem lapidem oneris*, id est, faciam, vt instar lapidis

lapidis sit. Et cap. 7. *Posuerunt adamantem faciem suam.* Sic etiam hîc, *anima mea posuit me currus*, id est, instar curruum. Hoc certè amoris proprium est, vt acres reddat animos, & audaces: quia perfectus amor foras pellit timorem. Quare bene ex natura amoris Ouid. 4. Metamorph. de Thisbe:

Amor audaces facit, & fortes.

Audacem faciebat amor.——

72. Alius sensus satis amoris naturæ consentaneus est, si sponsa dicat conturbatam se fuisse vehementer, ne sponso aliquid accideret grauius ea nocte, qua se subduxit inopinata fuga. Timebat enim, ne incideret in quadrigas, siue equos, aut equitationem Aminadab, eius videlicet, cui cõmissa esset nocturna ciuitatis custodia. Aminadab, *Principem populi mei* sonat, quod nomen aptè cadit in eum, qui præfectus est vigilum. Seu certè currus erant Aminadab, id est, Salomonis Principis populi, qui ad varios vsus, & tempora suæ Reipublicæ magnam vim equorũ, & curruum pararat. 3. Reg. 4. v. 26. His ergo curribus vecti nocturni custodes tota ciuitate concursantes, & metum, & periculum ostentabant iis, quos extra domum noctu errantes, & vagos deprehendissent. Id ergo timebat sponsa: nam ea est amantis natura, vt nihil sit vsque adeò durum, quod non amatis, aut euenisse, aut impendere cogitet. Quid non timebat absenti filio Tobiæ coniux Anna? Expresſêre id optimè Comicus in Adelphis actu 1. scena 1. & Penelope apud Ouid.

Amor sollicitus.

Quando ego non timui grauiora pericula veris?
Res est solliciti plena timoris amor.
In te fingebam violentos Troas ituros:
Nomine in Hectoreo pallida semper eram.

73. Tertius sensus mihi magis probatur, quia magis accõmodatus temporis articulo, & aptissimè consentiens cum iis, quæ à nobis dicta sunt superiùs. Cùm enim iam instaret nuptiarum tempus, ac nihil esset propiùs, quàm vt ascenderet in currus Aminadab, id est, Salomonis, qui Princeps erat populi, & qui ferculum fecit in geniale vsum, & põpam propter filias Ierusalem, timebat sponsa, ne sua illiberali, atque importuna mollitie offensus dilectus alienior esset à nuptiis, quas antè spopõdisset. Propter quadrigas igitur timebat, quæ iam ad nuptialem traductionem erant expromptæ, ne illas non ascenderet suo magno merito; quę sponso eo temporis vestigio, & molliter, & miserabiliter clamanti fores non aperuisset. Quam sententiam indicat Athanasius in Synopsi ad finem, vbi dicit, sponsam impositam fuisse curribus Aminadab.

74. *Nesciui: anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab.*] Tres sensus in literali cortice probauimus magis, totidem illis in spirituali medulla respondent. Primus est iuxta L x x. versionem, se in quęrendo sponso non minùs citato cursu rapi, quàm currus Aminadab, neque timere magis in proposito sibi negotio, quàm quadrigas illas, quæ ad nullius pauent occursũ; tantam vim habet excellens amor, vbi semel ingenuum animum occupauit.

Allegor.

Explicatio secunda satis explicat amoris naturam, qui vt omnia bene cupit amasio, sic eidem omnia timet absenti. Neque mirum si cùm in illo solo viuat, timeat illi soli, in quo sibi etiam cauet, cuius vita continetur, & seruatur in altero. Et id præstare debet accuratis-

ſimè, qui veri amoris exhibere volet certa veſtigia. Quare cauere debet, ne quid à ſua, vel intéperie, vel ſtupore graue patiatur ſponſus; ne quid loquatur, quod diuinas aures, ne quid audeat, quod diuinos oculos, ne quid omittat, quod diuinum animum offendat. Vel ſi ab aliis cõtemni, vel offendi animaduertat, intimis angatur ſenſibus, & ne contingat vnquam, laboret ſedulò.

Tertia expoſitio, quæ magis placuit, de nuptiarum tempore, quod iam indicabat currus Aminadab, id eſt, ferculum Salomonis, egregium habet ſpiritualem ſenſum. Anima enim, quæ cœleſtis ſponſi nuptias ambit, quæ tunc demum ratæ ſunt, ac ſtabiles, cùm ad ſponſi domum traductio fiat in Salomonis ferculo, ſeu curru Aminadab, quia quotidie nuptiale tempus imminere ſuſpicatur, id eſt, mortis articulum, timet ne ſponſus propter aliquam animi offenſionem abierit alienus à nuptiis: eſt enim durũ omni tempore iratum eſſe Deum, ſed extremo duriſſimum. Quare prudentes, & quæ ad æterna connubia aſpirant animæ, in perpetuo quodam metu ſunt; quia Deum offenſum timent; & quodnam ſit nuptiarum tempus ignorant, ſemper audire ſibi videntur illud Mat. 25. *Ecce ſponſus venit, exite obuiam ei.* Hæc ergo ſponſa media, vt eſt veriſimile, excitata nocte, conuerſionem ſuam, & pœnitentiam non differt in craſtinam lucem: media ipſa nocte ſurgit è lecto, ſubit incommoda, neque à plorando ceſſat, & quærendo, donec à ſponſo per tot ludibria, ac pericula inuento, atque propitiato audiat, *Pulchra es, amica mea, ſuauis, & decora.*

Meditatio mortis aſſidua.

Reuertere, reuertere Sulamitis; reuertere, vt intueamur te.

DIxerat ſponſus Reginas, & concubinas viſuras, & laudaturas ſpeciem Sulamitidis: id enim eſt; *viderunt eam filiæ*, &c. vbi præteritum pro futuro ſumi diximus: nunc vt re ipſa expleat fœminarum chorus, quod eſſe gratum ſponſo didicerat, rogat vt faciem videndam offerat; vt deinde encomium ordiatur. Vel cùm adeò ſit ab ſponſo laudata, vt longè antecedere dicatur Reginas omnes, & concubinas; ipſæ fœminæ re ipſa experiri volentes, an tanta eſſet Sulamitidi ſpecies, quanta prædicabatur à ſponſo, & quaſi ſuboffenſæ, quòd ſibi præponatur in eo, quod puellis tantæ curæ, ac voluptati eſt; rogant vt reuertatur (nam fortaſſe, dum non fert modeſta virgo laudari ſe tantopere à ſponſo ſuo, faciem auerterat, quod indicat Amb. lib. de Iſaac cap. 8.) vt intueantur eximiam illam formam, de qua tam multa audierant. Et pro hac explicatione facit quod verbum Heb. שוב *Sub*, pro quo vulgatus, *reuertere*, etiam *conuertere* ſignificat: & ita vertunt L x x. & legit Ambroſ. libro de Iſaac cap. 8. & Hieronymus epiſtola ad Algaſiam. 75. *Hiſtor.*

Reuertere, reuertere Sulamitis.] Sanctæ illæ animæ, quæ ſuprà à ſponſo filiæ Sion, Reginæ & concubinæ dictæ, quia iuſſæ ſunt paulo antè ſponſam videre, atque laudare, orant Sulamitidem, vt ſe videndam præbeat. Ex quo apparet quàm diligat Deus animam, quam culpæ pœnitet, quæ plorat, & patitur, quando & ipſe non ſolatur tantùm, 76. *Allegor.*

tùm, & abstrgit lacrymas, sed laudat effusè, & vt ab aliis laudetur, studiosè iubet. Hîc etiam notanda sponsæ modestia, atque ex superiori desidia natus rubor. Auerterat enim oculos, quia peccati conscia non facilè tā magnificè de se audire potest. Quo exēplo docet, quàm inter veras delicias, voluptatésque non indebitas habere etiam locum debeat superioris vitæ memoria, atque ex ea profecta verecundia, & dolor, iuxta illud Eccles. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu.*

Pudor ex peccato etiam dimisso.

77. Hæc explicatio magis mihi videtur ad textum: quia verba hæc, vt diximus, puellarum potiùs videntur esse, quàm sponsi. Sed quia ex Patribus nonnulli sponso hæc attribuunt, illorum nos cogitationibus obsecuti, spiritualem sensum aliter instituamus. Sentiunt itaque ex Patribus nonnulli, sponsum auersari sponsæ aspectum; quia in illa aliquid agnoscit suis oculis indignum, iubereque illi, vt si velit diuinis oculis placere, illósque allicere ad sui conspectum, abiiciat illa, quæ ipse vehementer non solùm fastidit, sed etiam horret. Bernardus Serm. 58. ex paruis. *Reuertere,* inquit, *primò ab inepta lætitia, secundò, ab inutili tristitia: tertiò, ab inani gloria: quartò, à latenti superbia. Cùm hæc omnia vitia reliquerit anima, intuebitur eam sponsus eius.* Idem pene Sermone 3. in Annūciatione Dominica. *Reuertere* (inquit) *quò videlicet nec in peccandi consuetudine, nec in conscientia peccatorum, sed neque in tepore, & torpore ingratitudinis, aut in elationis cæcitate persistas.* Idem fere Carpathius, nisi quòd accōmodatè ad versionem L x x. qui legunt, *Conuertere; & aspiciemus in te.* Verba hæc attribuit aliis à sponso; qui dicunt tunc in sponsa videndum esse Christū, qui in animabus sanctis inhabitat, cùm illa à vitiis, & voluptatum lenociniis ad vitæ sanctitatem sese conuerterit. Neque ab his longè recedit Apponius, cùm ait, his verbis spōsā ad pœnitentiam vocari, à peccato videlicet ad iustitiam.

Anima quid à se abiicere debeat, vt fit diuinis oculis grata.

ARGVMENTVM IN CAPVT SEPTIMVM CANTICORVM.

POSTQVAM adolescentulæ psaltriæ ad sponsi imperium contemplatæ sunt per otium Sulamitidis formam, & ornamenta, quid de illius pulchritudine iudicent, ostendunt. Laudant autem, quæ oculis proposita sunt: nam ideo illam curiosis oculis intuentur. Deinde cùm significarent, vehementer sibi placere, quæ in sponsa laudant, & cupere se illis frui, sponsa contrà obiicit, nequicquam illas optare sibi, quod vni sponso seruatum est. Idq; vt sponsus reipsa comperiat, hortatur illum, vt in villas egrediatur, vbi intima cordis penetralia sua esse cognoscat. Ad extremum commemoratione mandragorarum indicat maturum esse iam tempus ad id, quod est in his nuptiarum sacris extremum.

CAPVT VII.

Sponsus.

1 *QVID videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?*

Adolescentulæ.

Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamẽtis, filia Principis!

Iuncturæ feminum tuorum sicut monilia, qua

PARAPHRASIS.

1 SPECTATE, filiæ Ierusalem, quàm volueritis otiosè Sulamitidem, in ea tamen mirificam inuenietis pulchritudinem, quæ futilis, ac mollis non est, sed fortis, & strenua, vt verè cum choris castrorum cõferri queat. Qui ita grati sunt ad audiendum, vt etiam acres sint ad inflammandos militares spiritus.

O Sulamitis, quam iure, & more nuptiali filiam Principis, & Reginam appellare licet, quàm pulchra sũt calceamenta, seu cothurni, quibus Regios pedes inclusisti!

Fibulæ quibus dissectam à femoribus tunicam constringis, atque consibu

consibulas, instar monilium sunt, quę magno studio, atque opere elaborata sunt ab artifice.

quæ fabricata sunt manu artificis.

2 Gemma, seu lamella, quę è collo ad vmbilicum descendit, aut quæ partem illam Regij integumenti decorat, quæ vmbilico respondet, similis mihi videtur crateri torno elaborato, qui poculis nõ indiget, siue quia semper mundus est, neque lotionis eget, siue quia, vt pulcher sit, necesse non est, vt vinum illi flauum infũdas. Pars autem illa Regij indumenti, quæ ventrem tegit, in cuius medio vmbilicus est, pictura, atq; argumento similis mihi videtur aceruo tritici, quem lilia, atque alij flores vallant, quæ opere Phrygio in extima veste circumpicta sunt.

2 *Vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis. Venter tuus, sicut aceruus tritici, vallatus liliis.*

3 Quàm verissimum existimamus, probamúsq; ô Sulamitis, sponsi tui de tuis vberibus, collóque iudicium. Imò aliquid etiã addimus: sunt enim vbera tua, sicut sponsus cecinit, tanquam duo hinnuli gemelli capreæ.

3 *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli gemelli capreæ.*

4 Collum tuũ, sicut turris; nos autem addimus, quod non cecinit spõsus, inesse illi præterea eburneum candorem.

4 *Collum tuum, sicut turris eburnea.*

Oculis tuis inest splendor quidam atque serenitas, sicut aquæ piscinarũ Hesebon, quæ sunt ad portam, quæ spectat oppidum Rabath, quas neque limus turbat, neque ventus exagitat, quare claræ semper sunt, & quietæ.

Oculi tui, sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis.

Nasus tuus talis mihi videtur inter capillos à fronte, seu inter ramos à corona pendulos, qualis apparere

Nasus tuus, sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum.

ſolet turris pulcherrima, quæ in Libano eſt è regione Damaſci, quæ inter ſpecioſas arbores ſic eminet, vt & ipſa ſibi habeat,& toti monti conciliet venuſtatem.

5 *Caput tuum,ſicut Carmelus: & coma capitis tui, ſicut purpura Regis vincta canalibus.*

5 Quod ad caput attinet,corona, qua inſignitũ eſt,non videtur minùs elegans,ac florida, quàm mons Carmelus, qui pulcherrimus eſt,aut certè totam Carmeli montis amœnitatem videtur complexa. At coma, quæ naturale quoddam capitis ornamentum eſt,ſic honeſtè rubet, vt Regiæ purpuræ à à tinctura recenti colorem imitetur. Neque prætere in ea illud deſideratur, quod Regiæ etiam purpuræ decori eſt: vt enim Regiam tunicam ex purpura argenteæ,ſeu aureæ teniæ, quæ canalium ſimilitudinem,& nomen habent,vinciunt,atque diſtinguunt: ſic comam tuam decorè rubentem, argenteæ, ſeu aureæ teniæ cingunt, atque diſcriminant.

6 *Quàm pulchra es,& quàm decora chariſſima in delicijs!*

6 Es ergo gratiſſima omniũ oculis Sulamitis, valdè ſpectabilis propter delicias,& ornamenta,quibus ad nuptialem hunc diem exculta es.

7 *Statura tua aſſimilata eſt palmæ,& vbera tua botris.*

7 Habitus,& proceritas totius corporis aſſimilantur palmæ, cuius botris vbera tua,& pulchritudine & ſitu diſsimilia non ſunt.

8 *Dixi: aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius: & erunt vbera tua, ſicut botri vineæ, & odor oris tui, ſicut malorũ. 9 Guttur tuũ ſicut*

8 Quando ea pulchritudine præſtas, & iis ornamentis inſtructa es,vt omnium oculos rapere, & bene volentib. etiam inuidiam mouere poſſis; dixi apud me; aſcendam in hanc ſpecioſam palmam: talis enim mihi viſa es; & apprehendam, quod in te palmæ fructum, & ſimilitudinem refert;

fert, dona videlicet nuptialia. Et interim (quando iis, qui eiusdem sexus sunt, indecorum non est) amplexabor, & exosculabor te, & capiam ab vberibus, id est, ab amplexu, quod à vino, & ab ore, id, quod à pomis suauitatis est. 9 Guttur enim tuum, quo suauem omnibus spiritum inhalas, instar obtinet odorati vini.

sicut vinum optimum.

10 Si quid in me dulce est, quod vobis placeat, filiæ Ierusalem, frustra illud vobis desideratis: quia id totum vni debetur, & seruatur sponso, vt suo arbitratu eo iterum ac sæpius regustato, siti satisfaciat amatoriæ.

Sponsa.

10 *Dignum dilecto meo ad potandum, labiisque, & dentibus illius ad ruminandū.*

11 Neque id vobis inurbanum videatur, aut durum, ô puellæ Sionides, si id vobis omnino interdictum esse affirmem. Nam sicut dilectus meus totus est meus, sic etiam fas est, vt quanta ego, qualisque sum, tota sim dilecti mei.

11 *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.*

12 Age ergo, dilecte mi, egrediamur aliquando in agrum, & commoremur in villis, &, vt sedulum patremfamilias decet, matutina luce exeamus ad vineam, consideremúsque an vineæ, & mala punica floruerint, an flores spem ostendant secuturi fructus. Ibi experimentum capies, an tota tua sim: ibi enim tibi dabo vbera mea, id est, quidquid in intimis latet præcordiis, tuum esse comperies.

12 *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, cōmoremur in villis. Manè surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiūt, si floruerūt mala punica: ibi dabo tibi vbera mea.*

13 Nimiùm lenti sumus, ô dilecte mi, in mouendo ferculo, quando mandragoræ iam olentes maturitatem indicant amoris, & nuptiarum. Iam quod ad me attinet, feci quod

13 *Mandragoræ dederunt odorem suum. In portis nostris omnia poma, noua, & vetera,*

vetera, dilecte mi, seruaui tibi.

ci quod potui. Vt tu nuptiali ritu amplissimis muneribus meas emisti nuptias, sic ego vicissim, sicut olim Lia mariti concubitus, meis mandragoris, id est, mea tenuitate conciliaui tuas. Quidquid habui, id totum palàm in portis tuum esse volui, tam poma noua, quàm vetera, dilecte mi, seruaui tibi.

IN CAPVT SEPTIMVM COMMENTARIVS.

Quid videbis in Sulamite nisi choros, &c.

1. Histor. NON omnes eodem modo distinguũt hæc capita. Quidam ad 6. c. referunt; & c. 7. inchoant ab illis verbis, *Quàm pulchri sunt,* &c. Ita Pagninus, Vatablus, Isidorus clariùs, & alij, vt caput hoc à noua spõsæ laude sumat exordiũ; sed parum in ea re momenti est. Videtur autem commodissimè ita posse distingui, sicut ab aliis communiter, quia hîc continetur propositio eorum, quæ latiùs deinde explicantur, & quæ mirum in modum ostendũnt spõnsæ & eximiam venustatem, & quod in fœmina rarum est, fortitudinem singularem. *Chorus* suauitatem indicat, & delicias, siue multitudinem intelligas ad numerosos incessus, saltúsque compositam, siue instrumentum musicum; & id potiùs valet vox Hebr. מחולה *Mecholah,* quia ita oblectat, vt etiam animos instimulet, & accendat; sicut in castris tympanum, aut tuba. Antiqua versio Hispanica reddit *Atabales.* Est autem hîc pulchra quædam antithesis; nam Sulamitis *pacificam* sonat: eam ergo quæ pacem præ se fert terribilem esse, & habere castrorum instar sponsus affirmat: quia ab ipsa vulneratus est. Quare non satis pacificæ nomen cum bellatricis moribus congruit.

Chorus instrumẽtum bel licum ad acuendos animos.

Quin etiam sicut cap. 2. sponsa cecinerat habere sponsum ordinatam, atque instructam charitatis aciem, sic sponsus hîc, vt paria eius commendationi rependat, habere dicit sponsam contra se aciem non dissimilem; vnde etiam proximè illam vocarat terribilem, sicut castrorum aciem ordinatam. Quòd si hæc sponsi verba, non tam ad spõsam, quàm ad puellarum chorum refe-

referas, quæ quasi suboffensæ, quòd sibi præponatur Sulamitis, ostendi sibi petunt eius faciem. oratio sponsi deterret illas, ne cum sponsa in contentionem de formæ dignitate, ac pulchritudine descendant: quibus id accidet omnino, quod iis, qui cum exercitu satis ad dimicandum instructo congredi volent.

2. Obserua hic artificium admirabile: quia amantium oculi lusciosi sunt, neque satis fidei facere solet illa, quæ est à vulgaribus amatoribus oratio, ne videretur sponsus hic diuinus, qui se hominum consuetudini, & sensibus accommodat, in ornanda spõsa plus amori tribuere, quàm veritati, iubet vt præsentes suũ quoque ferant de sponsa testimonium. Item quia satis vrbanè laudare non poterat in sponsa externa ornamenta ab ipso comparata, quia suam potiùs laudaret liberalitatem, & officium, quàm sponsæ merita; vt effugeret hoc illiberale, & rusticum commendationis genus, quæ in hoc mystico, ac hieroglyphico Epithalamio multùm momenti habet, puellarum curæ, atq; laudationi permittit. Quare tota ferme hæc scena in commendandis externis ornamẽtis cõsumitur. Si qua verò propria sunt, & priùs ab sponso laudata, illa exprobrant, & noua commendatione cumulant. Exempli gratiâ, dixerat sponsus *collum esse sicut turrim*, addũt ipsæ, *eburneam*; *oculos similes columbis iuxta fluenta*, addunt, *Hesebon*, quia pulcherrima, &c.

Inurbani est sua laudare beneficia.

Allegor. *Quid videbis in Sulamite nisi choros castrorum?*] Summam eorum, quæ in sponsa laudanda sunt, breui sermone complectitur sponsus; & obscurè repetit, quod paulo antè dictum est; nempe pulchram esse sponsam, sicut auroram, & sicut castrorum aciem terribilem. Id enim totum castrorum chori significant, siue instrumentum sit musicum ad acuendos militum animos; quod ad suauitatem aliquid etiam resonat bellicum; siue militaris ordo, qui & terribilis est, quia armis instruitur, & pulcher, quia eo ordine incedit, & ad militarem sonitum ita numerosè, vt terrori, quem hostibus intentat, speciem addat venustatis eximiæ. Talem intuebatur Balaam aciem Israël Numer. cap. 24. *Quàm pulchra*, inquit, *tabernacula tua, Iacob, & tẽtoria tua Israël, vt valles nemorosæ, vt horti iuxta fluuios irrigui*, &c. Amat vtique Deus, & laudat non virtutem ignauam, & inertem, si tamen ignaua potest esse virtus; sed constantem, & strenuam, quæ ad venustatem virtuti propriam robur etiam adhibet ita virtuti proprium, vt commune cum illa nomen habeat. Vt autem acies ordinata charitatis, id est, spõsi merita, sponsam vulnerauit cap. 2. sic nunc alia ab sponsa charitas ordinata, id est, alia virtutum, lacrymarúmque terribilis acies sponsi pectus non minùs oppugnat. Porrò in Sulamitide, id est, pacifica, castrorum choros agnoscit sponsus; nam mites, atque humiles potentissimi sunt in Deum; eorum etenim oratio penetrat cœlos. Ecclesi. 35. Et Moysis mansuetudo captiuas ferme habuit diuinas manus. Exod. 32. *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos.*

Virtus nõ est ignaua, aut otiosa.

Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis!

VErba hęc esse puellarũ, nemo, credo, dubitabit, qui paulo attẽtiùs 3. Histor.

consequentia cum superioribus cōpositerit; & ita putat Genebrardus, & tres Patres apud Theodor. & Rab. Salomon: neque aliter facilem, atque honestū sensum habere possunt multa ex his, quæ statim subduntur. Laudant autem, quæ oculis sunt proposita, vt bene Genebrardus hîc obseruat: ideo enim iussæ sunt à sponso spectare sponsæ pulchritudinem. Ex quo fit probabile, nihil hîc laudari, quod occultum sit: atque adeò, neque quod propriè dicatur *venter*, *vmblicus*, & *femur*. Vt ergo puellæ conuersam ad se sponsam contemplatæ, & ad stuporem vsque admiratæ sunt, laudem ipsius à pedibus ordiuntur, nempe à calceis.

Calceamenta fœminarum splēdida.

Fœminarum calceamenta esse pretiosa, & gemmis interdum, atque auro splendentia, satis notum ex Plinio lib. 9. cap. 35. & Clement. Alex. lib. 2. Pæd. cap. 11. & nos plura suprà cap. 5. ad illud, *super bases aureas*. Quòd verò fœminarum apud Hebræos sandalia, & calceamenta pretiosa fuerint, indicat Ezechiel cap. 16. vbi sponsam dicit calceatam esse hyacinthis: & Isai. 3. *Auferet Dominus ornamentum calceamentorum*. Hebr. *gloriam*. Et Iudith 9. sandaliis Iudith dicuntur oculi Holophernis capti. Sed cur pulchri sponsi gressus in calceamētis? quia non modò cætera ornamenta, quæ vt erant hieroglyphica symbola coniugalis amoris, & fidei, optimè sponsæ naturam, & mores præferebant; sed etiam calceamenta, quæ suam etiam in eo sacro connubio significationem habuerunt. Neque mihi videtur à re nuptiali, atque amatoria alienum, talia amoris casti symbola in huiusmodi calceis notata margaritis esse, aut acu Phrygia, qualia in aliarum fœminarum sandaliis fuisse, dicit Clemens Alexandr. 2. Pædag. cap. 11. *Multa* (inquit) *fœminarum soleis quoque amatorias salutationes imprimunt, vt vel per terram numerosè incedentes meretricios spiritus in incessu insculpant*. Et sicut Arcades, & antiquissimi Romanorum Lunas gestabant in calceis, vt ostentarent generis antiquitatem, sic fœminæ vel in superiori calceorum parte aliqua symbola gestabāt, quibus aliis amorem suum notatum, testatúmque relinquerent, vel certè (quod magis puto ex mente Clementis) soleis, id est, subiectæ calceorum parti, quę vestigia imprimunt, clauos addebant, vel aliam formam, qualis est in sigillis, quę in vestigiis aliquod amoris signum exprimeret. Hinc fortasse natus ille loquendi modus, quo dicimus ex alicuius vestigiis flores erumpere. Persius Sat. 2.

Vestigia quomodo pulchra.

Quidquid calcauerit hic, rosa fiat.

Pulchri ergo dicuntur gressus, quia quocunque se tulerit sponsa, relinquit animi tui, ac fidei notata vestigia. Huius aliquam videmus similitudinem in militaribus caligis, id est, calceis, quas milites clauis suffigunt plerumq; ferreis, quò magis in dimicando firma sint vestigia. Sanè de Iuliano quodam Centurione tradit Iosephus libr. 7. de bello, in solo saxeis crustis instrato lapsum fuisse, cùm calceos haberet, vt cæteri solēt milites, clauis suffixos. Eò verò processit militum insania, vt etiam gregarij milites caligas auro suffigerēt; vt de Antiochi militibus tradit Iustinus lib. 38.

Filia

Filia Principis.

4. Regul. Filiüs,& filia nomẽ circumscribunt. HEbræorum more, qui per nomen *filij*, aut *filiæ* aliquid circumloquuntur, *vt filij taurorum*, *&* *Prophetarum*, pro *tauris*, *&* *Prophetis*; sponsa appellatur filia Principis, id est, Princeps, vel Regina, sicut spōsus Rex appellatur amatorio blandimento. Et sanè quæ Regina dicitur Psalmo 44. *Astitit Regina à dextris tuis*, eadem vocatur Regis filia. *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus.*

Regina sponsę nomen.

5. Allegor. *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis!*] Calceamenta quędam sunt quę pedes ligant potiùs, quàm muniũt, aut expediũt ad cursũ; hæc verò plurimùm pulueris, & luti colligunt; quæ deponere iubẽtur Moyses Exod. 3. & Iosue cap. 5. si modò velint ad Dominum ascendere. Hæc præcipitabant potiùs, quàm ornabant filias Sion. Isai. 3. quibus, quia composito gradu incedebant, *abstulit illis Deus calceamẽtorum ornamenta*. Per *pedes* autem animæ affectiones intelligi satis notum est; quia sicut illi corpus, sic istę animum quocunque rapiunt. Affectiones istę modò adsint, calceamenta ad tectã Domini viam accõmodata, pulcherrimorum gressuum initia sũt. Hyacinthina verò fuisse verisimile est ex eo Ezechiel. 16. *Calceaui te hyacinthis*. Hæc verò ad cœlum ducunt, quia communem cum cœlo colorem habent. Quia ergo ad Regnum gressum molitur sponsa; *filia Principis*, id est, Regina salutatur à sponso, Regevtique cœlorum. Gressus hi pulchri sunt, quia ascensiones disposuerunt ad Deum in Sion, neq; à recto cursu in alia diuerticula deflectũt. Quòd si, vt ex Clemẽte Alexandrino suprà dicebamus in cortice, puellarum calcei notam habuẽre, aut formas, quibus terræ imprimerent, aut salutationes molles, aut amoris symbola, proculdubio sponsæ gressus fuẽre pulcherrimi, in quibus vestigia sunt, & notæ amoris eximij. Quocumque enim spectes, optimæ sponsæ apparent noua in spōsum officia; opera nempe sancta, quæ amoris sancti vestigia sunt.

Affectus sursum excitandi.

In gressibus apparere debent amoris signa.

Aliqui ex Patribus, & in his Ambros. de obitu Valentiniani ideo putant pulchros esse gressus in calceamentis, quia calceamenta, quæ ex mortuorum pellibus fiunt, pedibus subiciuntur. Pulchrè igitur incedit ille, qui veteris, id est, iam mortui hominis affectus calcat. Nam qui supra caput nostrum, aut intra cor ad infima turpiter deprimerent, iidem subiecti pedibus per mortificationem in sublime attollũt. Optimè hoc Augustinus Sermone 3. de Ascensione: *Per vitia, & passiones nostras, si vtique vnusquisque nostrûm subdere ea sibi studeat, ac super ea stare consuescat; ex ipsis sibi gradus construit, eleuabũt nos, si fuerint infra nos. De vitiis nostris scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus.* 6. Affectus humani calcandi.

Alij calceamenta, quæ ex mortuorum pellibus consuta sunt, antiquorum patrum exempla esse putant, in quorum vestigiis pedes nostri perpetuò ponendi, tanquam in calceis. Neque minùs frequenter terenda patrum vestigia imitatione sunt, quàm calceamenta pedibus. Illi ergo gressus & pulchri sunt, & tecti, & qui filiam Principis omnino deceant, qui per sanctorum Patrum vestigia fiunt. Ita pene Gregor. S. Tho. Beda. 7. Sanctorũ imitatio.

Lubet hîc adscribere, quod nostræ Societatis, imò sui sæculi singulare 8.

ſimè, qui veri amoris exhibere volet certa veſtigia. Quare cauere debet, ne quid à ſua, vel intẽperie, vel ſtupore graue patiatur ſponſus; ne quid loquatur, quod diuinas aures, ne quid audeat, quod diuinos oculos, ne quid omittat, quod diuinum animum offendat. Vel ſi ab aliis cõtemni, vel offendi animaduertat, intimis angatur ſenſibus, & ne contingat vnquam, laboret ſedulò.

Tertia expoſitio, quæ magis placuit, de nuptiarum tempore, quod iam indicabat currus Aminadab, id eſt, ferculum Salomonis, egregium habet ſpiritualem ſenſum. Anima enim, quæ cœleſtis ſponſi nuptias ambit, quæ tunc demum ratæ ſunt, ac ſtabiles, cùm ad ſponſi domum traductio fiat in Salomonis ferculo, ſeu curru Aminadab, quia quotidie nuptiale tempus imminere ſuſpicatur, id eſt, mortis articulum, timet ne ſponſus propter aliquam animi offenſionem abierit alienus à nuptiis: eſt enim durũ omni tempore iratum eſſe Deum, ſed extremo duriſſimum. Quare prudentes, & quæ ad æterna connubia aſpirant animæ, in perpetuo quodam metu ſunt; quia Deum offenſum timent, & quodnam ſit nuptiarum tempus ignorant, ſemper audire ſibi videntur illud Mat. 25. *Ecce ſponſus venit, exite obuiam ei.* Hæc ergo ſponſa media, vt eſt veriſimile, excitata nocte, conuerſionem ſuam, & pœnitentiam non differt in craſtinam lucem: media ipſa nocte ſurgit è lecto, ſubit incommoda, neque à plorando ceſſat, & quærendo, donec à ſponſo per tot ludibria, ac pericula inuento, atque propitiato audiat, *Pulchra es, amica mea, ſuauis, & decora.*

Meditatio mortis aſſidua.

Reuertere, reuertere Sulamitis; reuertere, vt intueamur te.

DIxerat ſponſus Reginas, & concubinas viſuras, & laudaturas ſpeciem Sulamitidis: id enim eſt; *viderunt eam filiæ*, &c. vbi præteritum pro futuro ſumi diximus: nunc vt re ipſa expleat fœminarum chorus, quod eſſe gratum ſponſo didicerat, rogat vt faciem videndam offerat; vt deinde encomium ordiatur. Vel cùm adeò ſit ab ſponſo laudata, vt longè antecedere dicatur Reginas omnes, & concubinas; ipſæ fœminæ re ipſa experiri volentes, an tanta eſſet Sulamitidi ſpecies, quanta prædicabatur à ſponſo, & quaſi ſuboffenſæ, quòd ſibi præponatur in eo, quod puellis tantæ curæ, ac voluptati eſt; rogant vt reuertatur (nam fortaſſe, dum non fert modeſta virgo laudari ſe tantopere à ſponſo ſuo, faciem auerterat, quod indicat Amb. lib. de Iſaac cap. 8.) vt intueantur eximiam illam formam, de qua tam multa audierant. Et pro hac explicatione facit quod verbum Heb. שוב *Sub*, pro quo vulgatus, *reuertere*. etiam *conuertere* ſignificat: & ita vertunt LXX. & legit Ambroſ. libro de Iſaac cap. 8. & Hieronymus epiſtola ad Algaſiam. 75. Hiſtor.

Reuertere, reuertere Sulamitis.] Sanctæ illæ animæ, quæ ſuprà à ſponſo filiæ Sion, Reginæ & concubinæ dictæ, quia iuſſæ ſunt paulo antè ſponſam videre, atque laudare, orant Sulamitidem, vt ſe videndam præbeat. Ex quo apparet quàm diligat Deus animam, quam culpæ pœnitet, quæ plorat, & patitur, quando & ipſe non ſolatur tan- 76. Allegor.

cùm,

tùm, & abstrgit lacrymas, sed laudat effusè, & vt ab aliis laudetur, studiosè iubet. Hîc etiam notanda sponsæ modestia, atque ex superiori desidia natus rubor. Auerterat enim oculos, quia peccati conscia non facilè tã magnificè de se audire poteft. Quo exẽplo docet, quàm inter veras delicias, voluptatesque non indebitas habere etiam locum debeat superioris vitæ memoria, atque ex ea profecta verecundia, & dolor, iuxta illud Ecclef. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu.*

Pudor ex peccato etiam dimisso.

77. Hæc explicatio magis mihi videtur ad textum: quia verba hæc, vt diximus, puellarum potiùs videntur esse, quàm sponsi. Sed quia ex Patribus nonnulli sponso hæc attribuunt, illorum nos cogitationibus obsecuti, spiritualem sensum aliter instituamus. Sentiunt itaque ex Patribus nonnulli, sponsum auersari sponsæ aspectum; quia in illa aliquid agnoscit suis oculis indignum, iubereque illi, vt si velit diuinis oculis placere, illósque allicere ad sui conspectum, abiiciat illa, quæ ipse vehementer non solùm fastidit, sed etiam horret. Bernardus Serm. 58. ex paruis. *Reuertere, inquit, primò ab inepta laetitia, secundò, ab inutili tristitia: tertiò, ab inani gloria: quartò, à latenti superbia. Cùm hæc omnia vitia reliquerit anima, intuebitur eam sponsus eius.* Idem pene Sermone 3. in Annũciatione Dominica. *Reuertere* (inquit) *quò videlicet nec in peccandi consuetudine, nec in conscientia peccatorum, sed neque in tepore, & torpore ingratitudinis, aut in elationis cæcitate persistas.* Idem fere Carpathius, nisi quòd accõmodatè ad versionem L x x. qui legunt, *Conuertere; & aspiciemus in te.* Verba hæc attribuit aliis à sponso; qui dicunt tunc in sponsa videndum esse Christũ, qui in animabus sanctis inhabitat, cùm illa à vitiis, & voluptatum lenociniis ad vitæ sanctitatem sese conuerterit. Neque ab his longè recedit Apponius, cùm ait, his verbis spõsã ad pœnitentiam vocari, à peccato videlicet ad iustitiam.

Anima quid à se abiicere debeat, vt sit diuinis oculis grata.

ARGVMENTVM IN CAPVT SEPTIMVM CANTICORVM.

POSTQVAM adolescentulæ psaltriæ ad sponsi imperium contemplatæ sunt per otium Sulamitidis formam, & ornamenta, quid de illius pulchritudine iudicent, ostendunt. Laudant autem, quæ oculis proposita sunt: nam ideo illam curiosis oculis intuentur. Deinde cùm significarent, vehementer sibi placere, quæ in sponsa laudant, & cupere se illis frui, sponsa contrà obiicit, nequicquam illas optare sibi, quod vni sponso seruatum est. Idq; vt sponsus reipsa comperiat, hortatur illum, vt in villas egrediatur, vbi intima cordis penetralia sua esse cognoscat. Ad extremum commemoratione mandragorarum indicat maturum esse iam tempus ad id, quod est in his nuptiarum sacris extremum.

CAPVT VII.

Sponsus.

1 *QVID videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?*

Adolescentulæ.

Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamẽtis, filia Principis!

Iuncturæ feminum tuorum sicut monilia, quæ

PARAPHRASIS.

1 SPECTATE, filiæ Ierusalem, quàm volueritis otiosè Sulamitidem, in ea tamen mirificam inuenietis pulchritudinem, quæ futilis, ac mollis non est, sed fortis, & strenua, vt verè cum choris castrorum cõferri queat. Qui ita grati sunt ad audiendum, vt etiam acres sint ad inflammandos militares spiritus.

O Sulamitis, quam iure, & more nuptiali filiam Principis, & Reginam appellare licet, quàm pulchra sũt calceamenta, seu cothurni, quibus Regios pedes inclusisti!

Fibulæ quibus dissectam à femoribus tunicam constringis, atque consibu

confibulas,instar monilium sunt,quę magno studio,atque opere elaborata sunt ab artifice.

quæ fabricata sunt manu artificis.

2 Gemma, seu lamella,quę è collo ad vmbilicum descendit, aut quæ partem illam Regij integumenti decorat, quæ vmbilico respondet, similis mihi videtur crateri torno elaborato,qui poculis nō indiget,siue quia semper mundus est, neque lotionis eget, siue quia,vt pulcher sit,necesse non est, vt vinum illi flauum infundas. Pars autem illa Regij indumenti, quæ ventrem tegit, in cuius medio vmbilicus est, pictura,atq; argumento similis mihi videtur aceruo tritici, quem lilia,atque alij flores vallant, quæ operè Phrygio in extima veste circumpicta sunt.

2 *Vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis. Venter tuus, sicut aceruus tritici, vallatus liliis.*

3 Quàm verissimum existimamus, probamúsq; ô Sulamitis,sponsi tui de tuis vberibus, collóque iudicium. Imò aliquid etiā addimus:sunt enim vbera tua,sicut sponsus cecinit, tanquam duo hinnuli gemelli capreæ.

3 *Duo vbera tua,sicut duo hinnuli gemelli capreæ.*

4 Collum tuū, sicut turris;nos autem addimus,quod non cecinit spōsus, inesse illi prætetea eburneum candorem.

4 *Collum tuum, sicut turris eburnea.*

Oculis tuis inest splendor quidam atque serenitas, sicut aquæ piscinarū Hesebon, quæ sunt ad portam, quæ spectat oppidum Rabath, quas neque limus turbat,neque ventus exagitat, quare claræ semper sunt, & quietæ.

Oculi tui, sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis.

Nasus tuus talis mihi videtur inter capillos à fronte, seu inter ramos à corona pendulos, qualis apparere

Nasus tuus, sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum.

solet turris pulcherrima, quæ in Libano est è regione Damasci, quæ inter speciosas arbores sic eminet, vt & ipsa sibi habeat, & toti monti conciliet venustatem.

5 *Caput tuum, sicut Carmelus: & coma capitis tui, sicut purpura Regis vincta canalibus.*

5 Quod ad caput attinet, corona, qua insignitũ est, non videtur minùs elegans, ac florida, quàm mons Carmelus, qui pulcherrimus est, aut certè totam Carmeli montis amœnitatem videtur complexa. At coma, quæ naturale quoddam capitis ornamentum est, sic honestè rubet, vt Regiæ purpuræ à à tinctura recenti colorem imitetur. Neque prætere in ea illud desideratur, quod Regiæ etiam purpuræ decori est: vt enim Regiam tunicam ex purpura argenteæ, seu aureæ teniæ, quæ canalium similitudinem, & nomen habent, vinciunt, atque distinguunt: sic comam tuam decorè rubentem, argenteæ, seu aureæ teniæ cingunt, atque discriminant.

6 *Quàm pulchra es, & quàm decora charissima in deliciis!*

6 Es ergo gratissima omniũ oculis Sulamitis, valdè spectabilis propter delicias, & ornamenta, quibus ad nuptialem hunc diem exculta es.

7 *Statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua botris.*

7 Habitus, & proceritas totius corporis assimilantur palmæ, cuius botris vbera tua, & pulchritudine & situ disimilia non sunt.

8 *Dixi: ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius: & erunt vbera tua, sicut botri vineæ, & odor oris tui, sicut malorũ. 9 Guttur tuũ sicut*

8 Quando ea pulchritudine præstas, & iis ornamentis instructa es, vt omnium oculos rapere, & bene volentib. etiam inuidiam mouere possis; dixi apud me; ascendam in hanc speciosam palmam: talis enim mihi visa es; & apprehendam, quod in te palmæ fructum, & similitudinem refert;

fert, dona videlicet nuptialia. Et interim (quando iis, qui eiusdem sexus sunt, indecorum non est) amplexabor, & exosculabor te, & capiam ab vberibus, id est, ab amplexu, quod à vino, & ab ore, id, quod à pomis suauitatis est. 9 Guttur enim tuum, quo suauem omnibus spiritum inhalas, instar obtinet odorati vini.

sicut vinum optimum.

10 Si quid in me dulce est, quod vobis placeat, filiæ Ierusalem, frustra illud vobis desideratis: quia id totum vni debetur, & seruatur sponso, vt suo arbitratu eo iterum ac sæpius regustato, siti satisfaciat amatoriæ.

Sponsa.

10 *Dignum dilecto meo ad potandum, labijsque, & dentibus illius ad ruminandũ.*

11 Neque id vobis inurbanum videatur, aut durum, ô puellæ Sionides, si id vobis omnino interdictum esse affirmem. Nam sicut dilectus meus totus est meus, sic etiam fas est, vt quanta ego, qualisque sum, tota sim dilecti mei.

11 *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.*

12 Age ergo, dilecte mi, egrediamur aliquando in agrum & commoremur in villis, &, vt sedulum patremfamilias decet, matutina luce exeamus ad vineam, consideremúsque an vineæ, & mala punica floruerint, an flores spem ostendant secuturi fructus. Ibi experimentum capies, an tota tua sim: ibi enim tibi dabo vbera mea, id est, quidquid in intimis latet præcordijs, tuum esse comperies.

12 *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, cõmoremur in villis. Manè surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiũt, si floruerũt mala punica: ibi dabo tibi vbera mea.*

13 Nimiùm lenti sumus, ô dilecte mi, in mouendo ferculo, quando mandragoræ iam olentes maturitatem indicant amoris, & nuptiarum. Iam quod ad me attinet, feci quod

13 *Mandragoræ dederunt odorem suum. In portis nostris omnia poma, noua, & vetera,*

vetera, dilecte mi, seruaui tibi. ci quod potui. Vt tu nuptiali ritu amplissimis muneribus meas emisti nuptias, sic ego vicissim, sicut olim Lia mariti concubitus, meis mandragoris, id est, mea tenuitate conciliaui tuas. Quidquid habui, id totum palàm in portis tuum esse volui, tam poma noua, quàm vetera, dilecte mi, seruaui tibi.

IN CAPVT SEPTIMVM COMMENTARIVS.

Quid videbis in Sulamite nisi choros, &c.

1. Histor. NON omnes eodem modo distinguũt hæc capita. Quidam ad 6. c. referunt; & c. 7. inchoant ab illis verbis, *Quàm pulchri sunt*, &c. Ita Pagninus, Vatablus, Isidorus clariùs, & alij, vt caput hoc à noua spõsæ laude sumat exordiũ; sed parum in ea re momenti est. Videtur autem commodissimè ita posse distingui, sicut ab aliis communiter, quia hîc continetur propositio eorum, quæ latiùs deinde explicantur, & quæ mirum in modum ostendũnt sponsæ & eximiam venustatem, & quod in fœmina rarum est, fortitudinem singularem. *Chorus* suauitatem indicat, & delicias, siue multitudinem intelligas ad numerosos incessus, saltúsque compositam, siue instrumentum musicum; & id potiùs valet vox Hebr. מחולה *Mecholah*, quia ita oblectat, vt etiam animos instimulet, & accendat; sicut in castris tympanum, aut tuba. Antiqua versio Hispanica reddit *Atabales*. Est autem hîc pulchra quædam antithesis; nam Sulamitis *pacificam* sonat: eam ergo quæ pacem præ se fert terribilem esse, & habere castrorum instar sponsus affirmat: quia ab ipsa vulneratus est. Quare non satis pacificæ nomen cum bellatricis moribus congruit.

Chorus instrumẽtum bellicum ad acuendos animos.

Quin etiam sicut cap. 2. sponsa cecinerat habere sponsum ordinatam, atque instructam charitatis aciem, sic sponsus hîc, vt paria eius commendationi rependat, habere dicit sponsam contra se aciem non dissimilem; vnde etiam proximè illam vocarat terribilem, sicut castrorum aciem ordinatam. Quòd si hæc sponsi verba, non tam ad spõsam, quàm ad puellarum chorum refe

referas, quæ quasi suboffensæ, quòd sibi præponatur Sulamitis, ostendi sibi petunt eius faciem, oratio sponsi deterret illas, ne cum sponsa in contentionem de formæ dignitate, ac pulchritudine descendant: quibus id accidet omnino, quod iis, qui cum exercitu satis ad dimicandum instructo congredi volent.

2. Obserua hic artificium admirabile: quia amantium oculi lusciosi sunt, neque satis fidei facere solet illa, quæ est à vulgaribus amatoribus oratio, ne videretur sponsus hic diuinus, qui se hominum consuetudini, & sensibus accommodat, in ornanda spōsa plus amori tribuere, quàm veritati, iubet vt præsentes suũ quoque ferant de sponsa testimonium. Item quia satis vrbanè laudare non poterat in sponsa externa ornamenta ab ipso comparata, quia suam potiùs laudaret liberalitatem, & officium, quàm sponsæ merita; vt effugeret hoc illiberale, & rusticum commendationis genus, quæ in hoc mystico, ac hieroglyphico Epithalamio multùm momenti habet, puellarum curæ, atq; laudationi permittit. Quare tota fermè hæc scena in commendandis externis ornamētis cōsumitur. Si qua verò propria sunt, & priùs à sponso laudata, illa exprobrant, & noua commendatione cumulant. Exempli gratiâ, dixerat sponsus *collum esse sicut turrim*, addũt ipsæ, *eburneam*; *oculos similes columbis iuxta fluenta*, addunt, *Hesebon*, quia pulcherrima, &c.

Inurbani est sua laudare beneficia.

Allegor. *Quid videbis in Sulamite nisi choros castrorum?*] Summam eorum, quæ in sponsa laudanda sunt, breui sermone complectitur sponsus; & obscurè repetit, quod paulo antè dictum est; nempe pulchram esse sponsam, sicut auroram, & sicut castrorum aciem terribilem. Id enim totum castrorum chori significant, siue instrumentum sit musicum ad acuendos militum animos; quod ad suauitatem aliquid etiam resonat bellicum; siue militaris ordo, qui & terribilis est, quia armis instruitur, & pulcher, quia eo ordine incedit, & ad militarem sonitum ita numerosè, vt terrori, quem hostibus intentat, speciem addat venustatis eximiæ. Talem intuebatur Balaam aciem Israël Numer. cap. 24. *Quàm pulchra, inquit, tabernacula tua, Iacob, & tentoria tua Israël, vt valles nemorosæ, vt horti iuxta fluuios irrigui*, &c. Amat vtique Deus, & laudat non virtutem ignauam, & inertem, si tamen ignaua potest esse virtus; sed constantem, & strenuam, quæ ad venustatem virtuti propriam robur etiam adhibet ita virtuti proprium, vt commune cum illa nomen habeat. Vt autem acies ordinata charitatis, id est, spōsi merita, sponsam vulnerauit cap. 2. sic nunc alia ab sponsa charitas ordinata, id est, alia virtutum, lacrymarúmque terribilis acies sponsi pectus non minùs oppugnat. Porrò in Sulamitide, id est, pacifica, castrorum choros agnoscit sponsus; nam mites, atque humiles potentissimi sunt in Deum; eorum etenim oratio penetrat cœlos. Ecclesi. 35. Et Moysis mansuetudo captiuas fermè habuit diuinas manus. Exod. 32. *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos.*

Virtus nō est ignaua, aut otiosa.

Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis!

3. Historia. VErba hęc esse puellarũ, nemo, credo, dubitabit, qui paulo attētiùs

Filia Principis.

4. Regul. Filius, & filia nomē circumscribunt. Hebræorum more, qui per nomen *filij*, aut *filiæ* aliquid circumloquuntur, *vt filij taurorum, & Prophetarum*, pro *tauris, & Prophetis*; sponsa appellatur filia Principis, id est, Princeps, vel Regina, sicut spōsus Rex appellatur amarorio blandimento. Et sanè quæ Regina dicitur Psalmo 44. *Astitit Regina à dextris tuis*, eadem vocatur Regis filia. *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus.*

Regina sponsę nomen.

5. Allegor. *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis!*] Calceamenta quędam sunt quę pedes ligant potiùs, quàm muniūt, aut expediūt ad cursū; hæc verò plurimùm pulueris, & luti colligunt; quæ deponere iubētur Moyses Exod. 3. & Iosue cap. 5. si modò velint ad Dominum ascendere. Hæc præcipitabant potiùs, quàm ornabant filias Sion. Isai. 3. quibus, quia composito gradu incedebant, *abstulit illis Deus calceamētorum ornamenta.* Per *pedes* autem animæ affectiones intelligi satis notum est; quia sicut illi corpus, sic istę animum quocunque rapiunt. Affectiones istę modò adsint, calceamenta ad rectā Domini viam accōmodata, pulcherrimorum gressuum initia sūt. Hyacinthina verò fuisse verisimile est ex eo Ezechiel. 16. *Calceaui te hyacinthis.* Hæc verò ad cœlum ducunt, quia communem cum cœlo colorem habent. Quia ergo ad Regnum gressum molitur sponsa; *filia Principis*, id est, Regina salutatur à sponso, Regeque cœlorum. Gressus hi pulchri sunt, quia ascensiones disposuerunt ad Deum in Sion, neq; à recto cursu in alia diuerticula deflectūt. Quòd si, vt ex Clemēte Alexandrino suprà dicebamus in cortice, puellarum calcei notam habuēre, aut formas, quibus terræ imprimerent, aut salutationes molles, aut amoris symbola, proculdubio sponsæ gressus fuēre pulcherrimi, in quibus vestigia sunt, & notæ amoris eximij. Quocumque enim spectes, optimæ sponsæ apparent noua in spōsum officia; opera nempe sancta, quæ amoris sancti vestigia sunt.

Affectus sursum excitandi.

In gressibus apparere debent amoris signa.

Aliqui ex Patribus, & in his Ambros. de obitu Valentiniani ideo putant pulchros esse gressus in calceamentis, quia calceamenta, quæ ex mortuorum pellibus fiunt, pedibus subiciuntur. Pulchrè igitur incedit ille, qui veteris, id est, iam mortui hominis affectus calcat. Nam qui supra caput nostrum, aut intra cor ad infima turpiter deprimerent, iidem subiecti pedibus per mortificationem in sublime attollūt. Optimè hoc Augustinus Sermone 3. de Ascensione: *Per vitia, & passiones nostras, si vtique vnusquisque nostrûm subdere ea sibi studeat, ac super ea stare consuescat; ex ipsis sibi gradus construit, eleuabūt nos, si fuerint infra nos. De vitiis nostris scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus.* 6. Affectus humani calcandi.

Alij calceamenta, quæ ex mortuorum pellibus consuta sunt, antiquorum patrum exempla esse putant, in quorum vestigiis pedes nostri perpetuò ponendi, tanquam in calceis. Neque minùs frequenter terenda patrum vestigia imitatione sunt, quàm calceamenta pedibus. Illi ergo gressus & pulchri sunt, & recti, & qui filiam Principis omnino deceant, qui per sanctorum Patrum vestigia fiunt. Ita pene Gregor. S. Tho. Beda. 7. Sanctorū imitatio.

Lubet hîc adscribere, quod nostræ Societatis, imò sui sæculi singulare 8.

ornamentum, & totius Orientis Doctor, atque Apostolus Franciscus Xauerius de calceamentorum gloria scripsit ad Catharinam Lusitaniæ Reginam, cui pro calceamentis, aut socculis magnum auri pondus pensitabat Indica quædam regio. Scripsit enim non minùs lepidè, quàm grauiter, ac piè, multo ipsi fore ad incessum vtilius, & ad dignitatem illustrius, si quæ pedibus subiecisset ad proceritatem, in miserorum vsus, & solatia conuerteret; multo enim melius eleemosyna, & Neophytorum precibus, in quos Christi causa id opis, ac beneficentiæ contulisset, ascensuram in cœlum, quàm progressam Regio illo socculorum incessu. Quod Princeps illa religiosa, ac pia ita omnino præstitit, sicut præscriptum fuerat à Xauerio. Fuit sanè ab antiquissimis iam

9. In Reginarũ calceamenta ciuitates assignatæ.

antè temporibus vsitatum, vt ciuitates pro Reginarum calceamentis grauia interdum tributa penderent. De Syriæ, atque Persidis Regnis tradit Cicero Actione 5. in Verrem. *Solere aiunt barbaros Reges Persarum, ac Syrorum plures vxores habere; iis autem vxoribus ciuitates attribuere hoc modo. Hæc ciuitas mulieri redimiculum præbeat; hæc in collum; hæc in crines*, &c. Quòd illæ ciuitates in calceos etiam, seu sandalia præbuerint, docet non obscurè Herodotus in Euterpe, dum ait à Persis Ægyptios didicisse, vt ciuitas aliqua in Reginæ calceamenta pecuniam erogaret. Sic autem Herodotus. *Harum vrbium Anthyla, quæ est insignis, datur peculiaris in calceamenta vxoris sẽper eius, qui in Ægypto regnat. Quod factum est, ex quo Ægyptus fuit Ditionis Persarum.* Quare verisimile est sponsæ, quæ filia Principis appellatur, calceamenta fuisse pulcherrima, sicut & illarum Reginarum, in quarum sandalia rotæ impendebantur ciuitates.

Vt autem pulchra sunt calceamenta, quæ Domini viam, atque vestigia terunt: sic Domino præcipua quædam cura est, vt calceamenta illa, quàm diutissimè recentia, integráque conseruet. Terebātur, credo, putrescebántque in Ægypto Hebræorum calceamenta, quo tempore Pharaoni subiecti ministerio vilissimo, fingendis nempe ex luto laterculis ignobilem dabant, & sordidam operam: at postquam illam viam ingressi sunt, quæ illos ad promissam à Deo terram deducebat, longo quadraginta annorum spatio calceamenta illorum detrita non sunt. Deut. cap. 29. *Adduxi vos quadraginta annis per desertum, non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt.* 10. Calceamenta in via Domini non detrita.

Iunctura feminum tuorum monilia.

Hic omnes pene de propriis femorum vertebris, seu de tota femorum forma sermonem esse volunt, non quidem improbabiliter; sed in aliam sententiam magis inclinat animus: tum quia in illis non tanta reperitur venustas, vt admodùm faciant ad sponsæ pulchritudinem; tum quia non adeò decens, illa vel sola cogitatione nudare, quæ pudefacerent non sponsam solùm, sed etiam verecundas aliorum aures. Et inter castos, quales fuisse oportet, qui in hoc Dialogo includuntur, hæc abesse debent non à sermone solùm, sed etiam à cogitatione leuissima; maximè, quia hæc 11. Histor.

hæc verba puellarum sunt, quibus, nisi frontem omnino perfricuerunt, nihil est molestius, quàm hæc audire. Quare existimo sermonem hîc esse figuratum: sed quid sibi velit hæc feminum iunctura non facile explicatu est. Mihi certum est, cùm *feminum, vmbilici*, & *ventris* mentio fit, de cultu aliquo externo agi, & quia alia respuerent aures pudicæ, & quia puellæ illa hîc videntur commendare, quæ oculis patent; ideo enim priùs finguntur sponsam contemplatæ, deinde admirabundæ inducuntur laudare, quæ videant; at vidisse quæ hîc dicuntur, propriè, & non figuratè, nemo, credo, sanæ mentis opinabitur.

11. Perisceli-des quid. Cùm in hunc locum inciderem, addubitare cœpi, an per *feminum iuncturas*, periscelides significarentur. Periscelides verò intelligo armillas, seu circulos ex auro, aliáve speciosa materia, quæ infimam cruris partem, quæ pedi coniuncta est, & suffrago dicitur, exornat. Ita Isidorus, & Porphyrio in illud Horatij lib. 1. epistola 18. *Sæpe periscelidem*: & Hieronymus in Isaiam cap. 3. *pedum ornamenta* dicit; & ibi Chaldæus *monilia pedum*: & Tertullianus de cultu fœminarum. Et sanè si aliam cruris partem ornarent periscelides, cùm sub vestibus laterent, ornatus ille prorsus esset otiosus. Quòd verò armillas ad talos adhiberent fœminæ, docet Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædag. cap. 12. quas *talares compedes appellat*; & Ambrosius lib. 1. de Virgin. *Collum catena constringit, pedē compes includit. Nihil refert auro corpus oneretur, an ferro, si ceruix premitur, si grauatur incessus*. Hæc autem ornamenta *armillas* pedum vocat Ouidius lib. 2. Fast.

Fregerat armillas non illa ad brachia factas,
Scindebant magni vincula parua pedes.

Et nostra etiam ætate Orientales fœminæ, maximè apud Turcas; & gens, quæ incolit Philippinas insulas, multùm elegantiæ ponunt in armillis, quas ad talos gestant. Imò & nomen *perisphyrion* indicat illud ornamentum vsitatum ad talos, sicut & *pericarpium* ad manus.

De his pedū armillis nemo, credo, dubitabit: illud tamē durum, atque insolens, *femina* pro *pedibus* vsurpati. Sed neque id inusitatū est apud Latinos; Plautus in Asinaria act. 2. scen. 1. *Vbi ego. Eos asinos prædicas, vetulos, claudos, quibus obtrita ad femina erant vngula*. Et Colum. lib. 6. capite vltimo, vbi agit de mulis suffraginosis. *Femina (inquit) plicari, & interdum inuri solent*. Cicero 1. de natura Deorum, *redundare pedibus, feminibus, cruribus*. Vbi vox *femen* in medio posita docet esse aliquid cruribus inferius. Femen vltima pars cruris

Item vox Hebræa ירך *Ierech*, etsi cōmuniter *femur*, aliquando tamen significat *extremum*, aut *imum*, qualis est in homine pes. Et ita nonulli illud Exodi 25. & 37. de candelabro, pro quo vulgatus reddit, *hastile*, exponunt *pedē*. Heb. ירכה *Ierechah*. Quo etiam nomine significantur qui dicuntur *terræ anguli*, id est, extrema pars, seu termini. Gen. 49. pro quo vulgatus *pertingens vsque ad Sidonem*, Heb. *latera*, vel *limites Sidonis*. Et Ionæ c. 1 *interiora nauis*, Lxx. *carina*, qui locus est maximè demissus in naui. Isai. 14. eadem voce explicat *profundum laci*. Item Ezechiel c. 32. *In nouissimis locis*. Quid ergo mirum, si eadem voce significetur *pes*, qui in homine extrema

pars,& maximè demissa est?

14. Quòd si *iuncturam feminum* sumi quis dicat pro fibulis, fasciis, seu corrigiis, quibus calcei ad talos alligantur, nō, credo, multùm aberrauerit; quia sicut Græcè calceamenta dicuntur ὑποδήματα, & Latinè aliquando *vincula*, quia subligantur pedibus; vnde etiam calceaméta sępe solui dicuntur: ita etiam necesse est aliquæ sint corrigiæ, vel vittæ, quibus calcei pedibus subiecti rursus ad talos alligentur. Has verò esse probabile est, quæ hoc loco dicuntur *iuncturæ*, quæ Hebraicè sunt חמוקי *Chamuke*, id est, *circuitus*, seu *adaptationes*. Et tales sunt illi nexus, qui ita sandalia ad talos aptant, vt eos ambiant, & vinciant. Nisi mauis secundum versum Hebræorum more esse prioris explicationem, ita vt *iuncturæ feminum* idem sint, atque calcei: quia illi ad femina, id est, talos iungebātur; vbi additur prętereà similitudo, quæ nunquā pene in his Cāticis omitti solet, cùm aliquid laudatur. Adde quòd cùm sponsa à pedibus cœpisset laudari, & calceis, apta videbatur commendatio, si ad ea quæ proxima sunt pedibus, progrederetur.

15. Explicatio hæc à nobis tradita alicui fortasse probabitur, qui propriam *femoris* significationem non admittat. Neque mihi displiceret, si paulo fuisset vsitatiuus *femen* pro suffragine, aut infima parte cruris vsurpari. Quare aliam libentiùs amplector, quia expedita magis, & ad institutum accōmodatior; quā sibi credo persuadebit, qui nouerit vsitatum esse, vt ornamenta, & integumenta corporis nomen sibi vendicent earum partium, quas ornant, & tegunt: de quibus latè in Prolegomenis. Est igitur hoc loco *femur* pars illa vestis variæ, atque polymitæ, quæ femora directò velat. Suprà verò cap. 1. ad illud, *murenulas aureas*, obseruatum est, candidæ tunicæ sponsæ in hac Regia traductione addi vestem aliam Phrygio opere illustrem: hanc verisimile est à femore ad imam vsque fimbriam esse discissam antiquo more: illud verò quod diuisum erat, & in speciem apertum, aureis fibulis instar monilium esse coniunctum, & quasi consutum. Fibulæ verò vocātur iuncturæ, seu certè extremæ vestium oræ fibulis astrictæ, quo etiā loquendi genere vsus est Virgil. 12. Æneid.

Femur pro femoris tegumento.

Iunctura idē quod fibula.

---Laterum iuncturas fibula mordet.

Vbi *latera* sumuntur pro illa parte thoracis, quæ integumentum laterum est, sicut hîc *femora* pro femorum operimento. Huius sententiæ videtur esse Abenezra, dum ait, hîc indicari à Salomone, sponsæ femora superinduta fuisse variis monilium generibus.

16. Sed, vt sententiam hanc pene singularem, & nouam aliqua coniectura probem, obserua, sicut inter nos communiter partes vestium apertæ fibulis sericis, aut etiam ex alia materia speciosa astrigmentis colligantur, aut aureis vncinis, aut globulis (de veste discissa, & confibulata docet Philo de vita contemplatiua ad mediū, qui hoc maximè ad elegantiam existimari docet) sic apud Hebręos vestium commissuras armillis, siue annulis aliquando cōiungi. Constat ex illo Iacobi cap. 2. *Si introierit in conuentum vestrum vir aureum annulum habens in veste cādida*, Græcè λαμπρᾷ.i. *illustri, splendida*, vt bene Iansenius in Concordia cap. 141. Vbi annulum non esse in digitis, sed in veste sentit Salmeron, & probat satis Baronius 1. tomo Annal. anno 34. Annulis verò solere con-

constringi vestiũ oras colligitur ex c. Exodi 28. vbi Rationale stringebatur annulis aureis. Et cap. 26. v. 6. circulis aureis cortinarũ vela coniungenda dicit. Sed fauet valdè nostræ sententiæ Iosephus lib. 13. Antiqui. c. 8. vbi dicit auream fibulam ab iis, qui sunt ex Regio sermine, solitam esse gestari. Sed sponsa Regio cultu in his nuptiarũ sacris vtebatur, vt alibi diximus, & ideo Regina dicitur. Huius sententię mihi omnino fuisse videtur Ambrosius Sermone 17. in Psal. 118. qui exponens hunc ipsum locum, vbi pro *iuncturis femorum*, *modulos femorum* cum LXX. legit, modulos esse dicit ornamenta pretiosa, qualia è matronarum ceruicibus suspendi solent, quæ cùm non tam femoribus insint (quid enim femora in propria significatione constringant?) quàm vestimentis, consequens planè est, femora non tam esse quod propriè sonant, quàm femorum integumẽtum.

17. *Femur* verò pro femorum indumento sumi, non est alienum ab Hispanorum sermone, qui partem illam vestium *muslos* vocant, neque, vt puto, ab vsu Scripturæ: nam
Apoc. 19. Apoc. 19. Dominus dicitur *habere in vestimento, & in femore scriptum: Rex Regum*, &c. Græcè pro vestimento ἱμάτιον, quod extima vestis est, quódque à nobis *pallium* dicitur; *femur* verò vestis quædam astrictior femoralis est, aut certè gladius, quod proprium est femoris ornamentum; vnde sæpe in sacra Scriptura *gladius* cum *femore* coniungitur. Hoc ergo ornamentum notatum erat, & inscriptum *Rex Regum*, &c. Est autem verisimile, non ea specie Dominum apparuisse, vt femur ostenderet nudum, compunctũ notis, & stigmate, maximè quia eam speciem obiecit Ioanni, quam præ se solet ferre Dux victor, & expeditus ad pugnam. Vide quæ diximus in illud Zachariæ cap. 5. *volumen volans*. vbi LXX. legunt *falcem volantẽ*: vbi diximus arma inscribi solere. Quomodo vestimenta nomen sumant à parte vestita, vide Prolegomenon octauum.

Est autem hæc feminum iunctura magno sponsæ ornamento, ac honestati; nam in quibusdam aliis nationibus fœminæ tunicas ita habuerunt à femore dissutas, vt in incedendo nuda ostentarent non solùm crura, sed etiam femora. De Lacænis docet Plutarchus in Numa, Clemen. Alex. lib. 2. Pæd. c. 10. Quæ ideo vocatæ sunt φαινομηρίδες, quia cùm tunicæ alæ consutæ non essent, facilè aperiebãt, quod à pudicis velatum oportuit. Et licèt id neget Plutarchus de Romanis suprà; tamen Ouidius de arte amandi non obscurè docet Romanas virgines dissutas à genu habuisse tunicas, licèt super illas palliũ gestare indicet. Quo verò argumento id probari posset, malo id lector à Baifio discat, quàm à me, de re vestiaria cap. 13. Neque ab hac libertate, seu nuditate admodùm cautæ etiam inter Hebræos fœminæ: nam vt LXX. vertunt illud Isai. c. 3. vbi vulgatus habet, *linteamina*, ostenditur illas minùs pudori suo cauisse ab hominum oculis, quàm pudicas deceret. Dicuntur enim habuisse διαφανῆ λακωνικά, id est, *tunicas pellucidas, qualibus nimirum vtebantur Laconicæ virgines*: per quas, vt dicit Basilius in illum locum, spectanda proponebantur, quæ minimè conueniebat virorum oculos intueri. Hæ verò tunicæ consutæ fibulis pudorem sponsæ, & castitatem 18. Vestes à femore discissæ.

ſtitatem operiunt: nam quemadmodum pedes diuidere dicuntur impudicæ, & quæ aliorum libidini facilè obſequuntur; Ezechiel. 16. n. 25. *Diuiſiſti pedes tuos omni transeunti*; ſic habuiſſe femora conſtricta fibulis, inſignis pudicitiæ argumentum eſt.

19. Allegor. *Iunctura feminum tuorum monilia.*] Si hîc periſcelides intelligas, ſeu armillas, quæ partem illam cingunt, quæ extrema crura cum pedibus committit, egregius eſt, & fœminis ſatis accommodatus ſpiritualis ſenſus.

Fœminarū receſſus. Eſt enim fœminarum eximia laus, ſi domi ſe contineant, domeſtica curent, quæ publica ſunt, aut vitēt; aut ſi obire contingat, faciāt inuitæ. Geſtāt ergo ſpōſa periſcelides, vt oſtendat gratā ſibi eſſe quietem, aut receſſum. Virginum ſanè, ac viduarum id eſſe proprium probant ipſa nomina, quæ *clauſtra* ſonant, *ſolitudinem*, & *ſilentium*. Illis enim עלמה *Alamah*, id eſt, *abſcondita*, his verò אלמנה *Almanah*, id eſt, *ſilens*, vel *clauſam*, nomē datū eſt. Illa certè fœmina, quæ minùs famæ, atque pudori conſulit, *garrula* dicitur, *& vaga*, *& quietis impatiens*, Prou. 7.

Si tamen per *iuncturas feminum* intelligas veſte aperta, aut indecorè diſciſſa nudatum non eſſe femur, vt aliis gentibus vſitatum, ſed clauſa, atque confibulata conſtrictum pudicè, ac tectum, oſtenditur eam eſſe

Caſtitatis ſtudium. ſponſam, quæ nulli hominum libidini pateat, quæ integram ſe, ac totam cœleſti ſeruet thalamo. Longè enim eſt, vt pedes diuidere omni tranſeunti velit, quæ ne illos in gradiendo laxet, ſeuerè conſtringit. Laus iſta, inquit Rupertus, vituperationi illi oppoſita eſt, imò & acerbiſſimæ exprobrationi illius, cui dictū eſt Ezechiel. 16. *Diuiſiſti pedes tuos omni tranſeunti; multiplicaſti fornicationes tuas.*

Vmbilicus tuus crater tornatilis.

DE *vmbilico* propriè multi hunc locū interpretantur, in quorū ego ſententiam ſic afficior, vt contrariam multo libentiùs amplectar, quia nihil hic minùs video, quàm quod propriè dicitur *vmbilicus*. 20. Hiſtor. Quare, vt ſuprà *femorum iuncturas* figuratè ſumi diximus, ſic omnino exiſtimo *vmbilicum* figuratè ſumi oportere. Quare obſeruandū, vt integumenta nomen ſumunt à parte, quam tegunt; ſic ornamenta nomen ſumere ab ea parte, quam ornant, vt pluribus oſtēdimus Prolegomeno 8. Sed in *vmbilico* peculiaris eſt ratio: tum quia ab vmbilico in ſignificatione propria nō poterat abeſſe aliquid indecori: tum quia tā à Latinis *vmbilicus*, quàm à Græcis ὀμφαλὸς, ad ſplēdorem, & cultū transferri ſolēt. Et quidē Hebræorū Doctores, vt dicit Genebrardus hîc, & præcipuè Abenezra per Ellipſim putāt deſiderari præpoſitionē (*in*) & ita ſenſum eſſe putant, *in vmbilico*, id eſt, in ea parte ornamenti, quæ eſt ſupra vmbilicum, eſſe craterem, id eſt, gemmā, ſeu laminam ad crateris ſimilitudinem. Nunc verò videndum eſt; quid in ornamentis ſponſæ *vmbilicus* ſit.

Abenezra putat in baltheo ſpōſæ eſſe ſimilitudinē Lunæ, quæ nunquam deficit; neque mihi diſplicet, Vmbilicus ornamenti genus. præſertim cùm fœminæ altè ad vmbilicum cingantur, vt dicit Baſilius in epiſtola de vita ſolitaria ad Gregoriū. Sed fortaſſe aliquid aliud eſt, de quo iam dicam.

Primùm

21. Primùm sicut sponsæ vestis, vt iam antè obseruaui, est hieroglyphica, sic etiam proculdubio vmbilicus crateri similis hieroglyphicus est; & sicut venter (de quo postea) aceruo frumenti comparatus fœcunditatem, sic vmbilicus non indigens poculis munditiem, & castitatem designat. Vmbilicum verò pretiosum quemdam lapidem, aut auream laminam esse puto, sic appellatum, quia in medio eius integumenti, quod venter dicitur, illigatus est, vel quia ad illum vsque locum è collo dependet, quale est, quod à Polluce dicitur καθετὴρ, à Lxx. in cap. 3. Isaiæ κάθεμα. *Vmbilicus* etiam dicitur, quod medium est, & ab Homero *vmbilicus* appellatur bulla, quæ in vmbone clypei eminet, & ab eodem *clypei vmbilicati*, id est, ornati in summo, eo modo, quo venter vmbilico. Vide Cœlium Rhodig. lib. 15. capit. 20. Vel certè vmbilici à figura dicuntur quocunque in loco fuerint, quales erant lapilli, seu conchæ, de quibus Cicero 2. de Oratore. *Lælius* (inquit) *& Scipio ad Caietam conchas, & vmbilicos legebant.* Probabile ergo est, spōsam in suis ornamentis habuisse vmbilicum, id est, pretiosum lapidem, sic vocatum, vel quia illam vestis partem ornabat, quæ vmbilico imminet, vel quia formam habebat vmbilici. Quare sicut ab Homero *clypei*, & à Plinio lib. 13. c. 4. *palmarum fructus vmbilicati* dicuntur, sic hoc loco sponsæ vestis vmbilicata dici posset.

Crater tornatilis.

22. HErba nota est, quæ *vmbilicus Veneris* dicitur, cuius folia in acetabulis formam toreuticè, id est, torni opera elaborata videntur, vt dicit Dioscorides lib. 4. c. 78. quæ & *crater tornatilis* dici potest. Ad huius fortasse similitudinem formatus erat ex gemma, siue ex auro, qui in cultu sponsæ vocatur *vmbilicus*, Hebr. הסהר *Hasahar*, id est, *instar Lunæ rotundatus.* Hinc suspicor *vmbilicum* hîc dici, quæ *Lunula* vocatur Isai. cap. 3. Illam verò, vt docet ibi Hieronym. puellæ gestant ex torquibus ad pectus depēdentem. *Habent* (inquit) *mulieres in Lunæ similitudinem bullas dependentes.* Quas verò ibi interpretatur *bullas*, hic dicit *craterem*; quia illud idem ornamētum instar Lunæ tornatum, secundùm partem concauam crateri, secundùm verò conuexam bullæ simile est.

Non indigens poculis.

23. POcula hîc non significant vas, sed quod in vase potatur, quomodo à Virgilio *Acheloïa pocula* dicuntur. & *damæ timidæ ad pocula venire* Locus est obscurus, & variè potest exponi. Quia fœminis in vmbilico luxuries est, vt ait Gregorius, vt sponsæ castitas, & munditiès ostendatur, vmbilicum gestare dicitur mūdum, non indigentē poculis, id est, lotione, cui videlicet ab alienis amoribus nihil adhæsisset sordium. Fortasse ex ea materia vmbilicus esse significatur, cui nihil adhærescere possit sordium, aut vlla molescere rubigo. Ex quo fit, vt poculis, id est, aqua non indigeat, aut aliqua alia purgatoria vi, quæ sordes illas excoquat, aut eluat, sicut de Phiala quadam cecinit Martialis lib. 8. Epig. 50. de qua propter materiæ nobilitatem ait:

Lutescit nulla caligine fusca, nec odit
Exploratores nubila massa focos.

Vel quia crateri, etsi pulcher sit, ex poculis, id est, mixtione plurimùm accedet venustatis, maximè dum in pellucida materia vinum flauescit. Hic tamen crater, ita vel materia ipsa, vel arte nobilis est, vt à se ipso dignitatem habeat, & splendorem, neque externa egeat, ac fucata commendatione.

24. Allegor. *Vmbilicus tuus crater tornatilis, non indigens poculis.*] Eodem spectat vmbilici laus, nempe vt castitatem sponsæ proponat, & munditiem. Ita Rupertus. In vmbilico fœminis inesse luxuriam dicit Gregorius, & Olympiodorus in illud Iob. 40. *Virtus illius in vmbilico*: & Hieronymus in illud Ezech. 16. *non est præcisus vmbilicus tuus.* Hic verò crater dicitur torno elaboratus; nam quæ torno poliuntur, sic tersa sunt, ac læuia, vt vel nihil illis adhæreat sordium, vel si quid inciderit, facilè detergatur. Sed hic vmbilicus poculis non indiget; quia à quo mundari debeat, nihil habet. Hęc autem vmbilici munditics ex sponsi obseruãtia, atque timore nascitur, & ab illis gressibus, propter quos sponsa *filia Principis* à choro vocata est; Prouerb. 3. *In omnibus viis tuis cogita illum* (sc. Deũ) *& ipse diriget gressus tuos,* &c. *time Deum, & recede à malo, sanitas quippe erit vmbilico tuo.*

25. Abnegatio & terrenorum obliuio. Aliter, & fortasse meliùs cum Theodoreto, & tribus Patribus exponitur locus hic de obliuione, quę eidem sponsæ commendatur Psal. 44. & populi sui, & paternæ domus. Notum est enim, fœtum, dum est in vtero, per vmbilicum trahere alimentum, quo nutritur. Quæ igitur nondum habet præcisum vmbilicum, non dicitur primi alimentorum omnium oblita, neque à materno sinu in alterius complexum abiisse. Quod vitio datur Ezechiel. 16. illi fœminę, quæ in impuro Chananæi sanguinis cœno volutabatur. Laudatur ergo meritò hæc sponsa, quæ vt tota hæreret sponso suo, neque quiquam haberet, quod amorẽ remitteret, nullas in Chananæo solo reliquit stirpis antiquæ fibras; sed vmbilicum, qui fœtum cum matre coniungit, & naturalis cognationis typus est, ita præcidit ad viuum vsque, vt nulla in eo pars omnino esset reliqua, vbi materni sanguinis quicquam lateret. Ideo crateri tornatili similis dicitur, & polito graphicè, & ita puro, vt necesse iam non sit aquis mundari; nam vt in cortice notauimus, pocula hîc non sunt vasa, sed qui in vasis continentur liquores.

Venter tuus, sicut aceruus tritici.

LOcus hic pene expositus est ex his quę diximus c. 5. in illud, *Venter eius eburneus.* Est autem hîc non venter propriè, sed ventris operimentum: dicitur verò *aceruus tritici*, quia in illa quasi area spicarum fasciis, aut cumulus esset descriptus, aut certè frumenti grana iam excussa, ac pura, quæ fœcunditatis symbolum sunt. 26. Histor.

Vallatus liliis.

SIcut suprà cap. 5. diximus sponsæ vbera ideo esse hinnulis caprarum similia, qui inter lilia pascuntur, quia extima illius vestis variis distincta floribus, horti cuiusdam speciem referebant, ex quibus 27.

bus extabant vbera, ficut ex liliis eminebant hœdulorum capita: fic modò area frumenti, id eft, pars illa ornamenti nuptialis, quæ ventrem tegit, liliis vndique vallatur, & clauditur. Neque exiftimo in hoc literali cortice quicquam aliud effe quærendum. Et fanè hîc reperies omnia, quæ in vtero coniugatæ defiderari poffunt, & fœcunditatem, quæ à tritico, & caftitatem, quæ à liliis adumbratur.

28. Allegor. *Venter tuus, ficut aceruus tritici, vallatus liliis.*] Ita caftitas in fponfa laudatur, vt tamen infœcunda non fit. Parit ergo non inanes fructus, & qui tempore, aut deflorefcant, aut puteant, fed nobiles, fed falubres, & qui in longum tempus recondi poffint, quale frumentum eft. Neque tamen hi indecori funt, quia vndique vallati liliis. Aceruus virtutes funt, vt dicit S. Thomas, & Beda: lilia verò quæ aceruum vallant, & coronant; oftendunt virtutes illas plurimùm habere fuauitatis, cùm tamen fine difficultate exerceri non foleant. Siue, vt inquit Theodoretus, quia virtutes optimam de fe fragrantiam emittunt. Sanè illi, quæ fponfa Regis eft, & filia Principis dicitur, non fatis eft, vt ventrem habeat inftar aceruì tritici fœcundum virtutibus; fed neceffe eft, vt oftendat aliorum oculis boni odoris exemplum: debet enim prouidere bona, non folùm coram Deo, fed etiam coram hominibus. Hic verò tam nobilis, atque copiofus partus ventri debetur humili, & ab vmbilici fordibus purgato; in quem tanquam in vallem è montium faftigio, fic è cœlo fœcundus imber defluit: nam *valles abundabunt frumento.* Pfalm. 64. neque mirum, fi in commortuo ventre, mortuum frumenti granum multum fructum afferat.

Virtutes optimam de fe fragrantiam emittit.

Duo vbera, ficut duo hinnuli. Collum tuum, &c.

Locus hic fuprà expofitus: hîc nihil addendum, nifi fponfi iudicium à choro puellarum probari; & idem dicendum de collo turri affimilato. Addunt tamen id, quod de turri Dauidica fponfus tacuerat; turrim eburneam effe, cui candidum fponfæ collum comparari debuit; quæ etiam laus inter profanos vfitata eft. Ouid. epiftola Acontij Cydippes eburneam ceruicem laudat, & 3. Met. eburnea colla Narciffi. 29. Hiftor.

Collum tuum, ficut turris eburnea.] Vide quæ de collo, ac turri dicta funt cap. 4. nunc tantùm addendum id, quod ab ebore laudis habere debet fponfæ collum, fiue in eo Doctores intelligas fiue orationem. Turris hæc effe dicitur eburnea, quia Doctores candidi effe debent morum honeftate, & fortes contra hæreticorum impetus, & infidias. Quibus verò armis Ecclefiam tueri debeant, docet ipfius eboris natura: nam cùm os fit à carnibus omnino nudum, oftendit quod Apoftolus docuit 2. Cor. 10. *arma militiæ noftræ non effe carnalia, fed potentia Deo ad deftructionem munitionum.* Quare oportet, vt mortui fint mundo, & vni viuant Deo. Si ad orationem hæc accommodes, hæc oportet, vt fit fortis, & conftans, quæ non fuccumbat difficultatibus, quibus vehementer op- 30. Allegor.

In Doctore nulla carnis cura.

Oratio pura & constans. pugnari rationem diximus cap. 3. ad illud, *En lectulum Salomonis*; & quæ perstet, donec diuinum expugnet pectus, quod diu luctando perfecit Iacob, Genes. 32. & Moyses Exod. 32. qui armatas Dei manus cohibuit à vindicta. Debuit item esse candida, id est, humilis & modesta, quæque nihil petat, quod ab eburneo sanctitatis nitore alienum sit. Sit item ab anima sancta, quia peccatorum execrabilis est oratio; sit pura ab omni labe, vt Paulus monet 1. ad Timoth. cap. 2. *Volo viros orare in omni loco leuantes puras manus.* Sic denique oratio videri potest turris eburnea.

Oculi tui, sicut piscinæ in Hesebon.

31. Historia. CAp. 5. dictum est vocem Hebraicam עין *Aym, oculum* significare, & *fontem*; quia inter fontem, atque oculum maxima similitudo est. Nunc chorus sponsæ oculos cum piscinis confert, sine dubio puris, atque pellucidis. Sed quæ sint istæ piscinæ in Hesebon, incertum est. Multas esse portas Hierosolymis iuxta quas essent piscinæ; vel quæ à fontibus nomen sumerent, constat ex lib. 2. Esdræ cap. 3. vnde suspicabar hic agi de porta aliqua ciuitatis, vbi essent piscinæ, quibus nomen esset ab Hesebon: quia porta illa Solymitana oppidum illud spectaret, quod cùm esset insigne, & natura loci, & manu egregiè munitum, & Regia sedes olim Seon Regis Amorrhæorum, nil mirum, si portæ ciuitatis nomen daret: sicut vbique pene Gentium portæ ab eo loco nominantur, ad quem ab ipsis exitus est. Illam verò portam, ad quam, vtpote latam, & commodam, cùm concursus populi esset frequens, *filiam multitudinis* vocari existimabam, & in re dubia id mihi probari primum cœpit. Accedebat quòd Ierem. 17. quædam porta vocatur, *filiorum populi*, id est, multitudinis. Quod verò porta illa frequens esset, ostendit quod sequitur, *per quam ingrediuntur Reges Iuda, & egrediuntur.*

Sed veri mihi similius est, sermonem hic esse propriè de vera Hesebon: nam ibi esse portam, quæ dicatur *filia multitudinis*, videtur indicare Ierem. 49. vbi prope Hesebon statuit *Rabbath*, quæ *multitudinem* sonat. Hanc verò habuisse viculos sibi subiectos, qui Scripturæ more dicuntur *filiæ*, constat ex Ieremia suprà. *Vlula*, inquit, *Hesebon, quoniam vastata est Hai: clamate filiæ Rabbath.* Et quidem oppida, quæ pertinent ad Hesebon, filiæ dicuntur Numer. 21. nam vbi vulgatus habet, *Habitauit Israël in Hesebon, & viculis eius*, Hebr. est בנותיה *Benotheah*, id est, *in filiabus eius.* Erat igitur in Hesebon porta, quæ dicebatur *filia multitudinis*, vel quia emittebat homines ad aliquam filiam, id est, vicum Rabbath, id est, *multitudinis*, vel quia secundùm Scripturæ phrasim, ipsa Rabbath, filia multitudinis nominatur. Nã *(filia)* ornatus tantùm gratiâ ponitur frequenter, vt *filij arietum*, *taurorũ*, pro tauris, &c. *filij populi mei*, pro populo meo, Ierem. 4. 32. Porta Hesebon.

Facit ad hæc, quòd Rabbath abundabat aquis, aut certè aquarum bonitate nobilis erat. Habes

ex

ex lib. 1. Reg. cap. 12. vbi Ioab hæc scribit ad Dauid. *Dimicaui aduersus Rabbath, & capienda est vrbs aquarum.* Neque obstat quòd Hesebon longè absit à Ierusalem, atque adeò eius piscinæ ignotæ fuerint Solymitanis virginibus; nam rerum speciosarum gloria, & quæ in explicationem pulcherrimarum rerum adducitur, ignorari non solet. Similitudo verò ex eo ducitur, quòd aquæ illarum piscinarum, quia claræ, & serenæ, vtpote clausæ, quietos, & modestos oculos ostendunt: & quia oculi absconditi sunt intra capillos à fronte pendulos, vel intra demissos à corona ramos (propter quod intrinsecùs suprà cap. 4. latere dicuntur) ab aquis, quæ arboribus vndique septæ, atque conclusæ sunt; obumbrantur, optimè exprimuntur: emicant enim oculi, vibrántque inter capillos, & frondes gratissimum lumen, sicut per ramos piscinis imminentes crystallini liquores interlucere solent.

Hîc ego allusionem esse puto Hebræis familiarem, qui, cùm vox Hebraica duas habet significationes, ita vnam adhibent, quam nimirum res ipsa postulat, vt elegans ad alteram fiat parode, seu allusio. Vnum hîc accipe exemplum, nam plura adduximus ad illud cap. 7.

Iud. 7. *Oculi eius, sicut columbæ.* Iud. cap. 7. quidam ex Madianitis ex pane hordeaceo, qui in castra descendebat Madian, coniectauit instare gladiũ Gedeonis, futurúmque vt eo percussus Madian graui sterneretur clade. Quid magis videtur alienũ ab hordeaceo pane, quàm gladius, & ferrũ? at Madianites ille habuit ex quo nõ ineptè cõiectaret, in *pane* significari gladium; quãdo in Hebraico idiomate commune, aut certè affine nomen est *gladio* & *pani*. Nam à radice לחם *Lacham*, quæ tam *comedere* significat, quàm *pugnare*, deducitur לחם *Lechem* quod *panem* valet, vt constat, & *bellum*, quod gladius figuratè significat, vt habes Iud. 5. num. 8. Vbi enim vulgatus habet, *noua bella elegit Dominus*, Heb. est pro *bello* לחם *Lechem*; quasi diceret coniectator ille Madianites: Panis ille, qui in castra voluitur לחם *Lechem* est, non tamen in obuia significatione, quæ *panem* sonat, sed in ea, quæ *bellum* indicat, & *gladium*.

Cùm ergo vox Hebraica עין *Aijn oculum* significet, & *fontem*, seu *piscinam*, propter illorum maximam similitudinem, optimè, & eleganter puellæ Sionides, cum allusione ad alteram significationem, oculos sponsæ piscinam esse dicunt. Et facit huc, quod Heb. non est, *oculi tui, sicut piscinæ*; sed *oculi tui piscinæ*: quasi dicant, oculi tui piscinæ quædam sunt, vt vox ipsa עין *Aijn* secum importat.

Oculi tui, sicut piscinæ in Hesebon. 34.
Allegor. Per *oculos* contemplationem indicari dicit Theodoretus; item cogitationes. Quod præter ipsam oculorum naturam, docet etiam Hesebonis nomen, quod *cogitationem* sonat, vt docet Hieron. in c. 16. Isaię, & Ambr. in Psal. 118. Serm. 16. Cogitationes ergo animæ sanctæ instar aquarum Hesebon puræ esse debent, & quietæ, non turbidæ, variæ, & inconstantes. Et quamuis illæ aquæ in porta filiæ multitudinis sint; tamen quia piscinarum lateribus hinc inde contentæ sunt, & arboribus circùm dispositis conclusæ, inter populares turbas, & forensem strepitum quietæ sunt, & claræ. Sic sponsæ mens in mediis etiam turbis, si quando ita ferat necessi-

Cogitatio non turbulenta, & varia.

tas, tranquilla esse, neque inconstans, & varia hàc, atque illàc diffluere debet.

Lacrymæ pulchræ. Greg. S. Thom. Beda, & Rupertus Hesebon *cingulum doloris* interpretantur; iuxta quam notationem sponsæ oculi intelligũtur non lasciui, liberi, atque immoderatè hilares, sed mœsti, & lacrymis natantes; maximè in porta filiæ multitudinis, vbi quòd perpetuò doleat, fleántque continentibus lacrymis, nunquam deerit. Magna certè oculorum commendatio est, si non tàm se in liberos, vagósque coniectus explicent, quàm se doloris cingulo, ad deflenda priuata damna, & publica cohibeant.

Nasus tuus, sicut turris Libani.

35. Histor. SVspicari hîc aliquis posset, sermonem non esse de naso propriè, sed de aliquo nasi ornamento, quod ad turris Libani similitudinem esset efformatum. Nasi ornamentum. Ornari autem nasum aliqua gemma, satis ex Scriptura notum. Isai. cap. 3. pro quo vulgatus, *gemma in fronte pendentes*, Ezech. 16. Hebr. *monilia nasi*: & Ezech. cap. 16. *dedi inaurem super os tuum.* Super quem locum dicit Hieronymus; *Vsque hodie inter cætera ornamenta mulierum, solent aurei circuli in os ex fronte pendere, & imminere naribus.* Vide quæ diximus in locum citatum Isaiæ. Sed placet magis hîc agi de naso propriè, & est comparatio non inelegans. Regula. In Scriptura tale aliquid dicitur, quale apparet. Ad quod obseruandum, in Scriptura vsitatum esse, vt talia aliqua vocentur interdum, qualia apparent, & vulgò existimãtur, non qualia reipsa sunt. Quare Ioseph pater dicitur Iesu; & idola vocantur dij: & cùm Cometæ discurrunt, stellæ dicuntur de cælo cadere, & extrema, aut summa pars cælorum sæpe dicitur illa quæ extrema nobis apparet, vt diximus ad illud Isaiæ cap. 13. *A summitate cæli*, quia sic existimantur vulgò. Sic ergo similitudo ducitur non à vera rerum proprietate, atque imagine; sed ab eo, quod prudentium etiam oculis apparet. Fieri autem solet, vt res natura vastissimæ, quæque nullo modo speciem referunt rei alicuius, si eminùs spectentur, videantur pulcherrimæ, & habere rerum aliarum ad viuum expressam imaginem, quæ propiùs spectatæ longissimis spatiis ab earum similitudine recesserunt. Quorum exempla in saxis occurrunt plurima. Quædam vocantur Capreæ iuxta Surrentum, vt tradit Plin. lib. 3. cap. 6. & quæ Scylla dicitur, saxum est in Sicilia; quæ Niobe, saxum in Sypilo: quia earum rerum procul spectantibus speciẽ obiiciunt. Et eo in loco, vbi hæc explicabamus anno 1605. in tractu Carthaginẽsi saxa quędam vasta sunt, atque prærupta, quæ vulgò, *galli crista*, dicuntur; quia eius speciem offeruntiat, si propiùs intueare, nihil magis dissimile. Ea puto de causa sponsæ nasum turri Libani vocari similem, siue sit in vero Libano, siue in pseudo-Libano, id est, in domo saltus Libani, quia illius turris è longinquo prospectæ, id est, è Ierusalem, similitudinem referebat. In eo autem, meo iudicio, inerat similitudo, quia non aliter nasus sponsæ candidus (nam dealbata sæpe dicitur, quæ 1. capit. fusca dicebatur) inter crines, ramósque, qui ex capite ante faciem descendunt, eminet, atque turris illa Libani inter frutices, arborésque aromatiferas, suum candorem, ac

ac fastigium ostentat. Quòd si turris fastigium laminis ex aliqua materia nobili collucentibus constratum est, ad eius formam propè accedit sponsæ nasus, si modò gemmam habeat, quæ ex fronte ad nasum vsque demissa immineat ori.

36. Allegor. Prælatis vigilandum. *Nasus tuus, sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum.*] Nasus prudentiæ, ac sagacitatis symbolum est: quia medius inter aures, & oculos sedet, quasi censor, & iudex eorum, quæ videntur, aut audiuntur. Quidam in *naso* Ecclesiæ Prælatos odorantur, qui ex edito Libani fastigio, quæ imminent à Damasco, pericula præuident, ac summouent. Ita Greg. S. Thom. & Beda. Sed si de qualibet seorsum anima sermo sit, nasus prudentia est, & in obscuris, dubiisque discretio. Hæc turris è Libano Damascum prospectat: quia prudentia vera, quæ virtus est, id agit, vt omne quod à Damasco panditur malum, procul repellat. Damascus mystice quid. Damascus autem id est, quo maximè nititur diaboli potentia, & fraus. Syriæ enim, quæ populum Dei diuturno, & graui fatigauit bello, caput est Damascus. Isai. 7. *Caput Syriæ Damascus.* Ab eo ergo capite bellorum consilia, & acies ad bellandum instructæ prodierunt. Damascus autem, quamuis significet, quicquid bellum infert spiritui, sed maximè, si nominis notationem obserues, carnis symbolum est; sonat enim aut *sanguinis potum*, quia (vt dixit Hieronymus super cap. 27. Ezech.) ibi terra bibit sanguinem Abel: vel *sanguinis osculum*, id est, carnis amorem, & blandimenta; quo nihil aptiùs propriæ voluntatis naturam explicare potest. Facit ad hanc sententiam, quòd Damascus *vrbs lætitiæ* dicitur Ierem. 49. & *domus voluptatis* Amos ca. 1.

Contra huiusmodi Damascum respexit sponsi Iesu nasus ex Libano, id est, ex matris suæ puro, ac niueo sinu, quia *antequam sciret puer vocare patrem, & matrem* (id est priusquam in illam ætatem adolesceret, in qua pueri alij communiter parentes appellant, vt putant communiter Interpretes) *abstulit fortitudinem Damasci.* Isai. cap. 8. Húc respicere debet sponsæ prudentia, vt quam sponsi Iesu tenera adhuc manus arcem subuertit, hanc in animo ipsius nulla inimicorum potentia, aut sagacitas instauret. Damascum autem dico, quidquid à sanguine rubescit, aut à carne fœtet. Id odoratu sentit, atque discernit sponsæ nasus; húc incumbit prudentia; insidias præuidet, easque maturo consilio occupat, & eludit. 37. Christus carni, & sanguini bellum indicit.

Non longè ab hac sententia recessère, qui in *naso* discretionem accipiunt, quia hæc non procul abest à prudentia. Ita putat Theodoretus, & tres Patres apud ipsum, quæ aptè cum turri, quæ in Libano est contra Damasci varios motus, & occultas insidias comparatur. Quam altam fuisse oportet, & in montium fastigiis eleuatam, vt specularí posset, quæ hostilis meditatur calliditas. Ex quo duo colligo, quæ maximè veræ discretionis naturam declarant. Primum, vt qui discretionis virtutem habere vult, quàm longè se à terrenis curis sublimem attollat. Nam si humanarum rerum studio, aut amore capiatur, de variis motibus, qui animum sollicitant, & vexant, iudicare sine erroris periculo non potest: vt enim oculi à puluere, sic mens à terrenarum rerum studio, atque amore cæcatur. Terræ etenim inter 38. Discretio quid. Quid discretioni necessarium.

tas, tranquilla esse, neque inconstans, & varia hàc, atque illàc diffluere debet.

Lacrymæ pulchræ. Greg. S. Thom. Beda, & Rupertus Hesebon *cingulum doloris* interpretantur; iuxta quam notationem sponsæ oculi intelligũtur non lasciui, liberi, atque immoderatè hilares, sed mœsti, & lacrymis natantes; maximè in porta filiæ multitudinis, vbi quòd perpetuò doleāt, fleántque continentibus lacrymis, nunquam deerit. Magna certè oculorum commendatio est, si non tàm se in liberos, vagósque conie&tus explicent, quàm se doloris cingulo, ad deflenda priuata damna, & publica cohibeant.

Nasus tuus, sicut turris Libani.

35. Histor. SVspicari hìc aliquis posset, sermonem non esse de naso propriè, sed de aliquo nasi ornamento, quod ad turris Libani similitudinem esset efformatum. Nasi ornamentum. Ornari autem nasum aliqua gemma, satis ex Scriptura notum. Isai. cap. 3. pro quo vulgatus, *gemma in fronte pendentes*, Ezech. 16. Hebr. *monilia nasi*: & Ezech. cap. 16. *dedi inaurem super os tuum.* Super quem locum dicit Hieronymus; *Vsque hodie inter cætera ornamenta mulierum, solent aurei circuli in os ex fronte pendere, & imminere naribus.* Vide quæ diximus in locum citatum Isaiæ. Sed placet magis hìc agi de naso propriè, & est comparatio non inelegans. Regula. In Scriptura tale aliquid dicitur, quale apparet. Ad quod obseruandum, in Scriptura vsitatum esse, vt talia aliquā vocentur interdum, qualia apparent, & vulgò existimātur, non qualia reipsa sunt. Quare Ioseph pater dicitur Iesu; & idola vocantur dij: & cùm Cometæ discurrunt, stellæ dicuntur de cœlo cadere, & extrema, aut summa pars cœlorum sæpe dicitur illa quæ extrema nobis apparet, vt diximus ad illud Isaiæ cap. 13. *A summitate cœli*, quia sic existimantur vulgò. Sic ergo similitudo ducitur non à vera rerum proprietate, atque imagine; sed ab eo, quod prudentium etiam oculis apparet. Fieri autem solet, vt res natura vastissimæ, quæque nullo modo speciem referunt rei alicuius, si eminùs spectentur, videantur pulcherrimæ, & habere rerum aliarum ad viuum expressam imaginem, quæ propiùs spectatæ longissimis spatiis ab earum similitudine recesserunt. Quorum exempla in saxis occurrunt plurima. Quædam vocantur Capreæ iuxta Surrentum, vt tradit Plin. lib. 3. cap. 6. & quæ Scylla dicitur, saxum est in Sicilia; quæ Niobe, saxum in Sypilo: quia eārum rerum procul spectantibus speciē obiiciunt. Et eo in loco, vbi hæc explicabamus anno 1605. in tractu Carthaginēsi saxa quędam vasta sunt, atque prærupta, quæ vulgò, *galli crista*, dicuntur; quia eius speciem offerunt: at, si propiùs intueare, nihil magis dissimile. Ea puto de causa sponsæ nasum turri Libani vocari similem, siue sit in vero Libano, siue in pseudo-Libano, id est, in domo saltus Libani, quia illius turris è longinquo prospectæ, id est, è Ierusalem, similitudinem referebat. In eo autem, meo iudicio, inerat similitudo, quia non aliter nasus sponsæ candidus (nam dealbata sæpe dicitur, quæ 1. capit. fusca dicebatur) inter crines, ramósque, qui ex capite ante faciem descendunt, eminet, atque turris illa Libani inter frutices, arborésque aromatiferas, suum candorem, ac

ac fastigium ostentat. Quòd si turris fastigium laminis ex aliqua materia nobili collucentibus constratum est, ad eius formam propè accedit sponsæ nasus, si modò gemmam habeat, quæ ex fronte ad nasum vsque demissa imminet ori.

36. Allegor. Prælatis vigilandum.

Nasus tuus, sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum.] Nasus prudentiæ, ac sagacitatis symbolum est: quia medius inter aures, & oculos sedet, quasi censor, & iudex eorum, quæ videntur, aut audiuntur. Quidam in *naso* Ecclesiæ Prælatos odorantur, qui ex edito Libani fastigio, quæ imminent à Damasco, pericula præuident, ac summouent. Ita Greg. S. Thom. & Beda. Sed si de qualibet seorsum anima sermo sit, nasus prudentia est, & in obscuris, dubiisque discretio. Hæc turris è Libano Damascum prospectat: quia prudentia vera, quæ virtus est, id agit, vt omne quod à Damasco panditur malum, procul repellat. Damascus autem id est, quo maximè nititur diaboli potentia, & fraus.

Damascus mystice quid.

Syriæ enim, quæ populum Dei diuturno, & graui fatigauit bello, caput est Damascus. Isai. 2. *Caput Syriæ Damascus.* Ab eo ergo capite bellorum consilia, & acies ad bellandum instructæ prodierunt. Damascus autem, quamuis significet, quicquid bellum infert spiritui, sed maximè, si nominis notationem obserues, carnis symbolum est; sonat enim aut *sanguinis potum*, quia (vt dixit Hieronymus super cap. 27. Ezech.) ibi terra bibit sanguinem Abel: vel *sanguinis osculum*, id est, carnis amorem, & blandimenta; quo nihil aptiùs propriæ voluntatis naturam explicare potest. Facit ad hanc sententiam, quòd Damascus *vrbs lætitiæ* dicitur Ierem. 49. & *domus voluptatis* Amos ca. 1.

37. Christus carni, & sanguini bellum indicit.

Contra huiusmodi Damascum respexit sponsi Iesu nasus ex Libano, id est, ex matris suæ puro, ac niueo sinu, quia *antequam sciret puer vocare patrem, & matrem* (id est priusquam in illam ætatem adolesceret, in qua pueri alii communiter parentes appellant, vt putant communiter Interpretes) *abstulit fortitudinem Damasci.* Isai. cap. 8. Húc respicere debet sponsæ prudentia, vt quam sponsi Iesu tenera adhuc manus arcem subuertit, hanc in animo ipsius nulla inimicorum potentia, aut sagacitas instauret. Damascum autem dico, quidquid a sanguine rubescit, aut à carne fœtet. Id odoratu sentit, atque discernit sponsæ nasus; húc incumbit prudentia; insidias præuidet, easque maturo consilio occupat, & eludit.

38. Discretio quid.

Non longè ab hac sententia recessêre, qui in *naso* discretionem accipiunt, quia hæc non procul abest à prudentia. Ita putat Theodoretus, & tres Patres apud ipsum, quæ aptè cum turri, quæ in Libano est contra Damasci varios motus, & occultas insidias comparatur. Quam altam fuisse oportet, & in montium fastigiis eleuatam, vt specularì posset, quæ hostilis meditatur calliditas. Ex quo duo colligo, quæ maximè veræ discretionis naturam declarant.

Quid discretioni necessarium.

Primum, vt qui discretionis virtutem habere vult, quàm longè se à terrenis curis sublimem attollat. Nam si humanarum rerum studio, aut amore capiatur, de variis motibus, qui animum sollicitant, & vexant, iudicare sine erroris periculo non potest: vt enim oculi à puluere, sic mens à terrenarum rerum studio, atque amore cæcatur. Terræ etenim inter

terposita moles, vt oculis aspectum, sic etiam menti iudicandi, ac discernendi facultatem eripit.

39. Alterum est, vt sicut excelsæ turris profundum debet esse fundamentum, sic etiam discretionis: eius verò fundamentum humilitatem dixit esse Moyses apud Cassianum collat.2.cap.10. *Vera*, inquit, *discretio non nisi vera humilitate acquiritur*. Eius verò ratio ea est, quia adest humilibus Deus, & de sua luce lucem illis impertitur diuinæ similem. Superbis verò suo magno merito negat; neque illorum prudentia, si tamen vlla est, potest non esse futilis, & obscura. Quis enim putet inesse prudentiam illi, siue perspicaces ad speculandum oculos, qui in rebus vanissimis pondus, & in exiguis molem videt ingentem? Atqui hic est superbus, qui in rebus leuissimis, non tam sibi placeret, nisi magnas illas, & magno studio, atque conatu quærendas esse statuisset. Quare superbus stulto, ac stolido multo vilior, atque stolidior est, vt est communis Patrum sensus, & clamor. Vide Chrysost. Homel.39. ad populum, quem vnũ hîc adducam pro multis. *Stultum esse melius est, quàm insolentem; illic enim stultitia tantùm est, mentisque tarditas: hîc autem stultitia peior est, & fatuitas cum furore*. Et statim: *Ex amentia hoc vitium nascitur: non potest esse superbus, qui fatuus non sit*. Vide tu reliqua.

In humilitate vera discretio.

40. Vt autem canis odoratu indagat, & insectatur prædam, sic quæ homini pro naso data discretio est, odoratur longè, secernitque à vero veteratorium, & fallax, ab inani, & futili, quod solidum, atque pretiosum est. Cùm verò in Angelum lucis nequam se, & tenebricosus spiritus transformet, & occultas insidias tacitè moliatur, & vitia sint interdum grauissima, quæ speciẽ maximarum videntur habere virtutum, id proprium est discretionis, quæ ex turri, quæ in Libano sita est cõtra Damascum speculatur, odorari quid à virtute, & quid à vitiis sit; ne dum à Ierusalem præsidium adesse existimatur, exitium potiùs sit à Damasco profectum. Vide Cassianum collat.2. & Bernardum Sermone 49. in Cant.

Discretio veteratoria discernit.

Ex hoc loco Bernardus Serm.4. super *Salue Regina*, probat ab omni macula etiam originali immunem fuisse Virginem. Eius accipe verba, quæ eiusmodi sunt, vt nihil dici posse vidatur minùs obscurè. *Tu ego* (ô B. Virgo) *nasus Ecclesiæ similis es turri, celsa videlicet dignitate, firma grauitate. Turris es Libani. Libanus mons, qui dicitur dealbatio, albam præ omnibus signat innocentiam tuam. Innocens fuisti ab originalibus, & ab actualibus peccatis. Nemo ita præter te: vnde auctoritas Augustini, cùm de peccatis agitur, nullam de B. Maria volumus fieri mentionem. Ex eo enim maiorem credimus ei collatam virtutem ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ concipere, & parere meruit eum, qui nullum habuit peccatum. Ex omni, inquit, parte, hoc est, ex parte originalis, & ex parte actualis peccati. Ea ergo sola excepta, cæteri omnes quid dicere possunt, nisi quod ait Apostolus Ioannes: si dixerimus quòd peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est? Ego quoque pia fide opinor, in vtero matris tuæ ab originalibus te absolutam peccatis: nec vana est fides, nec opinio falsa.*

Caput

Caput tuum, vt Carmelus.

41. Histor. CAp. 5. laudatum fuit & naturale capitis ornamentum, sponsi nempe caries, & quod ab arte, & industria quæsitũ, scilicet corona ex floribus, aut ex aureis foliis, seu lemniscis; vnde capillus dicitur niger, caput verò aurũ optimum; sic nunc caput sponsæ laudatur. i. capitis ornamentum; & deinde capilli. Quòd Caput pro corona. verò caput corona sit, probat, &c, quod suprà notauimus, ornamentũ habere interdũ nomẽ eius rei, quam ornat, & textus Hebr. qui addit, *ad caput tuum*, עליך *Alaych*. i. *super te*, vt legit Theodoretus, Vatablus, Pagninus, & Septuaginta. Quod esset planè otiosum, si de naturali capite sermo esset. Et hoc omnino putant Doctores Hebręorũ, Abenezra, & Rab. Dauid, de quibus statim, & Rab. Salomon, qui in *capite* intelligit aliquod phylacterium legis. De quo suprà ad illud, *Vmbilicus tuus*. Caput ergo sicut Carmelus est; quia & sublime, & floribus, ramísque suauibus vernans. Quod vtrumq; eximium est in Carmelo, neque aliunde petendam esse similitud nẽ puto. Quidam Carmelum hîc montem esse negant; & censent esse puniceũ colorẽ, ita vt laudetur quoddam capitis redimiculum purpureum. Ita Abenezra, Kimhi, vt etiam vertit Pagninus. Sed licèt *Carmel* colorem illum significet, non tamẽ plus decoris capiti adderet, quàm corona è floribus, ac ramis contexa, propter quam Carmelo monti simile vocatur.

42. Allegor. Quarum rerum esse debeat meditatio. *Caput tuum, vt Carmelus.*] Notum est, Carmelum Prophetarum esse domiciliũ, in quod, dũ secedere vellent à turba, longa otia, neque tamẽ otiosa conferebant. Vacabant enim contemplationi, ac Deo, & humanarum rerum curis vacuam mẽtem cœlestibus implebant cogitationibus. Optimè ergo spõsę caput Carmelo cõparatur: quia in eo sunt meditationes sanctę, studia Prophetica, neque à sęculo in illam sanctarũ cogitationum officinam aliquid receptum habet.

Quòd si Carmelus, vt vult Greg. Theodoretus, S. Thom. & Beda significat *scientiam circuncisionis*, pulchrum sanè est sponsę caput, quia plenum est nõ inflantis scientię, sed eius, quę docet inania circumcidere, & quę aspirantem animum ad cœlestia retardãt. Si tamen Carmelum cum aliis interpretẽre *agnum circumcisum*; non potest ornari venustiùs sponsa, quàm si in capite Christum circuncisum agnum assiduè gestet; qui in eius ore spiret, loquatur lingua, per oculos videat, odoretur per nasum, haud sanè dubiũ, quin cõtra Damascũ, in sensus omnes influat, aut ab eo potiùs sensus omnes fluãt. Circuncisum agnum gestabat Paulus in capite cùm 1. Cor. 2. profitebatur *nihil se scire, nisi Iesum Christũ, & hunc crucifixum*. Ex hac cogitatione circuncisionis, vt docent tres Patres, didicit sponsa nasum suum intendere contra Damascum. 43. Assidua Passionis Christi meditatio.

Coma capitis tui, sicut purpura Regis iuncta canalibus.

OBscuritatẽ afferunt huic loco nõ exiguã variæ Interpretum translationes. Communiter capilli sponsę intelliguntur rubere, atque nitere nõ secus, ac Regia purpura. i. nobilissima, nõ vsu trita, sed recẽs, & primũ ex tinctoriis vasculis extracta, quę florẽ adhuc, & nitorẽ primũ illibatũ seruat. Neq; refert siue *vinctam* legas cum quibusdam, siue *iunctam* cum aliis, quia sensus idem 44. Histor.

est. Vincta verò dicitur, quia adhuc sub infectore est, vltimam eius manum & operam expectans; sicut cõtrà absolutum dicitur id, quod perfectum iam est, & alligatum esse desiit artificis operæ. Porrò, quia quod Regum vsui seruit, id & pulchrum est, & pretiosum (vnde Regum deliciæ, i. maximæ, Genes. 49. *Præbebit delicias Regibus*, & *Regum mammillas*. i. delicata, Isai. 1.) ideo Regis purpuræ comparatur sponsæ cæsaries, id est, pretiosæ purpuræ.

Regiũ dicitur pretiosum quodque.

45. Alia sese mihi offerebat huius loci sententia, non inepta fortasse; timeo, ne nouitas illi damno sit. Capilli Regis purpuræ, id est, splendẽti similes dicuntur, quia & ipsi fului sunt, sicut purpura, & aureis quibusdam, siue argenteis tenuis illigantur; non secus atque Regiæ tunicæ splendentibus fasciis, aut rectis, aut transuersis ornari solent. Quòd verò capilli, maximè fœminarum vittis quibusdam nodentur, & colligantur, docuerunt Doctores Hebrei illi, qui צמה *Tsamah* significare censuerunt *fascias*, quibus illigantur crines. Vide cap. 4. ad illud, *Absque eo, quod intrinsecùs latet*. Certè apud externos puellarum capiti maximũ ornamentum est à crinalibus vittis. Æneid. 4.

Crines auro illigati.

——crines nodantur in aurum.

Et lib. 10.

——crines molli subnectit circulus auro.

Et 4 rursus Æneid. & floribus ornari dicuntur Apollinis crines, & auro implicari, quod nos hîc sponsæ crinibus accidisse dicimus:

————mollique fluentem
Fronde premit crinem fingens, atque implicat auro.

Sed quòd fasciis etiam aureis, siue argenteis ornentur tunicæ, seu assutis, seu textilibus, apud externos frequens. Virg. 4. Æneid. de Tyria læna,

——tenui telas discreuerat auro.

Et lib. 5. Met. Ouid.

Indutus Tyriam clamydem, quam limbus obibat.
Aureus.——

Et Statius lib. 10. Theb.

——variis vbi plurima floret
Purpura picta modis, mixtóque incenditur auro.

Vnde etiam *virgatæ vestes*, & *virgata auro* sępius dicuntur. An verò pretiosæ vestes hoc modo virgis, seu fasciis distinctæ fuerint apud Hebræos, minùs certum; sed fuisse verisimilius, maximè Salomonis tempore, in quo ea erat auri copia, vt etiam aureis ramentis capilli aspergerentur, vt tradit Iosephus lib. 8. c. 7. De sponsa quidẽ affirmat Dauid Psal. 44. vbi *sponsa astitisse* dicitur *à dextris sponsi in vestitu deaurato, & in fimbriis aureis*. Neque est verisimile, eiusmodi nitorẽ defuisse sponso. Et vestẽ Herodis Regiã ex argento collucere solitam docet idem Iosephus lib. 19. Antiquit. cap. 8. Itẽ vestes.

46. Superest vt ostendamus, *canalium* nomine aureas, siue argenteas tenias significari, quod non videtur difficilem habere translationẽ. Quid enim magis exprimat collucentem illum argenteæ lineę, siue fasciæ cãdorẽ, quã canalis, siue cãdicans aquę puræ riuulus? Et quidem, si *funiculus argenteus*, qui *in senibus rumpitur*, Eccles. cap. vlt. lotium significat (illud quippe salientium in morẽ continẽti filo emittitur, quod tamẽ tunc rumpitur, quando vel guttatim cadit, vel modicis internallis inciditur, vt accidit senibus cùm dysuria laborant, vel alias ob causas, quas cõnumerare necesse non est) si fluxus ille continens vrinæ argenteus funiculus appellatur; cur vicissim contrà argenteus ille funiculus, vel aureus, qui purpuram illigat, & ornat ordine siue scutulato, siue virgato,

Fasciæ canales dictæ.

Eccl vlt.

gato, non dicetur canalis? *Canalis* verò per metonymiam sumitur pro riuulo, vel aquula, quæ per illũ decurrit. Adde, quòd apud Hebræos auri, argentiue nitella, quæ torques, verbi gratiâ, exornat, & illuminat, *gutta* vocatur Isai. cap. 3. nam vbi vulgatus habet *torques, & monilia*, Hebr. est נטפה *Netiphah*, quod *guttatum* sonat, seu *instructum bullis quibusdam*, seu *torulis argenteis*, aut certè *margaritis*. A quo loquendi genere non abhorrent Latini: nã Martialis lib. 5. Epig. 104. *guttatam* vocat *gallinam Numidicam*, id est, maculis quibusdam distinctam candentibus. Cùm ergo *riuulus*, seu *canalis* nihil sit aliud, quàm guttæ cõtinenter in longitudinem coniunctæ; sanè si argenti nitellæ, aut bullæ guttę dicuntur, quid obstat, quominus argenteę fascię, quę ex multis argenti nitellis componuntur, canales, seu riuuli nominentur?

47. Accedit quòd vox Hebr. רהטים *Rehatim* pro qua vulgatus *canalis*, à radice deducitur, quę *currere* significat, & ita Septuaginta vertunt παραδρομαῖς, i. *in transcursibus*, quod valdè nostrã sententiã iuuat: nam optimè fascię dicuntur currere. Virg. lib 5. Æneid. de clamyde aurata inquit,

----quam plurima circum
Purpura Mæandro duplici Melibœa cucurrit.

Et Tibull. lib. 1. Eleg. 3. tenias vocat vias.

Illa gerat vestes tenues, quas fœmina Coa
Texuit auratas disposuitque vias.

Ab eadẽ radice, & forma significantur trabes illæ tenuiores, quæ inter magnas, quę tigna dicuntur, statuũtur. Ita Rab. Salomõ, & Kimhi, & alij explicãt illud Cant. 1. *Laquearia nostra cupressina*. Sed trabes illę exiles, quę trãsuersim iniectæ tabulata consternunt, satis exprimunt collucẽtes fascias, quæ Regiã purpurã transuersæ prætexunt. Adde his, quòd vox Heb. רהטים *Rehatim*, nõ significat *liquorẽ in vase conclusum*, sed *currentem*: at illa purpura, quæ tingitur, in vase infectorio est, non in riuis, vel canalibus, per quos tinctorius ille succus decurrit. Quare *canalis* hic nõ ad infectoriã officinam pertinet, sed ad Phrygionicã. Hanc explicationẽ indicat Rab. Salomon, qui hoc loco רהטים *ligamenta* interpretatur. Accepi etiã à Rabbino quodã doctissimo, in Thalmud. c. 3. de Agno Paschali, argẽteas fascias vocari רהטי הכסף *Rahate haChesephi*. i. *argẽteos canales*. Estque satis venusta trãslatio.

Quòd si ita distinguas; legásq; sicut Septuaginta; *Coma capitis tui, sicut purpura, Rex ligatus in trãscursibus*, quod valdè cũ Hebraico textu consentit, vbi *purpura* in statu syntactico nõ est, necesse planè est, vt ita interpretẽre. Nã vbi quis ligatus est, vincula sint oportet. Rex tunc. i. sponsus rectè ligatus dicitur canalibus, vittis nimirum illis, quibus capilli nodati, atque inflexi sunt; nisi malis *canales*, seu *trãscursus* intelligere illos capillorũ sinus, ac flexus, qui vndarũ more sinuantur. Sed nõ hæc satis explicat vox *transcursus*, qua vsi sunt Septuaginta. Significat verò aptissimè *vittas*, nõ quæ à summo purpuræ tunicæ descẽdunt, sed quæ illam transuersim ambiunt; neq; aliter à vittis ligantur fœminarum capilli. 48.

Non procul ab hac sententia abit Theodoretus, qui sponsæ comã similem esse dicit Regi purpura induto, quæ plicaturas habet, & strias canalibus nõ dissimiles. Idem sentit Titelmanus, quæ sententia nõ displicet Michaëli Ghislerio. Sed nostra explicatio multo magis implet, & expedit textum, quę canales addit, & vincula Regiæ purpuræ. 49.

Coma capitis tui, sicut purpura Regis, Allegor. 50.

iuncta canalibus.] Quia spōsæ caput scientiā habet circuncisionis, cōsequēs est, vt capilli, id est, affectus, & cogitationes similes sint purpuræ. i. madeāt sanguine, nō alio, quàm qui ex illa mystica circuncisione profluit; aut si mauis, quo stillāt Christi vulnera, faciūtq; instar Regiæ purpuræ rubescere spōsæ desideria: nam etiā agnū circuncisum gestari diximus in sponsæ capite. Vt enim in Physicis cogitatio id, quod est conceptū, fingit, & quodā modo animat ad rei cogitatæ similitudinē, & exēplar, vt Genes. 30. oues Iacobi iunctæ canalibus versicolores fœtus enixę sunt, quia decorticatas virgas, & versicolores intuebātur: sic spōsa quæ à Dei amore, atq; timore concipit, dū purpureā Christi tunicam, id est, humanitatē bis, & sæpius tinctā, vibicibus variā, & verè virgatā fustibus contēplatur, affectus parit similes sponso suo, aut infectos sanguine, aut in eo natantes, quia nunquā à canalibus recedunt purpurariis; & virgis etiā varios, ne quid desit ad prototypi speciē: talē enim in se gerit imaginē, qualē in suo sponso purpurato videt. Porrò in purpura, infectoriisque vasculis Christi Passionem intelligi docent S. Thom. Rupertus, & Beda.

Anima à cogitatione de Christo concipit.

51. Ambr. Homil. 17. in Psal. 118. pulchrā spōsę coronā agnoscit in crinibus instar purpuræ rubentibus, & Christi sanguine, quē in meditatione haurit, & bibit, assiduè stillātibus: Illā verò coronā Regiam appellat, quæq; illā cū regio spōso splendere facit. *Ipsa* (inquit) *tanquā benemerita Regina Christi sanguine coronatur, sicut scriptū est* (hoc nēpe loco iuxta Septuaginta versionem, quomodo legit Ambrosius, nā alij aliter legunt) *& ornatus capitis tui, sicut purpura. Sanguis Christi purpura est, quæ inficit Sāctorū animas, nō solum colore splēdēs, sed etiam potestate, quia Reges facit.*

Sponsa Christi qua iter coronata.

52. Si *canales* esse dicas tenias illas, quæ spōsæ capillos cohibēt, ne vēto, aut motu capitis dissipati temerè inuolitēt, fasciæ illæ indicāt, cogitationes spōsę sic esse diuinis rebus cōtēplandis alligatas, vt ab spōso nunquā abeāt. Fasciæ verò illæ argēteæ sunt, aut aureæ, & ideo nomē sumpserunt à collucētibus aquarū riuulis; quia cōstātiùs aliquis vulneratæ humanitati Christi, & quasi leprosę contēplationē alligat, quia ibi etiā Diuinitatē agnoscit, quæ id facit in anima pia, & tātæ liberalitati grata, vt amet plurimū Christi amorē. Et cogitationes de Diuinitate, quæ aureæ sunt, nō sinunt mentē à purpurea Christi humanitate diuelli, sicut & hęc nūquā à Diuinitate seperatur.

A meditatione nunquam cessandū.

53. Si verò cū Septuaginta legas, *Rex ligatus in canalibus*, seu *transcursibus*, sensus erit ad mores accōmodatissimus: nā capilli nō peregrino medicamēto fucati, sed Christi cruore fului, & illæ fascię, quæ cogitationes ad alia distrahi nō sinunt, vt tres Patres apud Theodoretū accipiunt, Regē ipsum ligāt, non inuitū. Quomodo enim mitissimū spōsi animū nō capiāt, ac teneāt desideria, quæ ad ipsū vnū aspirāt? quomodo nō ligēt illa vincula, quibus suas cogitationes spōsa fidelis ita continuit, vt omnē sibi, nisi de spōso cogitādi facultatē præciderit? O ergo felicia Religiosorū. i. religatorum vincula; quibus animi motus, atque studia ligarunt, ne à Deo delapsa, abeant in diuersa: sibi enim, nisi rumpantur vincula, Christum ligant, tāquam sponsum, & Regem omnino suum!

Sāctæ cogitationes Deū alliciunt.

Quàm pulchra es, &c.

54. ADhuc adolescentularū sermo est, non spōsi, vt quibusdā placuit; nā quæ præcesserūt, sine dubio ad

Histor.

ad illas pertinent; præsertim si cum Septuaginta legas, *Rex ligatus in canalibus* nã hæc ab alio, quã ab sponso dici, non est obscurũ: & ex consequentibus aliqua sponso conuenire non possunt. Neque contrà pugnat nomẽ, *charissima*, quia vt puellis charissima non sit, ab illis tamen charissima sponso suo dici potuit, vel omnibus amabilis.

Ex verbo, *in deliciis*, coniectura sumi potest non leuis, superiorem sermonem non tam propriè de sponsæ membris, quàm figuratè de membrorum externo cultu, & tegumento fieri. Nam deliciæ non dicuntur naturalis pulchritudo, corporis firmitas, &c. sed quæ foris ad pulchritudinẽ adhibētur, & quorum studio capiuntur fœminæ, quæ ideo dicuntur delicatæ. Quamuis enim Latina vox, *deliciæ, & delicatus* oblectamentũ significet, & molle, voluptariúmque vitæ genus; vtraque tamen plerumque valet non tam, quod à natura pulchrum est, quàm quod ab arte, vel cura foris ascitum. Et dum sponsa hîc pulchra, & decora dicitur in deliciis, quis credet *deliciarũ* nomine contineri collum, oculos, nasum, &c. Continentur ergo calcei, vittæ, ventris, vmbilici, & femorum ornamenta; nam præter hæc non apparẽt vllæ aliæ, quæ dici possint propriè deliciç. Et sanè cap. 8. cùm sponsa dicitur deliciis affluens, & innixa super dilectum suum, de iisdem deliciis sermo est, quibus nunc dicitur esse decora; at nemo dicet illam affluere oculis, collo, &c.

Cæterùm Hebr. pro, *charissima*, est *charitas*; quæ epitasin habet, vt communiter abstractæ voces, quãdo pro concretis vsurpantur. Septuaginta, *facta est charitas in deliciis tuis*. i. tota es amabilis; quia ea tibi sunt in deliciis, quæ & ipsa amabilia sunt. Accõmodat autẽ hîc diuinus Psaltes puellis Sioniis id, quod fœminis maximè in votis, & amoribus est; amãt enim, & admirantur ornamenta illa, quæ in mundo muliebri cõtinentur, qualia sunt, quæ hîc commemorantur.

Quàm pulchra es, & decora charissima, in deliciis!] Cùm puellç Sionides, id est, Angeli sponsum viderent saucium amore Sulamitidis, ligatúmq; capillotũ. i. sanctarum cogitationum nexibus, ipsámq; abundare deliciis, quæ pudici pectoris, & amãtis animi signa sunt, qualia in pedibus, capite, & toto corpore splendere diximus, pulchro quodã epiphonemate summam dictorum comprehendunt, dũ dicunt, prudenter illã quæsisse delicias, quibus decora sponso videatur: amat. n. castissimus sponsus modestos oculos, & pudicos, suffusos pudore, ac lacrymis, cogitationes castas, quæ à sponso ne recedant, seuerissimam sibi legem indixerunt. Hçc sponsus probat, ab his trahitur; cætera ornamenta tanquam aliena, & peregrina respuit. 55. Allegor.

Statura tua assimilata est palmæ.

Sicut suprà c. 5. sponsus, vt cedrus esse dicitur, quia ex Aristotele proceritas pars est pulchritudinis; sic etiã nũc à corporis proceritate, & rectitudine sponsa laudatur, & similis dicitur esse palmæ: neque enim minor fœminis, quàm viris à proceritate laus. Vnde Ouidius arbiter, spectatórque formarum elegantissimus, fœminas commendat à sublimitate; lib. 14. Metamor. de Galatea: 56. Fœminæ a proceritate commendatç.

——longa procerior alno.

Et rursus,

——platano conspectior alta.

Et Nausicaës ab Hom. libr. 2. Odyss. & ibidẽ Dianæ magnitudo corporis in partẽ pulchritudinis assumitur. Quem imitatus est Virg. Æneid. 1. &

Ouid.l.3.Metam.de Diana. Est autem comparatio elegans cum palma, quia & recta est; & quod in ipsa est extremum, capiti persimile; vnde alibi sponsæ coma cum palmarum elate composita. Ex his mihi sese aperit sensus illius loci Isa. 3. vbi filiæ Sion dicuntur *eleuatæ, & ambulasse extenso collo:* Nam quò viderétur magis proceræ, subijciebant sibi cothurnos, erigebant collum, & turrito, atque ædificato capite ad staturam suam cubitum adijcere nitebantur.

57. Allegor. Vir sanctus totus ad cœlum aspirat. *Statura tua assimilata est palmæ.*] Si cogitationes sponsæ de cœlo sunt, atque inde suum quasi succum, atq; alimentum trahunt, aptè similitudinem palmæ habere dicuntur, quæ sursum attollit sese, & cùm stirpe, pro tanta mole, ad terram exili sit, quo altiùs assurgit, contra aliarum arborum naturam crassescit magis, ita vt non tam è terra per radices ali, quàm per summas frondes è cœlo augeri videatur. Ideo sponsæ statura palmæ similis est, in qua cœlestia aucta atque robusta; terrena verò ita exigua, atque infirma sunt, vt nisi quod in terra sit, è terra nihil habere existimari possit. Accedit, quòd quo maiori pondere externa plerumque vi deorsum deprimitur, eo maiori nixu se sursum attollit; ac si è supernis vis aliqua potentior caperet. Sanctus altiùs erigitur, quo deprimitur magis. Huius rei nobile testimonium præbet sponsa, quæ cùm graui premeretur pondere, quo à studio quærendi sponsi retardari posset, magis tamen erigebatur animus, séque in eam curam excitabat ardentiùs. An non pondus erat puellari pudori nocturnus exitus? custodum occursus? armata manus? &, quod in eo genere grauius est, sponsi fuga? Vicit tamen tanti ponderis pressum palmæ huius excelsior natura; neque vnquam magis in aduersum erecta. Neque dissimile est illud Iob. cap. 29. qui tanquam nobilis palma tot laborum, ac plagarum ponderi non succubuit; imò in illo suo sterquilinio, tanquam in nidulo, moriturum se clamabat, & instar palmæ multiplicandos esse dies. Adde his quòd, vt docet Plinius lib. 13. cap. 4. palma frugifera non est nisi in solo feruido, nitroso, aut salso, id est, in mortificatione; & ideo videtur proceritate sua cœlum appetere, víxque humi radicibus niti; quia ibi nihil inuenit non insulsum.

Et vbera tua botris.

58. Histor. LAudabant puellæ in sponsa, vt diximus, quæ oculis spectabant; quare alicui videri poterat minùs esse ex dignitate ac pudore castæ, & pudicæ fœminæ, si vbera ita gestet nuda, vt à curiosis oculis videri possint. Quomodo verò hîc nihil sit indecorum, docuimus suprà Prolegomeno 8. & cap. 4. ad illud, *Duo vbera tua.*

Abenezra putat botros esse vitis, quæ maritata palmæ, ad eius vsque cacumen attollitur, ex qua deinde racemi perquàm bellè dependent. Cuius sententiam alij etiam sequuntur; sed verisimilius est, hîc agi de botris, id est spathalis ipsius palmæ, qui non minùs vberum speciem referunt, quàm qui sunt à vite: imò, si colorem spectes, multo aptiùs; neque apud vllum authorem inuenio ad palmarum radices satas esse vites; neque præterea apparet, quomodo ascendere possint ad summum vsq; palmæ, cùm in trunco rami non sint vlli, quos amplexæ clauiculis tanquam manibus sursum enitantur. Neque admodùm contra hos pugnat,

gnat, quòd infrà de botris vineæ agitur; nam hîc de colore, & forma sermo est; ibi de suauitate & succo, qui ab vuis omnium suauissimus exprimitur: & ideo suprà vbera cum vino comparata sunt. Quòd si ideo censeas botros esse vitis, quæ maritata palmæ ad eius vsque fastigium ascẽdit, quia hîc vineæ botri cum palma coniunguntur, *Et erunt vbera tua, sicut botri vineæ*; eodem etiam modo diceres, malum cõiunctam esse cum palma, & eius implicatam complexui; quia statim eodem filo dicitur, *& odor oris tui, sicut odor malorum.*

Allegor. *Et vbera tua botris.*] Hi botri, qui hausto è supernis alimento creuerunt, æstu calamitatum iam maturi, & graui pondere in torculari compressi, lætificant cor sponsi. Quæ verò sint ista vbera suprà c. 4. dictum est; & statim de illis nonnihil.

Dixi: ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius.

59. Histor. QVidam hæc verba sponsi esse dicunt; quia illi vni licere putant in suam sibi possessionem venire, & in palmam ascendere. Item, quia si puellarum hæc esset oratio, *ascendemus* vtique dixissent, non, *ascendam*, in singulari: sed puellarum potiùs sermonem esse puto; quod vt credam, facit Cantici ipsius honestas, quæ non patitur illa à sponso dici, quæ aliquid mollius sonant, atque intemperantius. Possunt tamen eadem ab iis honestè dici, quibus sexus communis est. Neque apparet quomodo, quod statim sequitur, *Dignum dilecto meo*, &c. sponso conueniat. Et ita placet Genebrardo, & aliis. Neque in oppositum vrgẽt rationes allatæ; neque enim turpe est, aut inusitatum simili vti oratione his, quæ cùm eiusdem sint sexus, ab amplexibus, & osculis non sit ad alium voluptatis vsum vlterior via. Quòd si Iob famuli tanti viri authoritate retardari non potuerunt, quominus dicerẽt propter amoris abũdantiam; *Quis det de carnibus eius, vt saturemur?* (quod natum esse ex amoris casti, & tanto viro debiti quadam impotentia docent Olympiodorus, & Chrysostom. in Matth. Homil 83. & 1. Cor. cap. 10. Homil. 25. S. Thom. Lyra, & alij, quod etiam Hispanica phrasis admittit: nã cùm aliquis alium ardenter amat, suam illam, siue impotentiam, siue insaniam sic explicat, *Querria comer mele à bocados*) si serui, inquam, dominum, eundémque Regem, in quem non tam inflammatur amor, quàm excitatur obseruantia, illi velle se dicunt amplectendo, exosculando, atque adeò vorando carnes (id enim totum valet *saturari carnibus eius*) adhærere, atque vniri, idque ducitur laudi, quanto id magis ferendum in adolescentulis in coæuam sibi puellam, dum eius laudi, atque studio indulgent?

Adde, quòd vox Heb. סנסן *Sagsin*, prò qua vulgatus, *fructus* reddit, *ramos* etiam significat, vt communiter alij à vulgato. Vnde Septuaginta reddunt *cacumina*, Aquila *elatas*, alij *altitudines*, quibus optimè ornamenta capitis explicantur, quorum amãtes puellæ, quasi nouæ nuptæ tantam gloriam inuideant, velle se dicunt ascendere, vt redimicula illa, quæ per ramos figuratè significantur, ad suum sibi cultum arripiant. Porrò verbum *ascendendi* magis accommodatum est puellarũ choro, quàm sponso; illæ enim hæc ex inferiori 60.
loco

loco cātabant; hic verò eodem cum sponsa curru vehebatur. Quare non erat, quòd ad eam ascenderet, quam suo secum iam fouebat amplexu.

Regul. Numero plurali verbum adiungitur singulare. Quòd verò chorus puellarum numero vsus fuerit singulari, nihil habet insitatum & nouum: solet. n. chorus apud externos cùm è multis constet, ita loqui singulariter, quasi vnus esset. Aristophanes in Pluto act. 2. cùm priùs pluraliter loquutus esset chorus; postea dicit singulariter; *valdè lætor, & delector, & volo tripudiare.* Et act. 4. *Dicis mihi gaudium*, &c. Et Seneca in Thyeste act. 2.

Obscuro positus loco leni perfruar otio.

A singulari numero transitus ad pluralem, & contrà. Quòd si hoc apud alios minùs esset in vsu, apud Hebræos tamen valdè frequens, quibus familiaris est à singulari numero ad pluralem, & contrà commutatio; vt docuit Greg. lib. 26. Mor. cap. 10. in illud Iob. 35. *Clamabunt, & eiulabunt: non dixit vbi est Deus: pro non dixerunt.* Ad Galat. 6. *Qui spirituales estis huiusmodi instruite, considerans te ipsum, ne & tu tēteris*; & Deut. 29. reperitur sæpius hæc forma loquendi.

61. Allegor. *Dixi: ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius.*] Diximus suprà, verba hęc puellarum esse, non sponsi; quæ ostendunt tam placere sibi sponsæ ornamēta, quę ex capite, tanquam è palmæ cacumine dependent, vt illa tractare manu, atque exosculari vellent. Sunt sanè hæc quæ à nobis connumerantur, Angelicis, ac piis hominum mentibus ita pulchra, & desiderabilia, vt in illa, si humano more loqui licet, quasi impotentes ferantur; quia cœleste aliquid olent, ac diuinum, quale ipsis pabulum, & oblectamentum est. Neque mirum si tam ament Hierosolymitanæ virgines, id est, Angelicæ mentes, quod Hirosolymitano Regi suo, id est, Christo tam esse in amoribus, atque in deliciis sentiunt.

Et erunt vbera tua, sicut botri vineæ.

Sponsi vbera, item sponsæ suprà, assimilata vino: illud idem nunc fatetur chorus, dum à botris vineæ vberum suauitatem, atque speciem sumit. Histor.

Et odor oris tui, sicut odor malorum.

Heb. אפך *Aphecha*, idest, *nasi tui*, vt vertunt Septuaginta, & alij ferme omnes; sed quia hìc de halitu sermo est, qui per os, & nasum exspiratur, parum refert siue hoc, siue illo modo interpretēte. Vulgarus videtur legisse פך *Pich.* Et sanè anhelitus, qui à naso est, aliquid habet indecori, & inurbani, pręsertim in illa munditie, atque elegantia nuptiali. De anhelitus suauitate pluribus alibi dictum est. 62.

Guttur tuum, sicut vinum optimum.

Hebr. חך *Chech, guttur*, significat, & *palatum.* Abenezra hìc saliuam intelligit, quę *palati* nomine explicatur, quia in palato continetur. Existimo hìc iterari à puellis, quod dictum est à sponso cap. 4. *Fauus distillans labia tua*, &c. nisi quòd hìc pro melle, & lacte, vinum positum est. Vide locum. Vel certè eadem sentētia aliis verbis explicatur iterū à choro; 63

à choro; quia non video, quid in ore, siue gutture pomorum odori, & vino optimo comparari possit prçter halitum. Est autem vsitatum, vt quç maximè placent, aliter, atque aliter explicentur. Vide cap. 6. ad illud, *Capilli tui.*

64. *Et erunt vbera tua, sicut botri vineæ, & odor oris tui,* &c.] Appositè ad hominum sensus Angeli docent, quãtùm voluptatis capiant ex sponsæ virtutibus. Vbi enim hominibus aliquid vehementer placet, excitate solent omnes voluptarios sensus ad capiendum ex eo multiplicem vsum. Ideo oculos pascunt Angeli proceritate palmæ: gustandi item, atque odorandi sensum, alterum botrorum dulcedine, alterum pomorum, & optimi vini suauitate: sed ori sponsæ odorem attribuunt, quia nihil inhalat, nisi quod sanctum, & purum est, didicit enim pretiosum à vili separare, & ideo os habuit quasi diuinum. *Si separaueris pretiosum à vili, quasi os meum eris,* ait Dominus Ierem. 15. Ille pretiosum à vili separat, qui id agit, vt à peccatorum sordibus homines ad pietatis studium, Deique gratiam adducat; qui à terrenis mentem, & linguam auocat, neque quicquam præter cœlestia meditatur: qui spõsi nomen identidem ingeminat, & spirat. Nam qui terrena, & carnis blandimenta, impurásque delicias, non tam loquitur, quàm obscœnè ructat, illi grauis est, & fœtidus oris anhelitus, & sepulchri instar obtinet, ex quo teter exhalatur, & molestus fœtor. De detractore, cui in ore sunt aliorum vitia, & longum de virtutibus silentium, hoc dixit Bernardus in Sermone quodam de detractione. *De alieno*, inquit, *malo non inquinet os tuum: ab inquinato autem ore quid expectes, præter grauem, & fœtentem anhelitum?* Et de superbo idem scribitur Eccles. cap. 11. *Sicut eructant præcordia fœtentium*, &c. *ita cor superborum*. Sanè halitus oris grauiter fœtet, qui magis est à corrupta carne, quàm à viuificante spiritu. Corruptus sermo videtur esse sermo ille, qui Spiritum sanctum contristat; ad Ephes. cap. 4. fortasse lasciuus, & impurus; nam vbi vulgatus, *Omnis sermo malus ab ore vestro non procedat*, Græcè est, σαπρὸς, id est, *corruptus, putridus*, & *fœtidus*. Hinc discent, qui Angelorum in terris munus obeunt, si pronubi esse volunt, si conciliare cum sponso fugitiuam sponsam, aut nouam adducere ad Christi thalamum, quàm ex sponsæ pulchritudine lætãdum, quàm ex sponsi gaudio gaudẽdum, quàm ex nuptiali hoc plausu plaudendũ sibi, atque triumphandũ sit.

Allegor. Angelis hominũ virtutibus delectantur.

Dignum dilecto meo ad potandum.

Locus hic nodum habet non facilè explicabilem; neque enim facilè intelligas, cui verba hæc attribuenda, sponsæne, an virginum choro? Abenezra virginum esse putat, qui sponsæ cantum inchoati censet ab eo; *Ego dilecto meo.* Neque illud *meo*, contrà facit, non quia singulare; nam proximè ostensum est, neque à choris, neque ab Hebræorum vsu esse alienum: non quia *suum* appellant dilectum, nam ab adolescentulis sponsum diligi, sponsa statim 1. cap. dixerat, *ideo adolescentulæ dilexerunt te nimis.* Et sanè si cum LXX. pro eo, quod vulgatus habet, *labijsque, & dentibus illius,* legas, *labijs meis, & dentibus*, ita sine dubio dicendum esset. Et si sicut habet textus Hebraicus, legas, *vi-* Histor.

G. Sanctij Comm. in Cant. Qq

num faciens loqui labia dormientium, non deceret modestam, & pudicam virginē, talem laudē arrogare sibi.

Sed quia cum vulgato legēdum est in tertia persona, *labiisque, & dentibus illius*, aptiùs multo hinc orditur sponsa canticum suum; cuius ea sententia est; optare sibi frustra puellas Sionides id, quod vel ab ore, vel ab vberibus suauitatis est, quia id totum, si tale est, quale ab ipsis existimatur, sponso debetur vni, vt eo iterum, atque sæpius regustato sitim suam amatoriam expleat. Vnde aptè concludit; *Ego dilecto meo*, quod etiam sentit Abenezra; Ego, inquit, sum dilecti mei solius, & non vestra. Neque existimo in hac diuersitate quicquam afferri posse magis expeditum, & facile.

Ad potandum.

65. Vini optimi descriptio. HEbr. *Vadens dilecto meo in rectitudinem*; quæ optimi vini periphrasis est, quod rectà ingreditur, & blandè: nam quod austerum est, & durum, cum fastidio, & tarditate bibitur. Eodem loquendi genere vsus est Salomon Prouerb. 23. *Ne intuearis vinum*, &c. *ingreditur blandè*; Heb. *in rectitudinibus*, id est, rectà, & sine offensione. Quibus verbis sponsa fateretur se omnia suo sponso consecrasse, quæ ad illum feruntur vltrò, via adeò recta, vt ad aliorum vsum, seu voluptatem non flectantur.

Labiisque, & dentibus ad ruminandum.

66. ITa vinum illud, seu id, quod *vini* nomine explicatur, sponso suo proprium dicit Sulamitis, vt suo iure possit non semel, atque iterum, sed arbitratu suo quàm sæpissimè, & quàm diutissimè ruminare, id est, regustare, se nullo modo repugnante. Ruminare autem proprium ciborum est, qui cùm suaues sunt, vt longiori voluptate afficiant palatum, in ore diu continentur, & reuersantur ab iis, qui gulæ ac ventri dediti, eiusmodi voluptatem venantur. A cibis ad potum translata vox est. Heb. *faciens loqui labia dormientium*, id est, ebrietatem inducens. Vinum enim generosum, & forte, licèt molle videatur, & blādè influat, turbare tamen mentes solet, & somnum faciens, aut alienationem somno non dissimilem, disertos facit, & eloquentes eos, qui sermonis imperiti, imò qui elingues sunt. Iuxta hanc Hebræorum lectionem libentiùs verba hæc tribuerem puellis, quàm sponsæ. Sed non est recedendum à vulgato.

Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.

67. Côiugum mutuus amor, & officia. HIc locus suprà à nobis expositus cap. 2. est enim idē quod ibi; *Dilectus meus mihi, & ego illi*: vbi noster *conuersio*, Hebr. תשוקה *Tesukah*, quæ vox Genes. 3. explicat subiectionem illam, qua fœmina est sub viri potestate; vt vertit vulgatus, pro quo Septuaginta vertunt, *& ad virum conuersio tua*. alij, *desiderium tuum*. Iuxta has omnes explicationes assumi potest hic locus, & ita sensus erit: Sicut ille me spectat vnā, cuius studio seruit; sicut omnia mea causa vult, sicut totus meus est; sic ego illi vicissim seruio, ad eum meas cogitationes, votàque conuerto, ex eius sermone, & nutu tota, atque omnino pendeo. Quare durum vobis

vobis non sit, ô filiæ Ierusalem, si id quod à me vobis optabatis, non obtinueritis.

Videtur autem illud (*&*) sumi posse etiam causaliter, quod sæpe in Scriptura solet, in hunc sensum: Ego ad dilectum meum totã me cõuerto, quia ipse quoque ad me conuersus est. Quasi respondere sponso velit, qui in fine cap. 6. dixit, *Reuertere Sulamitis, vt intueamur te*, iuxta illum sensum, quem ex quorumdam Patrum sententia secundùm allegoriam adduximus. Tunc verò prius se sponsus ad sponsam conuerterat, cùm illam ad se conuerti iubet, quia, vt ibi ex aliorum sensu diximus, sponsam admonet, vt illud à se procul abiiciat, quod mysticos amplexus arcet, & retardat.

68. Iuxta posteriorem hanc cogitationem, gratus sponsæ significatur animus, qui respondere studet in amore sponso tam molliter amanti, quemadmodum vinea quæ maturos, atq; opportunos fructus refert cultori suo; non verò aut immaturas vuas, aut fœtentes, quod fecit illa vinea, de qua Isai. cap. 5. Sponsam autem appellari *vineam*, non obscurè Isaias eo loco significat, vt nos ibi pluribus. Vinea verò, quæ postquam imbres hausit è cœlo; & à vinitore sedulo exculta nihil agricolæ rependit præter spinas, & vepres, reproba est, & maledicto proxima; ad Heb. cap. 6. Hanc verò similitudinem adduxit, aut huic proximam Arist. lib. 8. Ethic. cap. 1. cùm agit de communicatione rerum, qualis esse debet inter coniuges, qui vt amore inter se, sic etiam officiis certare debent. Vbi etiam addit aliquid, quod vtriusque coniugis naturam mirificè declarat, ex Euripide, qui naturale esse putat, vt quemadmodum terra arida, & sitiens imbrem appetit, sic etiam imber in terræ sinum influere desideret, vt ex ipso terra grauidata cõcipiat. Vt autem è cœli situ concipit terra, sic anima è diuino coniugio: neque minùs Deus cœlestem fœtum in anima gignere, quàm à Deo anima fœtum illum concipere desiderat. Accipe versus, quos ex Euripide adducit Aristoteles.

Cùm est sicca tellus, ipsa certè tunc imbrem amat:
Cùm turget æther, imbre cùm cœlum tumet,
Affectat vt telluris in sinus cadat.

Dignum dilecto meo ad potandum.] Hinc iam incipit sponsæ cantus, quæ si quid in se pulchrum, atque iucundum habet, totum se id debere sponso affirmat, & eius vsui, ac voluptati seruari. Cur verò id totum debeat sponso, quod instar generosi vini poculentum est, docet: quia sponsus vicissim totum se ipsum & comedendum, & bibendum propinauit. Ego, inquit, dilecto meo me, qualis, & quanta sum, totam mancipio do, illum vnum aspicio, quia ad me ille totum se conuertit; totum se mihi vsui, ac propè dixerim, mancipio dedit. In hanc sententiam plura diximus ad illud cap. 2. *Dilectus meus mihi*. Inde pete. 69. Allegor.

Veni, dilecti mi, egrediamur in agros.

SE, suáque omnia sponso Sulamitis promiserat; sed quia certum aliquod amoris, & coniugalis obsequij documentum dare in ea tot stipantium turba pudicam non decebat, in agrum, & solitudinem promissam fidem, & testimonium conicit. Vt enim diuinus sponsus 70. Histor.

ad cor sponsæ loquitur in solitudinem deductæ, id est, extra turbam, sic sponsa casta extra turbas vrbanas, domesticásque curas sine impedimento, & arbitris sponso se totam liberiùs impendit. Illud verò, *veni*. Scripturæ more pro interiectione sumitur, quæ aliquem vrget, & ad opus vocat, qualis est, *eia, agedum*, & similia. Cæterùm in vineam, & solitudinem euocat, vel quia horti, & vineæ amantibus opportuna; vel quia nullum præter sponsum spectare vult, cuius ad eum tota conuersio est. Pro *villis*, Heb. כפרים *Chepharim* id est, *cypretа*; ex quo confirmatur magis, quod suprà docuimus cap. 1. vineam, de qua hîc sæpius sermo est, cypris consitam esse potiùs, quàm vitibus. Neque enim vinea, quam videre cupit sponsa, an floruerit, alia videtur esse, quàm quæ suprà dicitur odorem dedisse.

Vinea pro cypreto.

71. Allegor. *Veni, dilecte mi, egrediamur in agros, commoremur in villis, manè surgamus.*] Amat diuinus sponsus solitudinem à turba, & foro, vbi cœlestes delicias in vacuum sponsæ sinum effundat. *Ducam*, inquit Oseæ 2. *eam ad solitudinem, & loquar ad cor eius. Solitudinem* intelligunt Patres communiter separatum orationi locum, aut ipsum orationis otium, cui vacat anima seorsum ab aliis curarum æstibus. Ibi anima fouetur in sponsi sinu, ab eo concipit casta desideria; ibi dat vbera, id est, viscera, quæ spiritu suo impleat fœcundissimus sponsus. Ideo tantopere vult sponsa prodire in vineas, & in villis commorari. Exprimit verò opportunum orationi locum, quia secessum appetit; & tempus, quia matutinum otium designat, vt ab eo tempore sponsi amoris, atque officiorum memor, totum diem cum illo familiariter ponat. Ideo enim primum diei tempus orationi tribuitur, vt totus deinde dies per orationem Domino consecretur.

Secessus aptus orationi.

Manè surgamus ad vineas, &c. ibi dabo tibi vbera mea.

Vineæ, atque horti verno maximè tempore in deliciis sunt; matutina verò temperies, cùm calor grauior esse cœpit, opportuna est. Vtrumque sponsa desiderat cùm matutinum tempus ponere in agris studet: ibi dantur vbera, id est, viscera, vel animus, quorũ vbera accommodatum est symbolum, & illis Hebr. pene commune cum amore nomen. Aptissimè verò hîc à sponsa offerũtur vbera, quia paulo antè audierat botris esse similia, qui vitium, atque palmarum fructus sunt. Vt enim vitis domino suo floret, botrósque fundit, sic sponsa pro botris vbera, & quidquid habere potest fructuum sponso suo, ac domino tanquam vitis non aliena producit. Ad hunc locum videtur Dominus allusisse Isai. 5. & Ier. 2. quando vitis aliena, aut nihil dicitur reddidisse, aut certè labruscas immaturas. Non sic sponsa, quæ botros, id est, viscera nõ acerba, & cruda, sed matura, & mollia libens offert. Hîc obserua, Hebræorũ more imperatiuũ sumi pro futuro tã in *egrediamur*, quàm in *surgamus*. Quare non tã spõsa nunc in agros vocat, quàm indicat, vbi vetum sit in agrũ, & solitudinẽ, daturã se vbera, id est, ostensurã se vel occultissimos animi sui motus, vel daturã se cor: nõ quòd antea non dederit; sed quia dari antea cordis signa clarissima editura sit; vulgato Scripturæ more, 72. Hillor.

more, in qua tunc aliquid fieri dicitur, quando factum esse ostenditur.

73. Cùm autem sponsus in his sacris Rex dicatur, & sponsa Regina, allusum videtur ad Regium more. Nam, vt Iosephus tradit lib. 8. Antiquit. cap. 7. Salomon eo fortasse tẽpore quo hæc scripsit Cantica, vt ab vrbano fastidio aberrationem quæreret, sub Solis ortum in agrum se, & rusticas delicias abducebat. *Curru inquit, manè vectari delectabatur in prædium nomine Hetan hortis, & inductis fontibus amœnum.*

Si flores fructus parturiunt.

74. SEptuaginta legunt ἤνθησεν κυπρισμός, quod nomen à Septuaginta innouatum, sicut alia multa, ad explicandum opinor cypretum illud esse potiùs, quàm vineam. Quid enim cyprisino commune cum vitibus?

Allegor. Oratio ex plorat animi statu. *Videamus si floruit vinea.*] Hoc est præcipuum orationis opus, videre an vinea floreat, an flores fructum parturiant, id est, quis fiat in virtute progressus; qualis sit animæ cultus; an ita floreat, vt nullos pariat, vel promittat fructus, flore nimirũ ante suum partum immaturè languente. Id enim agit oratio, vt statum animæ ad amussim exploret, videatque, an fructus cœlesti sponso digni ex eo sperari possint.

Ibi dabo tibi vbera mea.

75. Histor. SIcut *pectus* pro corde sumitur, & visceribus propter vicinitatem (vnde pectus dicitur doctum, triste, cupidum, & in eo seruari odia) sic etiam vbera, quibus *pectoris* etiam nomẽ indidimus, pro corde, atque visceribus sumi durum non est. Et quidem eo sensu Iudas Apostolus, qui Thadæus sæpe dicitur in Euangelio, Matth. cap. 10. vocatur Lebbæus, vt habent Græca exemplaria, & legit sine dubio Hieronymus, qui in nominibus Hebraicis explicuit eius nominis notationem; ait enim Lebbæum à corde dici, quod Hebr. dicitur לב *Leb*; sed super cap. 3. Marci, Thadæum significare dicit *cordi. custodẽ.* Sed תד *Tad*, vnde Thadęus vocatur, *vbera* significat, seu *papillam* Chaldaicè. Ex quo planè fit, vt *vbera* cor etiam significent. Neque nouum est in Scriptura, vt aliquis duo habeat nomina eiusdem significationis, diuersi tamen idiomatis: nam Thomas Hebraicè, Græcè Didymus dicitur: & Act. 11. Thabita Hebr. Græcè vocatur Dorcas, & Simon, Hebr. Chananæus, Græcè Zelotes, eodem omnes sensu. Sic etiam Iudas Thadæus Chaldaicè à תד *Tad*, *papilla*, & Lebbæus Hebr. à לב *Leb*, *corde*, eodem sensu dicitur. Neque placet illorum sententia, qui Thadæum, à ידה *Iadah* deducunt; nam præter Hieronymi authoritatem; obstat nominis forma: dicendum enim esset Thoddæus, & ita etiam existimat Angelus Caninius tract. de aliquot locis noui Testamenti. Erit ergo expositio, meo iudicio, non aliena, maximè cum ab his Cãticis omnis turpitudinis species, atque suspicio remouenda sit, si his verbis sponsa promittat nihil, quod in animo habeat, neque leuissimas cogitationes, ac motus sponso suo celatum iri, quod veri amoris, ac fidei testimonium est. Id quod præstabit facilè, vbi absint arbitri, quos arcanæ mentis conscios habere nõ vult. Quod præstari sibi à sponso vicissim cupit cap. 8. Quando scilicet

Iudas Thadæus dicitur & Lebbæus, & cur.

Vbera idẽ quod cor.

Regula. Eidem rei diuersa nomina iuxta varia idiomata.

ventum fuerit ad cubiculum genitricis; *ibi*, inquit, *me docebis*, scilicet cogitationes tuas, vt nonnulli explicant, hoc est, dabis pectus tuum; sicut ego tibi nunc daturam me polliceor meum. Et ita videtur sensisse Ambr. lib. de Isaac cap. 3. *Illa*, inquit, *osculum poposcit, Deus autem Verbum se ei totum infudit, & nudauit ei vbera sua, id est, interiores sapientiæ disciplinas.*

76. *Ibi tibi dabo vbera mea.*] Eò tota vis, & pondus orationis incumbit, vt vbera det sponso per vineæ botros superiùs adumbrata: tota nempe præcordia iam matura, iam ad diuinum palatum temperata multo aliter, atque illa vitis prorsus aliena, quæ postquam cœlestis vinitoris laborem assiduum, & è cœlo copiosum imbrem excepisset, expectata, vt vuas faceret, fecit labruscas, quia exusto flore ab Aquilone frigido, qui sperari poterat fructus, ad maturitatem non peruenit.

Allegor. In oratione cor offertur Deo.

77. Hęc mihi maximè videtur ad institutum, rémque nuptialem dici consentaneè. Sed vide an his verbis significetur illa animorum, studiorúmque consensio, quam colere seriò debent, quibus coniugale fœdus omnia voluit esse communia. Quare simul cum sponso suo noua marita dicit egrediendum sibi esse in agrum, vt videant an satis vinearum culturæ prouisum sit, an à cœli inclementia, aliáve externa iniuria exustus sit flos, & extincta sit spes futuri prouentus. Cùm autem in spirituali vinea id curet sedulò cœlestis sponsus, vt tener conseruetur flos, ne glacies illũ exurat, aut ventus defringat, & excutiat, & eò tandem perducatur, vt dulcis ex eo sit, & copiosa vindemia; idem curat sponsa, quam etiam illius vineę amor, & zelus vrget. Quare vt Christus sponsus pro animarum salute excubias egit perpetuas, & ad mortem vsque constanter pugnauit; sic sponsa studio non dissimili animarum saluti inuigilare vult, & in ea procuranda ab sponsi latere nunquam discedere; licèt eã ob causam deserenda sit matutina quies, quæ lassis membris solet esse dulcissima. Quia ergo manè ad datum sibi negotium surgit sponsus, id est, eo tẽpore, quo primùm assumpta humanitate nuptias iniit cum humana natura; ideo ad eius imitationem canit sponsa; *Manè surgamus ad vineas:* non differt ad noctem, non ad meridiem, id est, ad ætatem, aut exactã, aut adultam, sed ab ipso vitæ primordio, ne quid ętatis pereat, adesse sponso vult, & cum illo in animarum salutem simul incumbere.

Mandragoræ dederunt odorem suum.

LOcus hic variè legitur, ac dispũgitur. Quidam ad illud, *in portis nostris*, orationem producunt; alij, *in portis nostris*, ad sequentia referũt. Quidam nomen דודאים *Dodaim*, *canistra*, quidam *lilia*, alij aliter vertunt. Et quidem si *canistrum*, aut *calathum* verras, vt Ierem. cap. 24. vertit Hieronymus, & vult Rabbi Salomon, sententia est facilis. Sponsa enim cũ veteres fructus parauisset, qui gestarentur in canistris, quique odorem spirarent non ingratum, & ad nouos inuitaret, dum flores, fructúsque vinearum germinantes, & alias ruris delicias promittit, subiicit; *Omnia poma, noua, & vetera, dilecte mi, seruaui tibi*, tam quæ pendent adhuc in arbore, vel ex ea nuper collecta sunt, quàm quæ ex superiori prouentu cõdita seruantur in canistris. 78. Histor.

nistris. Sed cùm vulgato, quem omnes penè alij sequuntur, legendum est; *mandragora*, & ad has huius loci sententia accommodanda.

79. Sunt autem mandragoræ, vt docet August. lib. 22. contra Faustum cap. 56. herbæ, quarum poma sunt aspectu pulchra, odore grata, sed sapore insipida. Habere verò vim philtri quidam existimãt; vnde Circeæ dicuntur: alij fœcunditati cõferre, & ideo credunt tantopere expetitas à Rachel. Multa de mandragoris ab authoribus, quæ huc cõferre omnia necesse non est. Vide Dioscorid. lib. 4. c. 75. Plin. lib. 25. c. 13. Pereira de his copiosissimè in cap. 30. Genes. disp. 1. Alij dicunt soporẽ inducere adeò grauẽ, vt earũ succus propinetur illis, qui vrendi, aut secandi sunt, vt sine doloris sensu ignem, ferrúmve recipiant. Quod si ita est, vel si id saltem vulgo persuasum sit (cuius opinioni sese interdum accommodat Scriptura) satis apparet, cur sponsa mandragorarum præcipuè meminerit; siue, quia amoris cõciliatrices sunt, & se amare modestè, ac verecundè fatetur, siue quia fœcunditatis administræ, & ita rei coniugali nõ importunæ; siue quia de nuptiali ritu dormiturire se pre deliciis ostendit. Quare paulo pòst ipsa dicit: *Leua eius sub capite meo.* Et quòd ibi de somno sermo sit, satis indicat adiuratio sponsi, qua edicit puellis, ne illam exsuscitent.

Mandragora vim habet philtri, & fœcũditatis.

Soporem inducit, & torporem.

80. Alius sensus sese mihi ostendebat, neque ab amatorio sensu, neq; ab eo tẽporis articulo alienus, sumptus ex alia mandragorarum proprietate, adeò nota, vt etiam in Prouerbium abierit: mandragoræ enim tanta inest frigiditas, vt cum somno torporem etiam inducat, vnde qui in officio torpent, & lenti sunt, mãdragoram dicuntur bibisse, aut indigero nasturcio. Eo Prouerbio vsus est Demosthenes Phil. 4. & Lucian. in Timone. Optabat spõsa in sua illa traductione, quamcitissimè in cubiculum genitricis venire, vbi liberiùs iam, & pleniùs sponso frueretur. Quare statim subdit cap. 8. *Quis mihi det te fratrem meum*, &c. Amoris igitur ardor vehemens faciebat, vt cursus ille quantumuis incitatus, lentior appareret, ideo olfacere se dicit sponsa mandragoræ odorem, quæ studio suo aliquid afferat moræ. Quæ vox non tam offensi animi, quàm amantis est.

Neque, credo, errauerit, qui allusum censuerit ad mandragoras, quibus Lia à sorore Rachel communis coniugis concubitum emit, & est sententia elegans, & ad mysticũ sensum satis idonea. Dicit enim sponsa, deberi sibi sponsum, vtpote quem reiectis mandragoris, id est, rusticis deliciis, in paterna domo sibi coëmisset. Vbi modestè & suam tenuitatem, & nonnullum etiam meritum ostendit.

Videamus, iam quænam aptior sit distinctio. Si illud, *in portis nostris*, ad mandragoras referas, sensus est facillimus, & ad tertiam mandragoræ proprietatem accommodatissimus, si modò *portam*, pro genitricis domo sumas. Nam ibi amoris æstus maximè proditur, & somnus sponsæ, qui fœcũditatis socius est. Quòd si vltimam proprietatem spectes, illi valdè fauet præsens distinctio; nã quasi molestè ferat sponsa, currum tardiùs moueri, ait videri sibi in portis natas esse mandragoras, quæ innata sibi frigiditate torporis altrice, moras afferant aduentare cupientibus quàm molestissimas. 81.

Communior tamen est alia distinctio, quam planè sequuti sunt

Septua

Septuaginta, qui dicunt; *& in portis nostris*, ita vt, *in portis nostris*, ad poma noua, & vetera pertineat. Est autem mihi verisimile, in hoc hymenæo plausu nouorum coniugum portas variis & florum, & pomorum generibus esse vestitas, quod spõsorum, & amatorum opera fieri suprà cap. 5. ostensum est. Cúmque varia sint in tota illa traductione munera, quæ sparguntur in turbam, probabile est, in ipsum ingressum domus & plura, & meliora reseruari. Porrò nomen מגדים *Megadim*, quod *poma* vertit vulgatus, significat id, quod in quolibet genere pulchrum est, & pretiosum, vt dictum est cap. 4. in illud, *cum pomorum fructibus*: & Septuaginta, *nuces* conuertunt. Est ergo sensus: omnes delicias (sic enim nunc verto מגדים *Megadim*) siue nouas, vt sunt flores, & si qui alij sunt ex eo anno prouentus; siue veteres, vt sunt superioris anni poma, ficus, nuces, iuglandes, &c. in eius honorem, & vsum reseruari, vt effundat in turbam, exhilarétque illum hymenæum, & genialem diem. Quare properet, & si quid moræ interim inciderit, quamprimùm rumpat.

82. Allegor. Anima à Deo concipit. *Mandragoræ dederunt odorem suũ.*] Iuxta mandragoræ proprietates suprà in cortice expositas sensus est varius; sed qui vnum, atque idem spectet, nempe vim amoris ingentem. Siue enim philtri vim habeat mandragora; sponsi odor, quem suprà laudauit cap. 5. sic animum amantis inflammat, vt illud incendium nisi in sponsi complexu extingui non possit: si somnum inducit, dormiturire se sponsa dicit, & appetere sponsi sinum, in quo quiescat, quod in contemplatione contingere iam antea diximus. Si fœcunditatem inducit, spes concipiendi à sponso casta, atque inflammata desideria, vrget sponsam, vt egressum in solitudinem maturet.

83. Nostra ternuitate magnum sponsalicimus. Sed addamus hîc in spirituali sensu, quod suprà in cortice probabile diximus, allusum hîc videri ad mandragoras, quibus Lia à Rachele sorore Iacobi congressum sibi coëmit; dicit ergo sponsa, quod olim Lia suo Iacobo: *Ad me intrabis, quia mercede conduxi te pro mandragoris filij mei*; Genes. 30. mandragoras hîc voco rusticas illas delicias, quas alienigena, & rustica puella abiecit, deposuit enim peregrinam vestem, capillos, & vngues, quæ relinquere iubetur captiua; si modò in Israëlitæ domum, & genus cooptari velit; Deut. 21. Hac coëmptus est & vili, & rustica mercede tantus sponsus, neque sibi dedecori esse ducit, neque fert grauatè, si quispiã eo nomine ipsius sibi operam, & amorem deberi contendat. Vbi elucet singularis sponsi benignitas, qui seipsum venalem proponat tantulæ mercedi, qui abiectam sponsam magno labore, atque impendio sibi parauerat.

Peccator vili pretio Christum vendit. Mirum sanè fuit emptum fuisse Iacobum vili mandragorarum pretio ab vxore Lia, quam tamen sibi Iacobus ipse septem annorum seruitute emisset, vsque adeò dura, vt diu noctúque æstu vrgeretur, & gelu; fugerétq; somnus ab oculis eius; Genes. 31. Sed illud etiam admiratione dignum, quòd vxor altera Rachel tot annis, tot laboribus, ac tanto desiderio coëmpta, sponsum vendidit mandragorarum mercede, quas puerulus Ruben ludibundus collegerat; odorémque sponsi, plusquam nardinum, saporémque longè supra mel, & fauum, cum mandragorarum odore non admodùm grato, & cum sapore prorsus insulso, ac fatuo cõmutauit. Quod faciunt,

faciunt, pro dolor! quotidie, qui diuinos amplexus, cœlestes delicias, ipsum denique Deum vilissimæ voluptati, ac lucro longè postponunt.

84\. *Omnia poma noua, & vetera, dilecte mi, seruaui tibi.*] Consentaneè ad superiora sponsa dicit, tam vetera ex anni præteriti prouentu, quàm recentia, & ex communi iam horto collecta poma sponso seruari in ipso maternæ domus aditu. Cùm alibi fidelis anima, Deique amans omnia suo sponso consecret, id tamen plerumque, & prolixiùs, & ardentiùs in oratione præstat. Ibi superioris vitæ errata detestatur, & luget, ibi vestimenta vetera, quæ captiua gestauerat, quibus antea nō tam ornata, quàm ignominiosè traducta, sæculi vanitati seruierat, contempta iam, iterum propter Deum, ac sæpius abiicit. Hæc quidem si, vt antè, in pretio, atque amore habeātur, ingrata sunt sponso; eadem verò contempta, atque calcata gratissima; quemadmodum hostium vexilla, atque arma in castris erecta, atque micantia terrori sunt, atque odio, deiecta tamen, & iam in nostra potestate in triumpho cum gloria, & plausu gestari solēt. Hæc quidem poma sunt vetera in oratione calcata, tāquam iam putria, & exoleta, quæ in sponsi honorem iterū, atque iterum calcamus; noua verò sunt desideria, ac vota recēns in oratione concepta, quibus mutatus animus humanarū immemor, cœlestium rerum amore totus ardet. Illa ergo poma detrimento iam habita propter Christum, & hæc ex ipsius amore nata sponso suo fidelis sponsa, & seruat prouidè, & offert liberaliter. Atque hæc de capite septimo.

Allegor. Vetera, id est, peccata, calcata tamen, grata sunt Deo munera.

ARGVMENTVM IN CAPVT. OCTAVVM CANTICORVM.

Cvm iam nuptialis pompa proximè accederet ad sponsi domum, eò peruenire sponsa desiderat, vt tandem peragatur, quod extremum est in nuptialibus sacris, ita vt possit iam sponsum liberè, & sine pudore vocare fratrem suum, & effugere ignominiam, qua illa quæ steriles, ac sine viro sunt, notari solent. Ibi expectat à sponso, auditque connubiale ius, nempe vt obliuiscatur domum patris sui, ac totum amorem in sponsum conferat. Cùm verò expugnari ab adulteris vxoris constantia muneribus possit, aut minis, contra vtramque machinam puellare pectus sponsus minis etiam, & muneribus munit. Postquam verò datam sibi legem admittit Sulamitis, neque quemquam sibi placere affirmat præter sponsum, in quo ipsi summa sunt omnia, idque audientibus testibus cantu ritè testatur, finis huic diuino Epithalamio imponitur.

CAPVT VIII.

Sponsa.

1 QVIS *mihi det te fratrem meũ sugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer te, & iam me nemo despiciat?*

2 *Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ, ibi me docebis, & dabo tibi*

PARAPHRASIS.

1 VTinam iam adsit illa hora, quæ iam appetit, cùm te coniugij iure, ô dilecte mi, appellare possim fratrem meum, meum inquam fratrem, tanquam qui suxeris vbera matris meæ, vt vel in omnium conspectu liceat iam liberè, & sine reprehensione deosculari te, vt nemo iam me despiciat: quia status cœlebs, aut sterilis vita Israëlitidi puellæ probro esse solet.

2 Tunc te, ô dilecte, ducam, amore nempe mei, in domum genitricis meæ, meæ inquam, licèt verè, ac propriè tua sit, quia si connubij ius te mihi fratrem facit, consequens est, vt idem

idem genitricem tuam mihi matrem esse concedat. Ibi mihi trades connubialia præcepta: ibi ex more patrio propinabo tibi ex malis granatis expressum,& odoratum vinum.

3 Iam vim mandragoræ in me præsentem experior, iam somnus obrepit, læua sponsi sub capite, supra verò dextera amplexabitur me.

4 Adiuro vos iam tertiò, filiæ Ierusalem, ne dulcem & optatum sponsæ somnum perturbetis, excitetísve sponsam donec ipsa velit.

5 Quæ est ista quæ de deserto, & peregrino solo ascendit in ciuitatem tam splendidè, ac luculenter ornata, recumbens in dilecti sui sinu, capite inter læuam ac dexteram molliter locato?

Petis à me, sponsa, tibi vt ego tradā quod abs te exigit cōnubiale ius; id ergo iam ago. Principio statue erga parētes tuos sic te animarā deinceps esse oportere, tanquam si ab illis recēns nata relinquereris in sanguine puerperij volutata, aut à feris laceranda, aut peritura fame. Quare illos nō tam amares, quòd genuissent, quàm quòd prodidissent, auersarere: illum verò qui te excitaret è terra, atque te aleret pro sua, tanquam parentem amares,& coleres vt conseruatorem vitæ. Fac ergo te natam in agro, & à matre rustica relictam esse sub arbore malo, ac inde excitatam à me, alioqui morituram, ac educatam pro filia.

6 Ex hoc fit consequens, vt quia mihi vitam debes, te mihi totam deberi aliquo signo profiteare. Quare meo signaculo,& charactere cor im-

bi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum.

3 *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.*

Sponsus.

4 *Adiuro vos filiæ Ierusalē, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam donec ipsa velit.*

Adolescentulæ.

5 *Quæ est ista quæ ascēdit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum?*

Sponsus.

Sub arbore malo excitaui te: ibi corrupta est mater tua: ibi violata est genitrix tua.

6 *Pone me vt signaculū super cor tuum, vt signaculum super*

brachium tuum, quia fortis est vt mors dilectio.

prime, vt nullum præter me diligas; & brachium, vt vni mihi opera tua, atque conatus seruiant. Quod sanè tibi omnino faciendum est, si me amas: nam amor instar mortis obtinet; vt enim mortuus alieno arbitratu, ac pulsu trahitur, sic qui amat, alterius volũtate ducitur, potiùs quàm sua; hoc verò ciuilis cuiusdam mortis genus est.

Dura sicut infernus æmulatio: lampades eius, lampades ignis, atque flammarum.

Amor hic, aut ciuilis mors debetur meo merito, quia vitæ tuæ à parentibus proditæ conseruator fui: sed debetur etiam idem amori meo, qui si aliqua ratione ab infideli sponsa violatur, animus amantis acerbissimè carpitur. Est enim zelotypia instar inferni, & illius flammæ non minùs vrunt, quàm flammæ ignis.

7 *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nil despiciet eam.*

7 Hoc igitur apud te pro seruanda coniugali fide primùm statue, amorem eius esse naturæ, vt neque obrui malis possit, neque capi muneribus. Quare si adulter, aut riualis minas intentet, aut etiam doloribus cruciet, illis nullo modo succumbendum est. Si omnem substantiam, aut fallaci, aut vera promissione offerat, quasi nihil, tam adulter, quàm ipsius munera despicienda sunt.

Adolescentulæ.

8 *Soror nostra parua, & vbera non habet. Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est?*

8 Seuera sanè lex proponitur sorori nostræ Sulamitidi, & adhuc ipsa tenera est. Veremur ne quod ius illud coniugale postulat, præstare possit: quid ergo sorori nostræ remedij adhibebimus; si quando adulteri illius fidem, atque constantiam expugnare tentabunt?

Sponsus.

9 *Si murus est, ædificemus super eum propugna-*

9 Quando de nouæ nuptæ constantia sollicitæ estis, filiæ Ierusalem, subsidiúmque quæritis, quo infirmũ

illius

illius pectus contra procorũ machinas muniatis, ego illud vobis iam ostendo. Duobus oppugnari solet puellarũ constantia, muneribus, ac minis, vt à me nuper audistis, duobus etiam contineri in officio potest, minis nempe, & muneribus. Si ergo sponsa instar muri fuerit, qui pulsatus non respondet, neque quemquam admittit nisi disiectus, ornabitur à me pretiosis donis, quemadmodum si murus argenteis pinnis, & propugnaculis decoretur. Si verò instar ostij fuerit, quod ad pulsum resonat, ac facilè vertitur, atque aperitur, & pulsantem admittit, claudatur omnino tabulis cedrinis, ita vt neque ipsa foras prodire, neque liberum cœlum intueri possit.

pugnacula argentea; si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.

10 Dilectus à me murorum firmitatem postulat, & amicæ, ac sorores vberum in me maturitatem desiderant, & de virtute ad resistendum procorum machinis dubitare videntur: sed ego, vt sponso præstem quod ius ipsum cogit, contra minas, & vim murus sum; & vbera, quæ tenera videntur, & immatura, nõ mollia sunt, atque infirma mihi, sed sicut turres affixæ muris: idque maximè postquã nacta sum pacificum, id est, liberalem sponsum, & locupletem, à quo id etiam habeo, vt pacifica, id est, locuples & fortunata sim.

Sponsa

10 *Ego murus, & vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.*

11 Quod ad dona spectat, & promissa, videte quàm parum muneribus capiar, vt hinc intelligatis quàm parum apud me momenti habeat quodcunque offerri potest munus ab adultero. Vineam mihi pacificus, & locuples sponsus dedit dotis no-

11 *Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos: tradidit eam custodibus; vir affert pro fructu eius mille argenteos.*

mine in vbere agro Baalhamon, quicumque illam possidet deductis sumptibus, mille argenteos puros ac liquidos quotannis ex ipsa percipit.

12 *Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici, & ducenti his qui custodiunt fructus eius.*

12 De hac ergo vinea non curo, cùm talis sit, tanquam pingui, atque amœno loco: nam sponsus mea mihi vinea, mea commoditas, atque voluptas est: neque aliud aut curo, aut amo, quàm quod nunc coram oculis habeo. Quare, ô dilecte, tuam tibi vineam, quam mihi dotis nomine dederas, libens restituo. Tui sint pacifici, & sine lite mille argentei, quos ex annuo prouentu capere mihi poteram, & ducenti alij vinitoribus, operisque seruentur.

Sponsus.

13 *Quæ habitas in hortis, amici auscultant: fac me audire vocem tuam.*

13 O nympha, quæ in hortis habitas; quando propositam à me, & ab ipso coniugali ritu legem tam auidè accipis, & tam strenuè seruaturam te profiteris, hoc ipsum iam solemni formula testatum relinque, voce ita clara, vt amici, qui nostri connubij testes futuri sunt, audire possint, nempe modulato sono, vt mos est Epithalamicus.

Sponsa.

14 *Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ, hinnulóque ceruorum super montes aromatum.*

14 Faciam quod iubes, idque ita libenter, vt obuiis ad amplexandum vlnis clarè, & numerosè id ipsum cantãdo profitear: hic ergo solemnis, atque conceptus connubiali more cantus esto; ô dilecte mi, aduola ad amplexus meos non minùs celeriter, quàm ceruorum hinnulus festinare solet super montes aromatum.

IN

IN CAPVT OCTAVVM COMMENTARIVS.

Quis mihi te det fratrem meum, &c.

1. Histor. POSTREMVS hic actus est, qui exhiberi fingitur nõ longè à domo, ad quam tẽdebat genialis ille progressus. Optat ergo sponsa, extremam iam scenam addi, quæ sponsos nuptiali vinculo ita iungit, & ritu legitimo, ac publico sociat, vt quæ spectantibus aliis nonnisi verecũdè, ac indecorè tentari poterãt, illa iam honestè, & aliis probantibus, atque plaudẽtibus fiant. Fortasse extremum in illo hymenæo festo erat, vt osculo, atque amplexu futuri coniuges palàm & fœdus inirent connubiale, & animorum coniunctionem, stabilémque fidem testatam relinquerent. Quod videtur indicare sponsa, dum dicit, *vt inueniã te foris, & deosculer te, & iam me nemo despiciat.* Despiceret verò quilibet, ac probro daret, si aliquid eiusmodi ante illud tempus, & locum moliretur, vtpote non legitimum.

2. Sponsa sponsum fratrẽ, & socrũ matrẽ vocat. Vt dictum est ad illud cap. 4. *Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa*; ideo sponsa soror, & sponsus dicitur esse frater, quia sponsa per coniugale fœdus ab antiqua, atque cognata familia abalienata in alienam cooptatur. Ex quo fiunt non modò cognati, & consanguinei coniuges, sed etiam vna caro, & sibi ipsis vicissim idem. Quare mirum non est, si se fratrum, sororúmque nomine salutent. Hanc rationem assignat August. lib. 22. cõtra Pelagium cap. 61. *Si vir*, inquit, *& vxor est vna caro, non aliter est nurus deputanda, quàm filia.* Hinc constat nõ obscurè, quid sit in votis sponsæ, nempe intrare iã in illam domum, vbi liberè sponsum appellet fratrem, ac si ex eisdẽ prognatus parentibus, eadem secũ vbera suxisset. Ideo matrem suam appellat eam, quæ sponsi mater est, quod sanè consequens fit, si spõsus est frater. Hîc verò vulgato Scripturæ more nota similitudinis tacetur; exprimitur verò in textu Hebræo, qui habet, *tanquam fratrem meum.* Neque nouum est in Scriptura, vt nurus appellentur filiæ à socru. Exẽplorum satis est in lib. Ruth. Hinc Epiphanius l. 2. hæresi 66. dicit, Noë cũ tribus filiis, totidémque filiabus arcam ingressum; in filiabus sine dubio nurus intelligens Noë.

Et iam me nemo despiciat.

3. Probro erat fœminis Hebræis steriles esse, aut etiã innuptas. LIcèt sensus indicatus num. 1. verisimilis sit, tamen longè probabilior est, quẽ modò propono. Probro erat apud Iudæos infœcundos esse; Deut. 7. *Non erit apud te sterilis vtriusque sexus*, aut etiã cœlibes; quare filia Iephthe virginitatem suam solemni forma deplorauit. Quocirca existimo, virgines honesto nomine significare solere nuptiarũ desiderium, dum dicũt cupere se ignominiam

miniam effugere. Hinc ſeptem illæ mulieres, quæ Iſai. cap. 4. vnius viri connubium expetunt, ſic ſuum deſiderium explicant: *Aufer opprobriũ noſtrum*: quia ſuſcepta à viro ſobole ſterilitatis nomen effugiunt. Et idẽ nunc ſponſæ videtur eſſe votum, vt in extrema parte Epithalamij ſignificet id, quod in nuptiis poſtremũ eſſe ſolet: nempe vt è tanto ſponſo mater fiat.

Iſai. c. 4.

4. Allegor. *Quis mihi det te fratrem meum.*] In hoc extremo cap. & ſumma Epithalamij ſcena, oſtenditur, qualis futurus ſit ſponſæ in ſponſum amor, quę animorum, ſtudiorúmque coniunctio; quid in hoc arcano connubio ſpectare, & quibus legibus ad extremum teneri debeat. Quarũ hæc eſt præcipua, vt ſponſum fratrẽ putet, & quaſi non alieno, ſed eodem lacte nutritum: eadem cum illo velit, eadẽ nolit, atque ea propemodũ cum illo cogitet. Neque enim aliter obliuiſci poteſt populum ſuum, & domum patris ſui: quomodo enim paternæ domus eſt immemor, quæ in ſpõſi domo cogitationes, & ſenſus ſeruat antiquos? & quæ quod obganniat ſpõſo, aliquid è parentũ ſtudiis exprõptũ habeat? Quòd ſi id in humano cõiugio ſeruari debet quia iã duo vna caro fiũt, vbi caro ad carnem adiũcta nihil habet alienum à carne, nónne in ſpirituali, vbi ſponſus eſt Deus, carnalis generis motus contemnere, & ad ſponſi mores, id eſt, ſpiritualem naturam migrare debebit, quæ ad ſpiritualis ſponſi thalamum vocatur?

Abiiciẽda cura ſæcularium, & omnino ſpiritui ſeruiẽdũ.

5. Ex hac myſtica generis coniunctione fit, vt qui ad ſpõſæ dignitatẽ, & titulos peruenẽre, vocentur fratres, & ſorores, vt ſæpe in hoc Epithalamio; imò vnum, eundémque ſpiritum habere dicantur. 1. Cor. 6. hanc legem in hoc connubio ſacro indixit Apoſtolus, cùm iubet nihil nobis cũ homine veteri futurũ eſſe cõmercij, id eſt, cum vita, ſtatúque captiuæ, à quo ad familiam veri Iſraëlitæ traducimur. Ad Galat. 5. *Qui ſunt Chriſti* (ſcilicet ſponſæ) *carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis.* Et ad Rom. 10. multa dicũtur in hãc ſententiã; *Fratres*, inquit, *debitores ſumus non carni, vt ſecundùm carnem viuamus.* Et deinde ſubiicit, eos, qui ſecundùm ſpiritum vitam inſtituerũt, dici filios Dei, & Chriſti cohæredes; vnde cõſequenter poſſunt Chriſti vocari fratres. Optat ergo ſponſa ad eum ſtatum venire, vt vnus ſpiritus cum ſponſo fiat, quémque ideo poſſit appellare fratrẽ. Quod quia per oſculũ ſpirituale fit, idcirco ſtatim ſubdit, *vt deoſculer te.* Quẽadmodũ verò ſpirituũ cõmunicatio per oſculũ fiat, pluribus docuimus in illud 1. c. *Oſculetur me*; tam in cortice, quàm in ſpirituali ſenſu.

Abnegatio, & mortificatio.

Vt inueniã te foris, & deoſculer te.] 6.
Qui eò dignitatis venit, vt ſpiritu Dei agatur, & viuat, quia à ſæculi opinione, vel errore potiùs non pẽdet, reclamante vulgo gentilium, & ſtultitiam vocãte; foris tamẽ, id eſt, in omniũ cõſpectu adhærere Chriſto vult, & eius veſtigiis omnino inſiſtere, *vt deoſculer*, inquit, *te*: id eſt, amplectar lubẽs ignominiã crucis; imò niſi in cruce nõ exiſtimẽ gloriã eſſe quærendã. Et ſi moleſtus fuerit mihi mũdus totus, quòd in corpore meo, tanquã ſpõſæ fidelis legitimas notas, & ſtigmata portem Domini Ieſu, iubeam ne ea de re quiſquam mihi moleſtus ſit.

In Chriſti cruce, & ignominia gloriandum.

Addit verò, *vt iã me nemo deſpiciat.* 7.
Quia cùm hominũ iudicia nõ curet, neque quid ſtulta multitudo definiat, aut obſtrepat, quicquã pẽſi habeat, contemni ſe non putat, quia cur contẽni debeat, nõ videt.

Longè

Longè aliter, ac multi etiã Christianorum, qui cùm arctiùs se teneri putent mundi legibus, Christum erubescũt; & cùm secretò Christi se discipulos vocent, & postquam crucẽ gestare meditentur, publicè tamen, & foris, quia hominum oculis magis seruiunt, quàm Christi monitis, & connubialibus præceptis, pudore deterriti illiberali, & stulto, & sponsæ honorem, & Christiani hominis officia deserunt.

8. Ignominiosum à Deo fœcundo spõso cogitationes alienas cõcepisse.

Alium, nec alienũ ab Hebræorum consuetudine, neque à sacris his nuptiis sensum habere potest hic locus. Notum est enim, probro haberi inter Hebræos, si infœcunda sit mulier, & expers sobolis; quare cùm Rachel Genes. 32. Ioseph esset enixa dixit: *Abstulit Dominus opprobrium meum.* Idẽ pene Elizabeth Lucæ 1. Et Anna 1. Reg. 1. infelicẽ se appellabat, quòd nullum filium suscepisset; neque aliã ob causam filia Iephthe virginitatem suã plorabat in montibus, nisi quòd sine liberis decederet. Multo sanè meliùs, quæ nullã suscipit spiritualẽ prolẽ, despici ab aliis, & cõuitiis exagitari potest; quod ne sponsæ cõtingat, diuini sponsi tantopere oscula expetit. Neque aliã esse causam existimo, cur velit in cubiculum genitricis. i. in orationis secessum sponsum introducere, nisi vt ibi sancta desideria concipiat, & à Spiritu sancto grauida prolem tanto sponso dignam aliquando pariat.

9. Abnegatio magnũ ornamẽtũ religioso viro.

Et quia pars hæc altissimis est fœta mysteriis, aliam etiã sententiã idoneam satis admittit. Tota ad sponsum ferri, & illi esse quamsimillima, nihil habere tandem ornamenti, nisi quod accepisset ab sponso, desiderabat spõsa; ne si aliter, aut mores suos, aut cultũ instituisset, iis, qui de amore rectè iudicant, ridicula sit, & digna, quæ contemnatur ab omnibus.

Quemadmodum enim quæ ad Regiam dignitatem prouehitur ex humili, sordidáque fortuna, ludendam se aliis, & libero conuitio exsibilandam præberet, si inter Regias vestes auro, gemmísque distinctas ex syluestri cultu aliquid retineret, ostentarétque spectantibus tanquam Regio nomine, & thalamo non indecorum: sic in spirituali connubio, vbi, quæ Regi sponso nubit, Regina est, si ex peregrina veste, in qua captiua fuit, id est, ex moribus pristinis aliquid seruet, & cum spiritu statuat aliquid esse carni commune, est quòd ab Angelis, & iis, qui in sponsi comitatu, atque familia sunt, rideri possit, ac despici. Quam ignominiam ne subeat sponsa prudens, nihil à syluis, vbi nata, nihil è materno sanguine, vnde excitata fuit, nihil ex aliis sordibus, à quibus mundata est, seruare vult. Et huc spectant præcepta connubialia, quæ audire studet, de quibus statim. Hæc verò, quæ dicta sunt, cùm conueniant omnibus, qui Christo adhærere, in eóque viuere desiderant, aptissimè tamen cadunt in religiosas familias, quæ bellum mundo indixerunt implacabile, quæque studio sibi habent, & honori, si ab illo toto omnino cœlo dissideant. Quare foris Christi crucem, & ignominiam amplexi viri religiosi, & mundi delicias auersati à nemine despiciuntur: despicerentur vtique, si mundi legibus iam antè damnatis aliquid honoris deferendum esse existimarent.

Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ.

10. Histor. Sponsa in sponsi domum traducitur.

DVbium est, quænam sit mater ista, sponsæne: Hoc videbatur

verisimile, quia sposæ mater lectum sternere solet genialem. Certè apud profanos vsitatum. Cicero pro Cluentio, strauisse sibi dicit libidinosam matrem genialem lectum, vbi non multo antè strauisset nubenti filiæ. An verò sponsi? Hoc certius: quia etiam apud externos traductio cum hymenæo, ac solemni plausu fiebat in sponsi domum; & ideo is dicitur vxoré ducere. Et Festus docet nuces tunc spargi, quando noua nupta in noui mariti domum inducitur: hæc verò plerumque ducebatur curru, vt in hoc Epithalamio sposa; si quando pedibus, quod rarius, χαμαίπους dicebatur, vt tradit Pollux lib. 3. cap. 3. Quid verò de Hebræis certum statuam, nihil habeo: nam si qua sunt exempla nuptiarum in Scriptura, vt Samsonis, Tobiæ, Iacob, ea huic dubio nihil afferunt lucis; sunt enim procul à spósorum domo cõtractæ, in quam commodè non poterat fieri traductio. Et Ps. 44. quem videtur Salomon in his Canticis expressisse, videtur traductio fieri solita in sponsi domum; nam sponsa, quæ ibi *Regina* dicitur, & *filia Regis*, cum virginibus adducenda dicitur *in templum Regis, in lætitia, & exultatione*. vbi solemnis ista traductio videtur significari. Sanè Abessan dux Israël filias, quas nuptui dedit, in virorum suorum domos traduxit, & nurus suas cum filiis suis domi suæ apud se retinuit. Iud. 12. v. 8. *Iudicauit Israël Abessan de Bethlehem, qui habuit triginta filios, & totidem filias, quas emittens foris maritis dedit, & eiusdem numeri filiis suis accepit vxores, introducens in domum suam.* Et si sponsa hæc peregrina fingitur, & rustica, nata sub arbore malo in Amana, & Sanir, vt ex superioribus videtur esse probabile, in domum verę matris venire non potuit. Est ergo mater sponsi, quam matrem suam ea ratione spósa vocat, qua sponsum dicit esse fratrem suum; quia ex sua sibi familia abdicata, quasi in aliena nascitur; & sicut à viri familia iuris aliquid; sic ab eadem & genus, & sororis nomen assumit. An verò esse etiã possit vera mater, dicam paulo pòst num. 20.

Quidam hîc volunt optare sponsam, vt dilecto suo frui possit, nõ aliter, atque infante fratre, neque dum à lacte depulso, quia illum & molliter alloqui, & pressè dissuauiari vel in media turba sine pudore licet. Et quia, qui in ea ætate sunt, solent, quæ viderint, quæq; audierint omnia ad parentes, siue ad sorores referre, illæ verò blandam illam, ac blęsam narrationem blandis excipiunt osculis, & voluptatem illam crustulis, & delicatis aliis cibis compensant; ideo sponsa tanquam infantem fratrem spósum desiderat, à quo talia audiat, & talia vicissim reddat. Ingeniosè quidẽ illi, & in re adeò obscura acutè, sed nescio an hæc omnia satis cõueniant lactenti infanti, vt enim alia omnia certè docere sorores in ea ætate non solent; credo hîc sugentẽ vbera, per epexegesim addi: nam matris vbera sugens, & frater, synonyma sunt. Erit ergo sensus: Quis mihi det te tanquam fratrem, fratrem inquam iterum, ac sępius meum? 11.

Apprehendã te, & ducam in domum matris meæ.] Materna hæc domus, & abditus secessus locum aptum orationi designat; vt enim in partes illas penitissimas domus, & quasi adyta mysteriorum conscia, non est turbæ domesticæ facilis aditus; sic etiam ab orationis loco secedere iubentur alienæ curæ, ne obstrepant interno colloquio, & turbent voluptates illas, quæ ex illo familiari, atque cœlesti congressu hauriũtur. Ideo sponsus idem, qui se totum no- 12. Histor. Secessus aptus orationi.

bis

bis impendere desiderat, sterni sibi iubet thalamum orationis in cubiculo clauso. Matt. 6. *Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito.* Non quia in publico orare non possimus: nam Apostolus 1. ad Timoth. 2. vult in omni loco nos orare leuantes puras manus: sed quia, quæ in secessu fiunt, neque humanos oculos testes habent, id vnum spectare videntur, vt placeant diuinis. Quæ nisi faciat, quæ vult videri sponsa, fidelis non est.

13. Conscientiæ examé, & orationis vsus præcipuus. Rupertus hîc sensum indicat accommodatũ ad mores, & orationis vsum: hoc enim habet præcipuum oratio, vt animi morbis medeatur, qui ex antiqua matre plerumque nascuntur, quam vt sponsa relinquat, & quasi mortuam ploret; diuinus sponsus iubet Deut. 2. Hęc autem caro est omnium pene malorum fœda sentina; eò igitur inducit sponsum, vt tãquam iudex damnet, puniátq; immoderatos carnis affectus, & tanquã magister doceat, quid facto opus sit. Est autem documentum admirabile diuinis oculis nostra om̃nia perpetuò subiicere, & iisdem censoribus statuere, quo nobis loco habenda sint. Hæc ratio commodissima est pro nostrorum peccatorũ examine, ad quod quotidie vocare debemus nos, nostráque omnia: trahimus enim ad diuinos oculos, & censuram, iisdémque iudicibus damnata mulctamus. Docuit hoc sponsus ipse Isai. 43. *Reduc me in memoriam, & iudicemur simul.*

14. Cognitio sui ex oratione. Est hoc præterea ad orationis prudentem vsum maximè necessarium, vt quàm simus rebus omnibus nudi, quàm sordidi, atque ignobiles cognoscamus. Huius cognitio opportuna quædam statio est ad spectandam diuinæ misericordiæ largitatem. Huiusmodi locum probauit Dominus cùm Ieremiam in figuli officinam deduxit, vt ibi cum eo loqueretur: & illa planè est genitricis domus; ibi enim discit homo, & assumptum se fuisse de puluere, & in puluerem tandem esse rediturum. Genitricis domus erat sterquiliniũ Iob, quod ipse fatetur cap. 17. *Putredini dixi, pater meus es, mater mea, & soror mea vermibus.* Ac si dicat: Ex eo stercore, vnde vermis ego quoque sum genitus. Ad illum ergo locum adducit Deum sponsa, id est, eo loco se corã diuinis oculis statuit inopẽ, & sordidam, certa, quòd suscitabit de terra inopem, & de stercore eriget pauperem, vt sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat. Hæc maximè congruit cum expositione, quam in cortice magis probauimus. Vide quæ notata ad illud, *Sub arbore malo*, in cortice, atque etiam infrà in medulla.

Ibi me docebis.

QVidam ex Hebræis illud תלמדני *Talmid*, pro quo vulgatus reddit, *docebis*, referunt ad matrem, quia terminatio Hebræa secũdæ personæ masculinæ, & tertiæ fœmininæ cõmunis est. Ita vt sponsa dicat: Ibi me docebit mater mea, quemadmodum me gerere debeam viro iam nupta, vel ad eius amorem conciliandum blanditiis, & officiis continẽdum; vel ad rei domesticæ curam. Sed licèt hoc admittat vox Hebraica, tamen à vulgata recedendum non est, cuius traductio & amatoria magis, & adiunctis magis consentanea Suprà cap. 7. ad illum locum, *Tibi dabo vbera mea*, diximus exponi congruenter posse de omnibus consiliis, atque cogitationibus sponso detegẽdis, idem, vt quidam volunt, 15. Historia.

ab ſponſo præſtandũ ſibi dicit ſponſa, vbi primùm ad domum ventum ſit, ad quam nuptialis ille curſus. Eſt autem eorum, quibus animorum, atque ſtudiorum cõiunctio eſt, maximè proprium, vt conſiliorum, & cogitationum ſit etiam communitas: neque enim amor quiquam celatum eſſe patitur. Quare cõiuges, ſi bene inter ipſos cõueniat, ſolẽt ſibi viciſſim impertiri quidquid ſentiũt, aut ſomniant; neque ipſis inconſultis quidquam aggrediuntur. Quàm id prudenter faciant non diſputo: faciunt certè adeò frequenter, vt ex ea maritorum cõſuetudine iura cõiiciant, atque præſumãt vxores ſcire, quidquid viri ſciunt. Sanè Dalila parum amari ſe ex eo Samſoni perſuadere voluit, quòd nõ aperuiſſet, quanam in parte admirabilis illa fortitudo ſita eſſet; qui quàm parum prudenter obſequutus fuerit eius volũtati, oſtẽdit ipſius ludibriũ, & mors. Quare Mich. c. 7. monet oris clauſtra eſſe cuſtodienda ab ea, quæ in ſinu noſtro dormit. Sed quãuis id nõ ſemper fieri debeat, frequenter tamẽ fit, & ex eo ſponſa ducitur, vt ſperet illud ſibi ab ſponſo præſtandũ eſſe.

Celatum nihil inter coniuges.

16 Eſt ſanè hoc verum, tamen exiſtimo aliũ eſſe ſenſum natũ ex nuptiarum conſuetudine, in quibus veriſimile eſt in ipſo domus aditu, in quã inducitur ſponſa, præcepta quædam connubialia ab ſpõſo tradi. Illa verò ſunt, quibus ſtatim admonetur ſpõſa, vt meminerit deponendã eſſe parentũ memoriã; amorem iam, & ſtudium, ſponſam deniq; totam ſponſo deberi, & alia quæ mox trademus ab illis verbis, *Sub arbore malo,* &c.

17. Allegor. *Ibi me docebis.*] Cùm in aliis multis Deus animã inſtruat, neq; res vlla ſit tam ſupra nos elata, aut tã exigua, & vilis, à qua non diſcat ſemper aliquid docilis animus, & cœleſtis doctrinę ſtudioſus; tamẽ in oratione ſic eruditur plenè, atque frequenter, vt ſchola hæc diuini magiſtri vocari poſſit. Quid verò ſtudioſa hæc diſcipula doceatur, in alio Epithalamio oſtendit idem ſponſus, & magiſter Deus. Pſ. 44. *Obliuiſcere,* inquit, *populum tuum, & domum patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum.* Illud idem audit hîc ſponſa. Vide infrà, *Sub arbore malo,* maximè in cortice.

Et dabo tibi poculum ex vino condito.

CAp. 2. docuimus, quid ſibi ſpõſa voluerit, cùm fulciri ſe floribus, & ſtipari malis cupere ſe dixit. Quæ nimirum id optabat, quo ſpõſo nuptiale conuiuiũ ſtrueret, oblectarẽtq; conuiuas. Præſtitit hoc partim cap. 5. cùm ſponſo dixit, *Comedat fructus pomorum ſuorum;* & cõuiuis à ſpõſo dictũ eſt, *Comedite amici, bibite,* &c. Ex eo, quod in illud tẽpus, vſúmque patauerat, optimum quodque ſponſo ſeruauit, quod ex more illi porrigeret, cùm primùm ventũ eſſet ad cubiculum, vbi ſacrorum nuptialium extrema ſcena: vinum autem cõditum, & muſtum malorũ granatorũ contineri puto in voce אשישה *Aſiſah.* Dionyſius Caſſius libr. 7. de agricultura c. 35. docet *vini* nomen; (vbi ſpeciatim meminit eius, quod è Punico malo conficitur) ad alia etiã extendi, quæ ex vite non ſunt, puta *mulſum, melicratum,* & alia, quæ inter Hebræos etiam cõfici ſolere nõ dubito ex pomorũ, herbarúmq; ſucco; & in his numero quod muſtũ malorum granatorũ vocatur. Et hoc fortaſſe, vel aliquid ſimile vinum conditum dicitur. Ita docet Montanus in illud Oſeæ cap. 2. *oleum meum, & potum meum;* ex libr. Miſnaioth de decimis. vbi dicit apud Hebræos ex herbarum, pomorúmque ſuccis

18. Hiſtor. Bibuſt coniuges de eodem calice.

poculum

poculum parari,quod cõmuni vocabulo *vinum* appellatur.Solere autem à fœminis porrigi amatoribus suis cõditum,& odoratum vinũ beneuolentię gratiâ,satis est verisimile,& docet apertè Iuuenalis Satyr.6. vbi de illa quę adultero placere studet,ait:

——*Mœcho foliata parantur.*

Vbi de vino condito sermonem esse,non de vnguentis,vt malè, meo iudicio, putant Interpretes, docet non obscurè Martialis lib.14. disticho 110.cuius titulus est, *Ampulla potatoris.*

Hæc licet in gemma, quæ seruat nomina Cosmi,
Luxuriosa bibas, si foliata sitis.

Sic ergo sponsa,vt dilecti sui animũ concilier, videri posset conditum hoc vinum præparasse.

19. Licèt ea, quæ de vino condito dicta sunt,probabilia putem,tamen mihi pene certum est,allusum hîc esse ad consuetudinem multarũ gentium, quam accepisse videntur ab Hebræis, apud quos legitimum fuit in cõtrahẽdis nuptiis coniuges ex eodẽ calice bibere,quẽ in tam solemni temporis articulo nobili,atq; cõdito vino plenũ esse oportuit. De Galatis docet Plutarchus in lib. de claris mulieribus, vbi notabile refert exemplum cuiusdam fœminæ nomine Comæ. Moris esse apud Phocẽses,qui Massiliã cõdiderunt, vt spõsa porrecto poculo maritum designaret,tradit Athenæus lib.13.c.12. hoc verò in aliis gentibus à socero fieri solere indicat Pindarus in 7.Olymp.Vide ibi Scholiastem.

Quòd verò id solemne,atq; legitimũ fuerit interHebręos,colligitur ex Hebræorũ Rituali, quod Latinũ fecit Genebrardus:vbi forma traditur benedicẽdi calicẽ,& docet quomodo qui benedixit,prægustar, deinde tradit sponso,& sponsæ in nuptialibus sacris.

Facit hûc,quòd apud alias etiã gẽtes aliquid in nuptiis gustari solet à nouis cõiugibus.Apud Macedones de eodem pane gustabatur,vt in nuptiis Alexandri, & Roxanæ tradit Quint.Curtius l.8.Romulus,vt author est Plutarchus in Romulo,nuptias sanxit in cõmmunione panis, & aquæ.

Hæc,quæ hactenus dicta à principio capitis,expedita mihi videtur, & sanctis nuptiis,qualiũ hîc expressa forma est,non incõmoda: fortasse tamen alio etiã modo texi posset postremus hic actus. Extremũ est,vt vidimus,in nuptialibus hisce sacris, vt cõplexu,atq; osculo sancto iã, & legitimo matrimonium & ineatur,& firmetur,quod præcedere solet solemnis illa admonitio,atq; doctrina,quæ sponsam iubet antiquæ domus, parentúmq; memoriã omnino deponere;quod etiã Ps.44.eodem pene modo præcipitur. Id autẽ verisimile est,ita solere fieri,vt spõsa aliquid ab spõso audiat,quo & se ignobilem agnoscat, & nudã,neque quidquã habere vel dignitatis, vel ornamẽti,nisi quod abundè præstat spõsi liberalitas.Quod sanè sponsæ, cũ non tã verè fiat, quàm simulatè, probro non est.Desiderat ergo spõsa illud osculum,quod matrimonij signum, & initium est. Quare ita incipit: *Quis mihi det te*,&c.cuius hęc videtur esse sententia: Vtinã inueniã te foris,& deosculer te, &c.vt nemo me despiciat.Quia in hac hieroglyphica,mysticáq; scena pauper dicor,& rustica;habebo tamen abs te,vt nobilis sim,ac lauta,excitata nimirum ex materno sanguine, & obscuro puluere ad Regium coniugium,& nomen. Quã contumeliã tam auidè accipiet puella hæc ingenua, sponsíque amans,vt dicat adducturam se vltrò sponsum in ge-

Sordes antiquæ proponuntur sponsæ

nitricis domum; vt ibi & antiquas sordes,& abiectionē animæ & videat proximè,& obiiciat liberè. *Ducam*, inquit, *te in domum genitricis*.i.ad ea commemoranda, quæ in genitricis domo facta finguntur. Domus autem genitricis est sub arbore malo cubile aliquod apertum, vbi nata est, & vbi iacebat sponsa, & vnde excitata dicitur ab sponso. Excipit autem dilectæ vocem auidissimè sponsus, & ideo subdit statim; *Sub arbore malo excitaui te*: & tandē sponsam docet, quid facere debeat, si tamen præstare plenè velit, quod vxorem honestam, & fidelem decet.

Et dabo tibi poculum ex vino condito.

21. Allegor. In oratione cor, & lacrymas Deo damus. VBi in orationis schola sponsa didicerit, vt mox dicemus, nihil iam cum populo suo, nihil cum parentibus, nihil cum his, quæ caro sanguisq; genuerunt, futurū sibi esse negotij, amplexa libenter magistri vocem, vinum conditum offert, & mustū malorū granatorū.i.totum cor, non iam acerbum, & immaturum; sed in vinum optimum redactum: quod sine difficultate, ac nausea potari possit. Quòd si cum Ruperto dicas; in genitricis domum, id est, in carnis officinam sponsum introduci, vt quæ à carne sunt opera, indicet, damnétque, consequens est, vt vinum conditum offerat spōsa, id est, lacrymas, quas vbi expressit dolor, condiuitque myrrha, accipit sponsus, bibítque ita auidè, quasi longam sitim explere cupiat. Et certè pœnitentium lacrymas Angelorum vinum appellat Bernardus, ita sanè conditum, vt in eo sit odor vitæ, sapor gratiæ, gustus indulgentiæ.

22. Coniugibus vita, ratióque communis. Si verò in Hebræorum nuptiis in hac extrema scena ex eodem calice coniuges bibebant, optimè hoc poculo rerum omnium exprimitur consensio; quia si quid est dulce, aut si quid est amarum in poculo, id vtrique coniugum exsorbendum est. Et quidem Christus, quos ornare voluit sicut sponsas, ad calicis sui societatem vocat. *Potestis*, inquit, *bibere calicem, quem ego bibiturus sum*? Hunc calicem optat sibi propinari sponsa, quia aliter nō putat expediri sibi ad thalamum ascensum.

Læua eius sub capite meo.

IAm sese hîc prodit mandragoræ vis, quam se iam expertam suprà subindicarat spōsa, cùm eius odorē afflatum sibi esse dixit: nam hausisse se amatorium quasi aliquod poculum ostendit, cùm dicit, *Quis mihi det*. Somno iam corripi se significat, cùm canit; *Læua eius sub capite meo*. Locus hic nihil habet noui præter id quod suprà notatum est ad cap. 2. sicut neque adiuratio filiarum Ierusalem, quibus à sponso seuerè denunciatur, ne Epithalamiū canent excitatorium. Histor.

Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens?

EDixerat sponsus Solymitanis puellis, ne somnum sponsæ excitatorio cantico perturbarent, eius vocem, ac studium amplexæ consopitorium cantant, dum sponsam deli- 23. Histor.

deliciis affluentem, & in spõsi complexu molliter inclinatam dicunt. *Innixã super dilectum*, idem omnino est, quod læuam esse sub capite, & dexteram sponsi ad amplexandum iniectã. *Desertum* pro agris, & hortis sumi alibi explicatum est. Porrò Septuaginta pro illo, *de deserto*, verrunt, *dealbata*. Vnde ita vertere potuerint, non video, neque id habent omnes Græci codices; ita tamen legunt Theodoretus, & tres Patres, Hieronymus super cap. 22. & 23. Ezech. August. lib. de Gratia, & lib. arb. c. 6. Amb. in Psal. 118. Serm. 29. Origenes super illud c. 1. *Nigra sum*. Certè dealbatam sponsam incedere, alibi à nobis probatum est. Hæc verba, vt constat, dicta sunt, cùm iam geniale ferculum ad sponsi domum ex agris accederet. Quare mihi videtur valdè verisimile, hæc verba; *quæ est ista, quæ ascendit*, dicta fuisse non ab his puellis, quæ sponsos comitabantur: sed ab aliis quæ noctu ex agro reuertentibus nouis coniugibus occurebant; quales fuisse traduntur decem illæ virgines, quæ
Matt. 25. Matt. cap. 25. *exierunt obuiam sponso, & sponsæ*; quod esse etiam familiare puto, atque legitimum nuptialibus Iudæorum sacris.

24. Allegor. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delicijs affluens?*] Verba sunt Angelorum, Sanctorúmque qui admirati tantam sponsæ felicitatem, quam cum priùs in deserto, id est, in genitricis non tam domo, quàm tugurio, imò in genitricis sanguine volutari viderent; iam videant ascendere de deserto non ardua, atque molesta via: sed innixam super dilectũ, affluentémq; deliciis, clamãt; *Quæ est ista*, &c. Vide quid possint lacrymæ, quid paternæ domus, quid rerum humanarum obliuio; quid animus paratus nihil iam velle, nisi quod sponsus probet?

Sub arbore malo excitaui te.

25. Histor. QVidam hunc sermonem sponsæ tribuunt, & variè explicant, quorum commenta, ne longus sim, omitto. In his sunt Doctores Hebræorum, ea fortasse de causa, quia Synagogam, quam sponsæ matrem esse putant, ægrè ferunt videri posse corruptam. Si quis tamen ita accipiat, quod nullo modo faciendum esse censeo, sic amatoriè maximè, atque Bucolicè interpretari licebit; sub arbore malo excitatum esse sponsum ad amorem, captum aliquibus sponsæ blanditiis, ibi natum esse, quia pulcher est, & omni ex parte suauis, sicut pomum, quod maturum iam ex arbore decidit. Quæ enim pulchra sunt, & grata, ex florib. orta, aut inter flores inuenta esse prædicãtur. Sicut contrà, qui barbari sunt, atque deformes, ex terra, & truncis, ac duro robore nati esse dicuntur. Ita ergo, sicut lilia, aut pomum ex hortis, sic sponsus ex arbore malo lectus est. Cui nimirum illa mater accidit, quæ generare nihil debuit, nisi florẽ, aut pomum. Pulchri inter flores nati.

26. In honorũ gradibus aliquid obiici solitũ, quod animum deprimat. Sed sine dubio hæc verba sponso tribuenda sunt ex nuptiali, vt suprà diximus, ritu. Iuxta quem, sicut in aliis ferme omnibus, quæ hominibus honori, & dignitati sunt, aliquid ad extremum addi solet, quod spiritus deprimat insolentes, si qui fortè ex eo plausu, atque commendatione nati. Docent hoc Romanorum triumphi, & in quibusdam nationibus Regum inauguratio, & in Doctorali laurea publica reprehensio.

hensio. Sic etiam in hac triumphali, atque nuptiali pompa: nam si vspiã, hîc omnium aptissima exprobratio est; vbi sponsa ita honestum illud viuendi genus ingreditur, in quo Regina dicitur, & Principis filia, vt tamen viro suo subesse, atque parere debeat. Quare Romanis, vt tradit Plinius lib. 8. c. 4. & Plutarchus Probl. cap. 30. mos fuit, vt nubentes puellas comitaretur colus compta; & fusus cum stamine. Et ideo, vt inquit apud Festum Pompeiũ Varro, thalassius proclamatur, vt discat noua nupta dandam esse operam lanificio. Thalassius enim calathum significat, seu quasillum aptum lanarum operi. Ad hunc ergo modũ, ne fortunæ mutatio animos afferret sponsæ immoderatos, admonet sponsus, vt meminerit antiquæ fortunæ, ruris, atque syluarum; vnde ad illum locum, & ordinem assumpta est. Quod ad rem moralem maximè confert; & id plerumque facit cœlestis sponsus cum his, quos ad nobile aliquod ministerium vocat.

27. Item in Hebræorũ nuptiis. Quòd solemne fuerit in Hebræorum nuptiis sponsæ obiici maternas sordes, & ibi excitatam esse ab sponso, videtur sumi posse ex iisdem locis: vnde sæpe aliqui dicuntur ex stercore vel ad Regnum, vel ad thalamum esse vocati. Regnum verò intelligo non solùm, quod propriè ita vocatur; sed etiam quod sponsis accommodatum est; nam & hi, vt alibi diximus, Reges vocãtur. Ps. 67. ex mediis cleris, id est, ex agro, vbi quidam dormiebant, eleuandi dicũntur ad dignitatem sponsæ, cuius symbolum est argentea columba cum pallore auri. Et Psal. 112. de stercore erigitur pauper, vt collocetur cum Principibus. Idem dicitur in Cantico Annæ 1. Reg. 2. & Paulus ad Ephes. 5. Ecclesiam, de (Ad Ephes. 5.) qua tanquam de sponsa loquitur, mundatam esse dicit lauacro aquæ in verbo vitæ, cui nimirum cùm iacentem reperisset, dixit illud Ezech. 16. *Viue*. Et Ier. 3. cùm renouare connubiale pactum Deus velit, sic ad sponsam fornicariam ait. *A modò vocà me, pater meus, dux virginitatis meæ.* Ac si dicat; repete verba in nuptiis solemnia, quibus sponsa oblita domus, & parentum, quasi ab ipsis esset relicta, sponsum vocat patrem suum, & ducem, & custodem virginitatis suæ: vel, vt sonat vox Hebr. *iuuentutis*, quod parentis munus est. (Ierem. 3.)

Videtur autem mihi nemo meliùs huius loci sententiam expressisse, quàm Ezech. cap. 16. vbi Ierusalem, quam ibi sponsam, & Reginam appellat, certè in Regnũ profecisse dicit, alloquitur tanquam alienam, scilicet Amorrhæo patre prognatã, & matre Cethæa, exprobrátque antiquas sordes, quòd humi relicta, eodem, quo à matre edita, loco in obscœno partus sanguine volutaretur; vnde excitata fuit, atque mundata, & ad sponsæ tandẽ nomen prouecta. Proposuerat sibi, credo, partem hanc Canticorũ Ezechiel, qui optimè loco sanè difficillimo lucem attulit. Ait igitur sponsus visam sibi esse sponsam tanquã Cethææ matris filiam, eodem loco relictam, vbi violata fuit, ac corrupta mater, id est, omnium pene consensu, vbi mater illam enixa est, in syluis videlicet sub arbore malo, cùm commodiorem locum rustica mater ad partum non habuerit; vnde excitata est, id est, eleuata, & nuptialibus ornamentis splendida ad thalami vsque societatem promota. Ad hunc morem alludunt, quæ nuper diximus, & in Scriptura passim alia complura. Psal. 38. *Suscepisti* (Psal. 38.) 28. (Ezech. 16.)

me

Psal. 26. *me de vtero matris meæ*. Et Psalm. 26. *Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me; Dominus autem assumpsit me.* Vide quæ diximus ad illud Isai. 54. *Vxorem ab adolescentia abiectam.*

29. Recens nati filij moritur i abiiciebantur à Gentib. Ad hanc verò sententiam magis explicandam facit antiqua consuetudo quarundam gentium, apud quas vbi filios alere nollet, aut quia non possent, aut quia non placeret natorum forma, eodem quo iacuissent loco editi, morituri in ipso materni sanguinis volutabro relinquebantur. Quare pro his, quibus vitam seruatam vellent, Dea quædam constituebatur, quæ à leuandis infantibus dicebatur Leuana, vt tradit August. de ciuit. Dei lib. 4. c. 11. vnde est natus dicendi modus, *Natos tollere*, id est, eleuare. Quod tunc fiebat, cùm filius agnoscebatur proprius, & in familiam, & hæreditatem vocabatur. Si verò abdicandus videretur, relinquebatur. Terent. in And. actu 1. scena 4.

Quidquid peperisset, decreuerunt tollere.

Et in Heaut. actu 1. scena 1.

Si filiam pareres, nolle tolli.

Quod vsitatum esse apud nationes alias ostendit Tacit. libr. 2. qui ideo Iudæos laudat, quòd omnes liberos tollerent. Quod etiam dicit Clemens Romanus lib. 9. Recogn. non longè à fine.

30. Vnde etiam coniectura non leuis sumi potest, sponsam hanc esse alienigenam, quia passa est id, quod inter gentes frequenter, inter Hebræos nunquam fieri solitum est. Quod sentit S. Thom. in illud cap. 3. *In lectulo meo*, & Theod. in illud cap. 7. *Quàm decora, & suauis*; & Athanasius in Synopsi, & Hieronymus epist. ad Eustochium: vbi illam Æthiopissam appellat. Tertullianus lib. 4. contra Marcionem c. 11. Aug. Ser. 21. de Tempore.

Plutarchus sanè in Lycurgo refert, ex ipsius Lycurgi instituto partus nutriendi ius genitori non esse, sed in quendam locū deportari, qui dicebatur *Lesche*, vbi qui ex tribulibus maximi natu essent, sedebant, qui si infantem animaduerterent effictum pulchrè, ac robustum, educari iubebant, sin autem ignauum, ac deformem, ad locum deducebant præcipitē, ac præruptum, quia eius vita neque ipsi, neque Reipublicæ vtilis futura existimabatur. In eodem propè statu diuinus sponsus inducitur vidisse sponsam Sulamitidem sub arbore, & eidem dixisse illud Ezech. 16. *Viue*: ac tandem excitasse è puluere, imò ex luto egenam, vt sederet cum Principibus, & Principis filia salutaretur.

Adde ad extremum, cùm sponsus dicit inuentam esse sub arbore sponsam, & inde excitatam, intelligendam esse Hebræorum more similitudinis notam; quasi dicat spōsus: Quemadmodum si mater statim à partu in obscœno sanguine te relinqueret, & à me esses excitata, & conseruata, parentem quidem non tam, quòd peperisset, amares, quàm odio haberes, quòd abiecisset, & in authorem, conseruatorémque vitæ tuæ totum studium, amorémque conuerteres: sic & domum tuam obliuisci debes, quia iam in aliam familiam cooptaris, & me parentum loco diligere, quasi tibi plusquam parentes beneficus, & parens fuerim. 31.

Sub arbore malo excitaui te.] Hinc iam spōsus Sulamitidē docet, quod ipsa optabat; docet verò quod plerumque in oratione solet, vt videat, quid à se habeat; vnde excitata, & quem ad locum assumpta sit, vt 32. Allegor. Spiritualis vitæ fundamētum humilitas.

de se nihil sentiat magnificè. Satis hoc vulgatum inter viros, qui pietati student, & orationi vacant; spiritualis vitæ primum esse fundamẽtum, nosse hominem, quid sit; ne quid sibi magni arroget, & ad quẽ finem illud tam humile ex natura sua; tam sordidum, támque omnino nihil creatum sit, ne se rursus ad illud nihil abiiciat, vnde excitatus est. Vide quæ suprà diximus ad illud capitis 1. *Nigra sum.*

Ex his verbis aliqui puram ab originali culpa Mariam esse coniectãt. Cùm enim sub arbore, inquiunt, violata fuerit, & corrupta genitrix Eua, à serpente decepta, quæ allecto ad eiusdem peccati societatem vito nimis vxorio, fecit, vt ex corrupta stirpe corruptæ quoq; nascerentur propagines. Tota ergo natura hominum sub ea arbore strata videbatur, ex qua lethale pomum patres comederunt. Ex eo tempore seruare Deus immunẽ voluit à cõmuni labe fœminam, de cuius visceribus sumpturus esset carnem; quæ ideo sub arbore excitata dicitur, quia sub arbore cum aliis omnibus cecidisse videri potuit. Quomodo verò excitari siue potuerit, siue debuerit, disputant Scholastici, quorum argutiis expendenda hæc, atq; disceptanda relinquo. Illud dico, quod Galatinus obseruauit lib. 7. c. 8. in parentum nominib. hanc præseruationem Virginis notatam videri; vt enim Deus in nominibus filiorum Oseæ, & Isaiæ aliquid portendi voluit, & in Patriarcharum compellationibus notari, & quasi consignari longe pòst futuros rerũ euentus, sic etiam, quod faciendum in Virgine statuisset, in parentum nominibus, licèt subobscurè, testatus est. *Ioachim* enim idem est, quod Deus eleuabit, eriget, vel excitabit, nempe sub arbore, sub qua cum parente lapso, lapsa quoque fuerat tota posteritas. *Anna* verò gratiam significat, quasi iam inde à primo illo sęculo, in quo alios omnes paterna labes contaminarat, hæc vna ex omnibus, quæ ad gratiam infinitæ proximam electa fuerat, hanc quoque gratiam obtineret, vt nunquam esset non grata, neque illo temporis articulo, in quo concepta est.

Obstrepet autem aliquis, & obiiciet, lapsam videri, quæ vt sub arbore malo excitaretur, opus habuit, neq; enim quemquam suscitamus, nisi aut mortuum ad vitam, aut illũ, qui cecidit de statu ac honore ad ptiorem locum, atque fortunam. Huius cogitationi est aliquid, quod respondeam, neque difficile, neq; alienum à quotidiani sermonis cõsuetudine. Illum excitasse dicimur à morte, cui ne illam subiret, aut porreximus tempestiuè manum, aut consilium dedimus opportunum. Si quis sub arbore dormientem excitet, cui iamiam serpens imminens tabifico morsu venenũ esset infusurus, ille sub arbore à veneno, & mor su suscitatus, & seruatus diceretur. Probat hęc optimè Aug. in illud Ps. 85. *Eruisti animam meam ex inferno inferiori*, vbi dicit, erutũ se ab inferno inferiori, quia liberatus fuit à peccatis, per quę posset deduci ad tormẽta inferioris inferni. *Quemadmodum*, inquit, *si medicus videat tibi imminentem ægritudinem, fortè ex aliquo labore, & dicat, parce tibi, sic te tracta, requiesce, iis cibis vtere; nam si non feceris, ægrotabis: tu autem si feceris, & saluus eris; rectè dicis medico; liberasti me ab ægritudine, non in qua iam eras, sed in qua futurus eras. Nescio quis habens causam molestam mittendus erat in carcerem, venit alius, defendit eum, gratias agens quid dicit? Eruisti animam*

mam meam de carcere: suspendendus erat debitor, solutum est pro eo, liberatus dicitur de suspendio. In his omnibus non erant; sed quia talibus meritis agebantur, vt nisi subuentum esset, ibi essent, inde se rectè dicunt liberari, quò per liberatores suos non sunt permissi perduci. Cùm ergo communis morbi contagio, & mortis, quæ ab originali culpa est, articulus instaret, & pro mortua censeri potuerit, communi, vt diximus, hominum sensu, & vulgari sermone B. Virgo, quia tempus instabat, in quo illi, nisi aliud fuisset à Domino prouisum, moriendũ fuit, accurrit bonus medicus, qui causam amoueret lethiferi morbi, & quasi excitasset à morte sub arbore, vbi percussa, atque exanimata iacebat cognata posteritas.

Pone me vt signaculum super cor tuum; vt signaculum super brachium tuum.

33. Histor. Sponsa vnum sponsum amare, atque intueri debet. APtissimè, & suo iure, eóque optimo sponsus petit sibi ab sponsa omne obsequium, atque officium præstari: quandoquidem à se, & quòd in tali sit loco, & honore, imò, & quòd viuat, habet. A quo nimirum, quando sub arbore excitata est, audiuit illud Ezech. c. 16. *Viue, Viue* iterum audiuit in suo sanguine. Vt enim cui belli ius, aut alia quæuis causa vitam eripere potuit, si quis pœnam illam capitis à lege, vel consuetudine positam ab alio depellat, in beneficij loco numerat quodcumq; aliud suppliciũ, subítque libentissimè. Quare inuri se patitur seruilibus notis, quib. deberi se totum publico signo profitetur ei, quem in se tam liberalem, ac beneficum expertus est. Hoc ergo suo iure sponsus exigit, vt se ipso, id est, amore suo, animũ consignet, & brachium fidelis sponsa, vt neminem præter ipsum amet, ipsi vni manus, ipsi conatus seruiant. Vt enim quæ nostro signo, vel annulo notantur, nostra sunt, neque quisquã ex illis aliquid decerpere, vel libare permittitur; sic ex animo, brachióque sponsi signaculo impressis ad aliorum vsum deriuari nihil potest.

Vel certè, quia mos fuit antiquus, eorum quos amamus, imagines in annulis, armillis, gemmísque gestare, siue in collo, siue in pectus à collo pendentibus; id petit sponsus, vt imaginem sui ita secum habeat spõsa, vt quocumque siue loco, siue negotio familiaris occurrat; neque aliud vnquam vel intueatur, vel cogitet. Quod sanè nihil est aliud, quã id, quod diximus suprà, publico aliquo testimonio profiteri. Porrò vsitatum esse, vt quos habemus charos, habeamus aliqua ratione præsentes, docet omnium temporum, & pene ordinum familiaris vsus. Imaginem Epicuri non solùm in tabulis, sed in poculis, & annulis gestari ab eius studiosis docet Cicero. Certè apud Hebræos esse in vsu colligi posse videtur ex Scriptura. De corde, id est, de cordis latitudine, aut tabula, quo ornamentum aliquod, quod ad pectus descendat, vt supra cor sit, significari diximus, satis multa habes Prolegomeno 8. vbi etiam non pauca de ornamento brachiorum, aut manuum, id est, annulis, vel armillis, in quibus eorum quos amamus, aut colimus, signa, aut phylacteria cælantur, quæ nos illorum memorias deponere non sinant. Vide quæ diximus ad

34. Charorũ imagines in annulis & armillis gestantur.

illud Isai.cap.44. *Et hic scribet manu sua*. Sanè Aman gestasse secum idolorum effigies, aut phylacteria, propter quæ illi Mardochæus honorem exhibere noluit, ne videretur Deos adorare Persarum, tradunt Chaldæus, Abenezra, & alij plures Hebræorum magistri.

35. Sunt, qui hæc verba sponsæ tribuant; neque sensus incommodus esset, aut multùm à priori diuersus. Quod enim diximus, sponsum iubere, vt dilecta faciat, id sibi ab sponso præstari precatur dilecta. Nam cũ nosset, quòd in honore sit, imò, & quòd spiret, id acceptum esse referendum sponsi beneficiis, orat, vt in animo semper habeat, vt amet, & in brachiis, vt ornet; quasi ab eo tota pendeat, peritura vtique si deseratur. Fauet huic sententiæ affixum masculinum ך *Cha*, quod cordi, brachióque subiicitur, quod sponsæ non videtur posse conuenire. Sed superior expositio & communior est, & magis toti narrationi accommodata. Puncta verò, quæ non sunt cum literis Hebraicis inuenta, sed multis pòst sæculis excogitata, non admodùm vrgere solent viros doctos. Nihilominus hæc sententia patronos habet non ignobiles; sed nostram tuentur Theodoretus cum tribus Patribus, S. Thomas, S. Greg. S. Ambr. & complures alij.

Puncta Hebræorum non nimis vrgent.

36. *Pone me vt signaculum*, &c.] Nihil magnum, aut indebitum sibi sponsus exigit, cùm cor, & brachium suo annulo sponsam obsignare iubet: aut seipso, tanquam custode, ac domino cordis, atq; operum omnium, à quorum communione quemcũq; alium excludi vult. Porrò *signaculum* multa significat. Primùm, seram, aut claustrum, quo aliquid tanquam omnino nostrum ab aliorum vsu vindicamus. Qua ratione Deut. 32. Deus dicitur habere apud se recondita, quibus nostra peccata puniat. *Nonne hæc cõdita sunt apud me, & signata in thesauris meis?* Et suprà cap. 4. eodem sensu fons signatus appellatur hæc sponsa. Secundò, notam, quæ indicet aliquid esse nostrum, qualia sunt signa, quæ pecori, aut mercibus nostris imprimimus, aut stigmata, quibus mancipia nostra compungimus. Qua ratione Apoc. 7. signo Dei viui ex omnibus tribubus Israël centum quadraginta millia signata sunt, quib. tanquam Domini hæreditati non noceret Angelorũ gladius. Tertiò, signum, aut signaculum, sigillum est, quod ideo ceræ, aut alicui materiæ molliori imprimitur, vt emineat ab informata materia expressa signaculi similitudo. Duo priora, iuxta explicationem à nobis traditam in cortice, apertè exigit sponsus. Vult enim sponsam signatam esse, id est, ita clausam, vt nemo ab ea præter sponsum quicquam delibet: atque id ita præ se ferat manifestè, vt omnes intelligant, sicut facit vel inuitus seruus fictili compunctus charactere. Sed neque tertius signaculi vsus alienus est à sponsæ obligatione, vel coniugali bono; nam expedit, vt inter coniuges omnia sint quàm simillima: & si sponsus sit sanctus, ad eius mores quã studiosissimè, sicut mollis cera fingi se patiatur sponsa, neque aliquid exprimat in moribus, quod non priùs ab sponso fuerit impressum. Quod sanè in hoc arcano connubio maximè curandum est.

Allegor. Anima totam se debet Deo.

Signaculi varij vsus.

Quòd si quis putet locum hunc intelligendum esse nõ de signo, quo sibi sponsus vendicet, quæ sponsæ sunt, omnia, sed de sponsi forma in brachio, id est, in annulis, aut in armil- 37.

Dei præsentia.

armillis expressa, aut in lamina à collo ad vbera, seu cor demissa, quam *cordis* nomē habere diximus, sensus est aptissimus, quo docetur sponsa Dei memoriam nunquam esse deponendam, in eius conspectu semper esse viuendum, quod iis, qui in spiritu viuunt, summopere commendatum est. Neque verò id ab sponsa petit indulgentissimus sponsus, quod illi ipse vicissim non præstet; nam ipse in manibus, & in corde spōsæ imaginem gestare se dicit. Vide exempla in cortice, & cap. 7. ad illud, *Vmbilicus tuus*. vbi etiam dictum est, quomodo eorum, qui amantur, effigies gestari soleat. Adde illis, quæ à nobis adducta ideo c. 4. dici cor sponsi à sponsa vulneratum, quia cor gestabat, id est, laminam supra cor inscriptam, aut forma, aut nomine sponsæ. Et est allusio ad Rationale Sacerdotis, vbi erant nomina filiorū Israël. Ita omnino indicat Chaldæus. *Vulnerasti cor meum, infixus est*, inquit, *amor filiorum tuorum in tabulis cordis mei*. Deinde vsitatum esse inter gentes Deorum suorum aut nomen, aut formā gestare in annulis, armillis, & laminis, notum est ex profanis, & ex Scriptura satis constat. Nam Ierem. c. 17. *Peccatum Iuda*, id est, idolum, *scriptum esse* dicitur *nō in altaribus solùm, sed in vngue adamantino*, id est, in gemma annuli; *& super latitudinem cordis*, id est, laminam, vel lunulam, quæ supra cor est. Et Genes. 35. idola, quę data sunt Iacob à turba domestica, in annulis fuisse, atque in auribus indicant Chaldæus, & Septuaginta, dū vertunt, data esse idola, quæ essent in manibus, & auribus. August. quęst. super Genes. & Chrysost. in illum locum Genes. idola esse putant in auribus. Neque aliter accipio illud

Imagines memoriā excitant charorū.

Ierem. 17.

Genes. 35.

Oseæ cap. 2. *Auferat fornicationes suas à facie sua, & adulteria sua de medio vberum suorum*. Quo loco *fornicatio*, atq; *adulteria* pro idololatria sumūtur, vt dicit S. Hieronymus, Haimo, & alij. Ferebat itaque gens illa, quæ vocabatur adultera, idolorum imagines, tum in pectorali lamina, id est, inter vbera, tum in facie, nēpe, aut auribus, aut in gemmis à fronte pendentibus. Petit ergo spōsus, vt quod externi populi præstare solent honoris idolis suis, id sibi præstet fidelis sponsa. Quod fortè facturam se sponsa pollicita est c. 1. vbi cùm inter ornamenta alia, quæ ibi numerantur, laminam illam, aut lunulam accepisset, quæ imminet cordi, vbi esset expressa effigies sponsi, dixit sponsum suum futurum sibi inter vbera; neque minùs sibi aut lenimenti, aut voluptatis allaturum, quàm myrrhæ fasciculum, qui exhilarare solet, ac reficere languentem animum.

Oseæ c. 2.

Hic obiter notandum, eodem modo, quo Deus sponsæ cor, & brachium se ipso, siue suo signaculo consignat, vt pastor gregem suū certo aliquo charactere distinguit ab alieno; sic Dæmonē, qui de animorum possessione iam inde ab orbe condito cum Deo in contentionē venit, suum etiam characterem homini à se possesso inurendum curare. Apoc. cap. 13. *Et facit omnes pusillos, & magnos, &c. habere characterem in dextra manu sua, aut in frontibus suis*. 38.

Dæmon suos signaculo consignat.

Quia fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio.

Difficile explicatu est, quid tantùm iuris habeat amor, aut 39.

Histor.

potentiæ, vt morti tradatur esse similis; vel cur amoris vis causa esse possit, vt amantium signaculum in alterius & corde, & brachio impressum esse debeat. Locus hic admonuit me, vt superiora verba spōso dederim, eàque in priori sensu. Exprimitur enim optimè amoris potētia, cuius ea est natura, vt amātem in amati potestatem, & quasi mancipium trahat. Qui autem in alterius se potestatem dedit, hic ciuilem quamdam mortem subiisse existimatur. Vt enim cadauer alieno arbitratu, alieno, atque externo pulsu mouetur, aut trahitur, neque à sua voluntate quicquam habet; quia à cadauere omnis prorsus abest voluntas, sic etiam qui amat, alieno regitur ductu, neque aliud habet à voluntate sua, nisi quod eam prorsus alligauit alienæ, cui vbi satisfecerit etiam in arduis, suæ voluntati abundè satisfactum putet: hic verò status, aut quædam mors est, aut certè viuum quoddam veræ mortis simulachrum. Hanc ergo legem amoris, maximè coniugalis, indicit sponsus, vbi docet, quid cogitare debeat amans, & fidelis spōsa, cùm in viri manum, & thalamum venerit: quæ lex optimè tunc proponitur quando nuptialis hæc celebritas ad extremum incumbit.

Amans mortuo similis.

40. Pro *æmulatione* verò Hebr. est קנאה *Kinah*, quod cùm alia significet, hîc ad rem subiectam aptè significat *zelum*, qui est vel dolor, vel suspicio de abalienato consortis animo, seu amor cum aliqua suspicione, & metu. Hic verò similis est inferno, siue pro *sepulchro* sumatur, siue pro *gehenna*, & *damnatorum carcere*; nam vtrumque significat vox שאול *Seol*. Porrò dolor, qui ex zelotypia nascitur, implacabilis est; qua de re multa scriptores externi; sed omnium optimè vim hanc zeli, & ardens studium vlciscendi iniuriam violati toti expressit idem author Salomon Prouerb. 6. *Zelus, & furor viri non parcet in die vindictæ; neque acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima.* Qui locus videtur in his Canticis expressus, vt statim videbimus.

Zeli vis quanta.

Ex his constat, cur causalis illa particula, *quia fortis est vt mors*, &c. subiiciatur impositæ legi de imprimendo cordi, & brachio sponsi signaculo: nimirum quia id petit coniugalis amoris natura, qui spōso se totum, & omnino impendit; qui pro seruando connubiali pacto, ac fide, etiam cum morte congredi, atque adeò eam libenter subire debet. Alia præterea ratio est, quæ in hoc officio sponsam contineat, zelotypiæ nimirum dolor acerrimus, qui maritis non mortis solùm, sed inferni etiam instar esse solet. A quo, vt sponsum liberet fidelis, & amans sponsa, non solùm à turpitudine, sed etiam à turpitudinis vel leuissima nota, ac suspicione cauere debet. 41.

Quia fortis est vt mors dilectio.] Ciuilem mortē illam vocamus, quam subit quicumque alieno potius viuit arbitratu, quàm suo; neque huic dissimilem vitam agit, qui per amorem voluntatem suam addixit alienæ: vterque enim non tam sibi viuit, quàm alteri. Et quidem optimè cum morte comparatur amor; nam sicut mors animam à corpore, sic etiam amor animā à proprio quod animabat, corpore, in illum, quem amat migrare facit. Refert tamen multùm hócne, an illo modo alteri aut viuas, aut seruias; qui enim alteri propter metum viuit, inuitus facit, & ideo se meritò infelicem vocat; at verò qui sponte, & amore impel 42.

Allegor. Amans ciuiliter mortuus.

impellente libenter subit illam ciuilem mortem, & nihil putat æquè dulce, quàm si alteri, aut in altero potiùs perpetuò viuat. Qui ergo alterius cor, & brachium suo sibi vendicauit, notauítque signaculo, nexu quodam ciuili suum esse fecit. Id igitur docet cœlestis sponsus, & magister, eum, qui seriò, atque ex animo amat, debere expectare aliud semper à se; quid scilicet ex vsu, quid ex sententia, aut voluntate sit eius, quem amat; ab eo nunquam animum, aut oculos dimouere, neque motum habere aliũ, quàm qui pulsu cietur externo; non secus atque cadauer, quod alieno siue ductu, siue tractu mouetur, nõ suò. Vide August. in illud Psalm. 12. *Fiat pax in virtute tua*: & epist. 29. ad Hieronymum.

43. Allegor. Amor fortis. *Dura sicut infernus æmulatio.*] Multi satis verisimiliter putant huiusmodi hemistichij eandem esse sententiam, quæ superioris, iuxta Hebræorum consuetudinem, qui maximè in re metrica illustrem aliquam sententiam aliis verbis iterare, aut explicare solẽt. Tũc verò sensus erit, amorem esse durum, atque tenacem, qui instar mortis, aut inferni non dimittit vnquam, quod arripuit semel. Quare veri amatoris illustre documentum Paulus nulla vi eripiendam sibi esse Christi charitatem audacter fatetur ad Rom. 8. Sed quia in cortice diximus *æmulationis* nomine zelum significari, huc etiam oportet moralem sensum referamus. Cuius verò zelus iste sit, sponsíne, an sponsæ, dubium est. Ambr. sponsæ tribuere videtur lib. de Isaac cap. 8. Et sanè zelus instar ignis vrit, & penitus comedit Sanctorum viscera: dolent enim grauiter, si quemquam viderint, quod Deo offensioni futurum

Zelus Sanctorum.

sit, aliquid moliri. Testis est Dauid Psal. 118. *Tabescere me fecit zelus meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.* Et rursus: *Vidi preuaricantes, & tabescebam.* Et Elias 3. Reg. cap. 19. *Zelo zelatus sum pro Domino exercituum, quia dereliquerunt pactũ Domini filij Israël.* Testis nostra ætate B. P. N. Ignatius, qui dicebat non tam horrere se gehennæ tormẽta, quàm blasphemias, quæ à damnatis inter tormentorum aculeos in Deum iactabãtur. Iuxta hanc explicationem edicit sponsus Sulamitidi, vt si velit & nomini, & officio sponsæ satisfacere, dignitatem ipsius, & existimationẽ tueatur, doleátque si quid aduersum accidat sponsi vel voluntati, vel gloriæ. Quare si verus amor sicut mors est fortis, verus etiam zelus sicut infernus erit durus: & hic sensus probabilis est.

Sed verisimilius credo, zelum hunc non tam ad sponsam, quàm ad sponsum pertinere; quia quàm sit zelotypus, docent graues, frequentésque querimoniæ de his, qui ab amore, dataque semel fide recesserunt: quos vt blando sponsæ nomine compellat, si fidem seruauerunt, sic adulterij, & fornicationis crimen obiicit, si quando violarunt. Constat ex Ierem. cap. 2. & 3. Ezech. cap. 16. Oseæ cap. 2. Neque frustra Deus zelotes dicitur, vt notauit Dionysius de diuinis nominibus cap. 4. Solet autem grauior esse ex zelotypia dolor, cùm in quærenda sponsa plus laboris, aut pretij, aut in ornanda plus operæ positum est. Quare id obiicit sponsus Deus apud Ezechielem, & Oseam suprà infideli, atque ingratæ sponsæ. Apud Ieremiam certè verbis mirè significantibus zelotypiæ angorem exprimit Deus. *Obstupescite cœli super hoc, &c. me dereliquerunt* 44. Zelus Dei.

Grauiter fert Deus animam à se discedere.

runt fontem aquæ viuæ. Cùm ergo sponsus hic sponsam in vinearum custodia fuscatam, tanquam colũbam dealbarit, in currum extulerit, Reginæque nomen, & cultum dederit, quo dolore angeretur, si horum immemor, alterius cõnubium, & torum expeteret? Hinc coniectare licet quo animo Christus, & quo sensu ferat, cùm anima, quam sibi ipsi tanto sumptu, atque labore despondit, quam acquisiuit sanguine suo, fecitque, ne in ea macula esset, aut ruga, meditatur aliquid alienius à nuptiis, fidéque coniugali; & ad riuales, qui multi sunt, vilissima conditione proposita conuertitur. Quare si ciuilis lex iusto mariti dolori indulgens ex violatione thalami concepto gladium porrigit, quid iustissimo suo dolori non permittet, qui legum sanctarum author, & idem vindex est?

Lampades eius, lampades ignis.

45. Histor. Zelotypiæ dolor.

HÆc videntur ad zelum referri, qui non minùs cruciat, vritque zelotypos, quàm ardẽtes flammæ. Pro, *lampades eius*, Hebr. est רשפי *Risphe*, quod *prunas* significat *scintillantes*; & ideo variè à variis exponitur. Septuaginta vertunt, *alas ignis*, id est, tela ignita: Symmachus, *impetus eius*. Pro illo, *flammarum*, Hebr. est *flamma Dei*, id est, ingens; nam quæ magna sunt, Dei esse dicuntur: vnde, *montes Dei*, *cedri Dei*, *ciuitas Dei*, quæ sanè magna est ponderatio, siue ad amorem referas, siue ad zelum. Ego ad zelum pertinere puto, tum quia diuinus sponsus, quanti faciat sponsam ostendit, cui dolor accideret quasi ab ardentibus carbonibus, imò quasi ab inferni flamma, si amorem suum ad alienum inflecteret; tum vt tantus dolor ex tori violatione susceptus sponsam deterreat, ne eius, à quo & honorem cõsequuta est, & quòd viuat habet, officium contemnat, & fidem prodat.

Lampades eius, lampades ignis.] Si hæc ad amorem deducas, vt multi putant, optimè illius vis, & ardor exprimitur. Verus etenim amor sic inflammat, agitátque quem semel occupauit, vt nusquam quiescere, nusquam desidere patiatur, non secus atque igne supposito vastæ etiã moles quamcumque in partem vis ignea impellat, celeri, atque violento motu torquentur. Facit huc Septuaginta translatio, quæ pro, *lampadibus*, habet, *alas*, quæ satis amoris igneum impetum, & celeritatem ostendunt. De alis igneis charitatis vide Ambr. lib. de Isaac cap. 8. Sed, vt diximus, hæc commodiùs ad zelum referes, qui sic vrit, excruciátque zelotypum, vt durus sicut infernus appelletur. De zelotypiæ angore plura in cortice[1], & satis ad rem moralem opportuna. 46. Allegor.

Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.

47. Histor. Amor verus neque dolore frãgitur, neque donis succũbit.

DVo sunt, quæ fœminarũ constantiam expugnare solent, & metus, & munera. Contra hæc duo imbecillitatem sponsæ munit, & confirmat zelotypus sponsus. Ait enim, charitatem, si vera sit, aquis, quæ aduersa omnia, & dura significant, extingui non posse, neque minis cedere, neque doloribus frangi, neque vlla denique vi in diuersum impelli; quia aduersis obnititur, imò adeò non curat, vt etiã contem

contemnat, quia perfecta charitas foras mittit timorem. Et hæc eadē, nisi vulgaris sit, & quasi mercenaria, sic despicit munera, vt quæ promittere aut potest, aut solet hominum largitas, perinde accipiat, ac si nihil essent. Id planè valet, quod subditur, ***Si dederit homo omnem substantiam***, &c. ***quasi nihil despiciet eam***, scilicet, ***substantiam***; aliter, ***eum***, id est, hominem, quem cum suis promissis longè quouis gentium iubet facessere. *Eum*, legunt LXX. consentaneè ad textum Hebræorū, & ita habēt multi ex vulgatis codicibus.

48. Quantus amor sponsi. Dubitare hîc aliquis non immeritò posset; an hîc sermo sit de amore sponsi, cuius cum igne magna vicinitas, imò & communitas est, & qui frangi, aut remitti nullo modo sustineat. Sanè si quis ita statuat, non multùm repugnauerim: videtur enim id velle, vt suo exemplo discat sponsa, cor suum, & brachium suum ita consignare, vt nulla vis sit tanta, nulla spes, quæ inustum cordi signaculum vnquam exurat, vt sic vicem grata in amando compenset. Dicit enim amorem suum mortis instar nihil timere, nequicquam inundare aquas, exundare flumina: quoniam amor summis innatat aquis, neque mole fluctuum vnquam obruitur; nequicquam proponi munera, honores, & si quid est, quod homines capiat, vt in amore langueat. Quare referat vicem sponsa, neque quicquam habeat amore sponsi sui antiquius, aut potentius.

49. Pro amore nulla compensatio. Præterea illud satis significanter explicat, quanti sponsus faciat amorem, vel animum dilectæ sibi omnino consectatum. Nam si absit animus, in quo vno acquiescit, cætera omnia, si quis afferat, adeò nō compensabunt amoris pondus, vt quæcumque illa sint, quasi nihil despiciat eam: imò neque vlla ratione placari poterit in adulterum, qui sponsam seduxit; etiamsi dona afferat amplissima pro iniuria sordidati, ac temerati thalami, quod ex cap. 6. Prouerb. antea retulimus.

Licèt hæc optimè cadāt in amorem sponsi, & ad sensum spiritualem sint in primis grauia (nam quis nescit, quot fluminum inundationes in lampades illas flammarum influxerint, quàm multa ad extinguendum amorem potentissima; neque tamē de ipsius ardore quidquam remiserint, vt non solùm fuerit sicut mors, sed etiam supra mortem multo potentior?) tamen existimo hîc agi de amore, quem præstare sponsa debeat, vsque adeò nimirum fortem, vt neque aquarū fluctibus, neque aliis amatorum machinis succumbat: quæ lex veri & coniugalis amoris sponsæ proponitur, quæ licèt difficilis videatur, & ardua, subeunda tamen est iis, qui vtrasque nuptias tam spirituales, quàm vulgares sanctè inire volunt. Hæc porrò explicatio facilem, & aptè connexam reddit consequentium expositionem, in quibus multa video, & varia, quæ in te adeò obscura necesse est ab expositoribus adduci. 50. Quantus amor sponsæ.

51. Allegor. Amoris contracta. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.*] Ostendimus suprà, duobus nobis expugnari posse fidem coniugalem, metu scilicet, & muneribus. Ait ergo sponsus, amorem debere esse vsque adeo fortem, atque constantem, vt si **proponantur aut ampla munera, aut dura mortis certamina, ab eo tamen recedendum non sit, quem amamus. Porrò aquæ multæ, & flumina vim tormentorum maximam, & multitudinem**

significant; quæ si cum donis, ac blandimentis ad amorem expugnandum conspirent, despicientur tamen à constanti pectore, quasi nihil sint. Hæc magnus amator Paulus de se prædicat ad Rom. 8. v. 35. *Quis nos separabit à charitate Christi?*

Soror nostra paruula, & vbera non habet.

52. Histor. HÆc verba tribuo puellarum choro, quod necesse est, nisi velimus cum quibusdam ex recentioribus aliquam aliam personam inducere; quod neque necessarium est, neque ad rem satis opportunum, quod putat Ambr. Serm. 19. in Psal. 118. Admiratæ ergo puellæ tam seueram legem impositam esse nouæ nuptæ, & quasi veritæ, ne satis, quod ius illud coniugale postulat, præstare possit; de fide ipsius, constantiáque sollicitæ dicunt, sponsam, quam sororem suam appellant, vel quia coæua, & nympha est, sicut ipsæ esse simulantur, vel Hebræorum more, quibus inter amicos familiare est fratrum, ac sororum nomen, paruulam esse, & ad tam seueram disciplinam non satis strenuam. Quod probant, quia vbera non habet, quæ ætatis maturitatem ad nuptias prodũt. Quod docuit Ezechiel, qui ætatem nubilem vberum tumore significauit cap. 16. *Vbera*, inquit, *tua intumuerũt.* Vbi, vt dicit Hieronymus, adolescentularum maturitas indicatur; nam vsque ad pubertatem, id est, annos nubiles, virginibus vbera non turgent. Ætas verò illa & mollis, & rudis facilè solet aliorum aut donis, aut blanditiis capi. Vnde non sine causa videntur de harum nuptiarum exitu metuere, & ideo subdunt.

Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est?

DEliberant filiæ Ierusalẽ, quomodo armare possint teneram, & infirmam puellam contra procorum vim, & insidias, quibus euerti solet firmioris etiam ætatis vis, atque constantia. 53. Septuaginta vertunt consentaneè ad textum Hebr. *quãdo sermo instituetur in ea.* Hebr. בה *Bah*, quod etiam significat, *contra eam*, vel, *in eam*; nã præpositio Hebr. ב *Beth*, habitudinem interdum habet accusatiui, & significat *in*. Leuit. cap. 16. *Mittet hircum* במדבר *Bamidbar*, id est, *in desertum*, vel, *contra*. Genes. 16. *manus eius* בכל *Bacol*, id est, *contra omnes, & manus omnium cõtra eum*. Heb. בו *Bo*. Sic hoc loco, *quãdo sermo fiet contra eam*, ab his scilicet, qui tantæ pulchritudinis suauitate capti, pudicitiam eius expugnare voluerint. Et in hunc sensum videntur accepisse Rab. Salomon; *In die*, inquit, *in quo gentes consilia agitabunt de ea delenda*: & Rab. Anonymus. *Timeo*, inquit, *ne homines eam despiciant, vt, cùm creuerit, loquãtur ad ipsius cor, & affectum, decipiántque eam.* In hanc sententiam inclinat Rupertus, qui in illo, *alloquenda est*, intelligit consilia dura, quibus Nero, & alij Tyrãni Ecclesiam adhuc teneram insectati sunt. Sic existimo commodè, & expeditè posse hunc locum accipi: nam quòd aliqui ad tempora referunt, quibus de hac puella viro collocanda agendum est, vbi liberiùs in alicuius ingenium, mores, & ætatem inquiri solet, non videtur aut tempori accommo-

commodatum, aut loco. Iam enim ſponſa proxima fingitur ſponſi foribus, iam ſponſo ſatis nota, iam abundè laudata: cur ergo in eius vitam, & genus inquirendum? Præterea multa ex his, quæ anteceſſerunt, & ſubſequuntur, nõ ſatis cum illa ſententia cohærent. De adulteris faciliùs intelligo, qui in ſponſam omnes dolos, & inſidias inſtruere poſſent, quibus timet chorus, ne Sulamitis, quæ vbera non habet, id eſt, ſatis virium, & ætatis, ſuccumbat.

54. Allegor. Angeli de hominum ſalute ſolliciti. *Soror noſtra paruula, & vbera non habet. Quid faciemus ſorori noſtræ in die quando alloquenda eſt?*] Dictũ eſt ſuprà, in *adoleſcentulis*, quæ comitantur ſponſã, & ad ſponſum deducunt, Angelos intelligi, aut animas ſanctas, quæ myſtici connubij pronubæ ſunt, & caſti illius amoris conciliatrices. Hæ vident quanta ſit infirmitas in mortali corpore, quàm occultæ, & callidæ procorum inſidiæ: quare cùm vehemẽter metuant, ne ſponſa, quam in lecto pigritantem, & ad ſponſi verba, ac vota difficilem audierant, aut deficiat à fide, aut in amore lãgueat, de muniendo illius animo contra tentationum vim, & machinas laborant. Debemus hoc Angelis, qui nobis, quando cum ſponſo in geniali ſeculo traducimur, Epithalamium læti modulantur; & ſi quis accidat caſus, qui fortunatas illas nuptias diſſociet, aut genialem curſum tranſuertat, nobiſcum, aut pro nobis familiariter dolent.

Plurimi è Patribus in ſponſa paruula Eccleſiam primitiuam agnoſcunt, quæ & ipſa tunc erat exigua, neque vbera habere videbatur lacte diſtenta, quo primogenitam ſobolem nutriret. Rupertus de Eccleſia hęc accipit, paulo tamen aliter exponit: nam de Eccleſiæ virtute, atq; conſtãtia putat adoleſcentulas illas dubitare; quid videlicet Neroni, aliiſque Tyrannis reſpondere poſſit, cùm de ipſius fide rogent, aut in illam aliquid moliantur hoſtile. Sed ſanè quæ ſequuntur, magis ad animam ſpectant ſingularem, quàm ad fidelium cœtum. Quid enim ſponſus Eccleſiæ tabulas minetur cedrinas, & anguſta clauſtra? & quæ deinde ſuccedunt.

Si murus eſt, ædificemus, &c. ſi oſtium, compingamus, &c.

THeodoretus hæc tribuit puellarum choro, qui docet, quænam ſint vxoris probæ partes in re familiari curanda: nempe, vt murus ſit, id eſt, quæ curet, & cuſtodiat, quæ in domo ſunt: quare dentur illi, quæ murorum ſunt ornamenta, & decora, ſcilicet argentea propugnacula. Porta item eſſe debet, quæ recondat, & claudat, quæ foris aduehuntur, & ideo quæ in portis pretioſa, illi quærantur, ſcilicet tabulæ ex cedro. Id videtur velle Theodoretus: alij alia multa, quibus, ne longus ſim, libenter ſuperſedeo, & accommodatè ad ſuperiorem explicationem arbitror hæc verba eſſe ſponſi, qui aliam quaſi legem fert iterũ in ſpõſam, quã vxoribus maximè commendatam eſſe oportet. Suprà inſinuarat cœleſtis ſponſus, duobus ſolere ſponſam à fide cõiugali, atque ab officio abduci, ſcilicet minis, & muneribus, nũc docet eiſdem debere in fide, atque officio contineri, muneribus ſcilicet, & minis. Si murus eſt vxor, id eſt, cõtra omnes machinas, & artes 56. Hiſtor. Fœminæ in fide, atque in officio continendæ donis, & minis.

munita, quæque nulli præbeat ad vrbem, id est, ad sponsi possessionem ingressum; quem si pulses, non strepit, nec respondet, neque aperitur, neque quemquam admittit, nisi disiectus; ornetur tã fortis murus, & excolatur, si fieri posset argẽteis propugnaculis. Et hoc significant suprà c. 7. *feminum iunctura fibulis vincta, quasi monilibus.* Propugnacula argentea fortasse illa sunt ornamenta colli, & capitis, qualia fuisse diximus ad illud cap. 4. *Sicut turris David, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea.* Inde pete. Si verò porta est, quæ omnibus peruia, quæ facilè versatur, & respondet pulsata, & aperitur, id est, quæ tentari facilè patitur, & vinci, claudatur tabulis cedrinis, atque ita claudatur, vt neque venire vnquam possit in hominum cõspectum, neque liberum spiritum trahere. Hæc quę sposus hîc obscurè, & figuratè indicat, apertè docet (Oseæ c. 2.) Oseę c. 2. qui sponsę, quę porta fuerat, & amatores omnes admiserat, minatur se tabulas cedrinas portis obiecturũ, quas *spinarũ* nomine significat. *Sepiam, inquit, viam tuam spinis, & sepiam eam maceria, & semitas suas non inueniet.*

57. Est, qui verba hæc ad procos, & amatores alios vulgares referenda putet, quasi ipsi secum modum exquirant, quo tentent, & expugnent puellarem fidem, atque constantiam. Sic autem illi inter se deliberant. Si sponsa hæc, cuius nos inflammat, ac sollicitat amor, murus fuerit, quem nullæ blanditiæ, aut amatoriç machinæ conuellant, faciemus illi argentea propugnacula, id est, quod illecebris aliis, aut precibus consecuti non sumus, id argenteis machinis, id est, pecunia, quę omni ariete multo potẽtior est, facilè consequemur. Quòd si ostiũ fuerit, per quod ingressus difficilis non est, si modò lenia illi ornamenta promittamus, tabulas videlicet cedrinas, aut nugarum aliquid, facilè ad eius animum aditum aperiemus. Et quidem expugnari puellarum pudorem, quantumuis illæ secura patrum custodia teneantur, docet omnium penè sæculorũ grauis, & acerba memoria. Vnus nobis Horatius satis exemplorũ suppeditat lib. 3. Carm. Ode. 16. Coniectat quidem hîc acutè, & ad rerum naturã, & fœminarũ ingeniũ accõmodatè: sed sanè hæc explicatio multa cõturbat, redditq; difficile id, quod statim de se prędicat spõsa.

Si murus est, ædificemus super eum 58. (Allegor. castitatis atque cõstantiæ præmium.)
propugnacula argentea.] Propugnacula murorum illorum corona sũt. Quare id videtur sponsus significare, coronandam esse animę sanctæ fidem, atque constantiam argentea corona, id est, splẽdenti, & cãdida, qualem nunc in cœlis gestant Beati. In hanc coronam vincenti propositam respiciunt animæ à diabolo, quasi ab adultero tentatæ, & viri sancti spe cœlestis præmij ad subeundum durum mortis certamen adducuntur.

Si ostium est, compingamus illud ta- 59. (Libertas malorum causa.)
bulis cedrinis.] Non est columba tuta, dum è cauerna maceriæ, vbi se tutò continebat, in locum illum euolat, vbi ab aquila, seu accipitre parantur insidiæ. Quare qui illi domum, aut fenestram obstrueret, neque liberam relinqueret exeundi facultatem, præclarè de columba meritus censeri posset. Id planè Dei consilium est, & zelotypi sponsi, dum hominem, quem opes, atque libertas perderent, quia audaciam pariunt, & impunitatem promittunt, sic expoliat, & nudat, vt

domi

domi se propter imbecillitatem, & inopiam continere malit, quàm aut hominum oculos subire, aut publicam lucem intueri. Hoc verè est oculum effodere, aut pedem abscindere, quia melius est in cœlum, id est, in sponsi thalamum, cæcum, aut claudum introire, quàm cum perspicacibus oculis, solidóque vestigio in gehennam contrudi. Quare sponsæ portam tabulis compingi cedrinis, aut spinis obsepiri viam, à beneuolo nascitur sponsi animo potiùs, quàm ab infenso.

Ego murus: & vbera mea sicùt turris.

60. Histor. AVdiuit sponsa indictam sibi legem, admittitque libenter, & sibi ad præstandum vxoris officium, satis esse animi, & virium ostendit. Ait ergo se esse murum, qui vim hostilem repellat, non admittat: & vbera, quæ immatura cõiugio, aut nulla potiùs esse chorus cecinerat, sibi esse satis, & ad thalamum plena, & ad arcendos hostiũ impetus fortia. Aptè verò vbera turribus assimilat, quia se priùs muro similẽ dixerat. Vt enim è muro turres, quæ illi & præsidio sunt, & ornamento, sic ex pectore prominent vbera, quæ in sponsa adeò constanti, ac fida, mollia non sunt, & tractabilia; sed adeò dura, & indomitę cuiusdam constantiæ plena, vt vim muneribus armatam non timeant.

Ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens.

61. Histor. OStendit iam sponsa, vnde nã tantam habeat animi, propositique firmitatem, Ex quo, inquit, sponsum habeo pacificum, locupletem, liberalem, atque omnibus rebus abundantem (id enim apud Hebræos valet *pax*) ego iam sum locuples, & cui ad omnem felicitatẽ nihil desit, nimirum coram ipso pacem reperiens. Quare non est cur quisquam speret me vinci muneribus posse, cum ab sponso plura acceperim, accepturáque videar quotidie munera, quàm quæ alius quicumque audeat offerre. Hîc verò se prodit nomen *Sulamitis*, quæ à שלם *Salam* deducitur, quod *pacem* valet; vnde etiam sponsus שלומה *Sclomoh*, id est, *pacificus*, statim appellatur. Ex quo ergo, inquit sponsa, Salomonis, id est, pacifici liberalitate id consecuta sum, vt Sulamitis sim, id est, pacifica, & quæ alienigena fueram, iam sim in Solymitanæ ciuitatis ius, & locũ vocata, omnia abundè suppetere mihi existimo. Quare amatores alios, si qui insidiari pudori meo volẽt, valere hinc procul, & omnino iubeo, quia murus sum, & non porta; & quæ ipsi putant mollitudinem habere, atq; blanditias vberum, turrium habẽt minas, atque duritiem. Pacem reperiens idẽ quod Sulamitis.

Quemadmodum c. 4. ad illud, *Vulnerasti cor meum soror mea, sponsa*; obseruauimus, vxorem in viri sui familiam, & genus vocari; sic etiam nunc verisimile existimamus, vxores relicto priori nomine assumere sibi nouum à marito; sicut apud Romanos, quæ Caio nubebat, Caiam se esse profitebatur, licèt alia fortasse significatione. Quę consuetudo cum ipso pene mũdo nata est: nam Adã, vt ab osse, & carne sua os dedit, & carnẽ vxori, sic etiã à suo nomine nomẽ indidit, & viraginẽ vocauit à viro. Et Isa. c. 4. hoc satis indicat, dũ dicit: *Apprehẽdẽt septẽ mulieres,* 62. Vxor à viro nomẽ accipit, & familiam.

virum

virum vnum, dicentes, panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur, tantummodo inuocetur nomen tuum super nos; aufer opprobrium nostrum. Quæ septem mulieres sine dubio nuptias appetunt vnius viri, vt apertè indicat illud, *Aufer opprobrium nostrum*: quia ea erat tunc hominum strages, vt vix pro septem fœminis vir vnus esset reliquus. Hæ ergo dicunt, non petere se, quæ à viris præstari solent, mundum népe muliebrem, & alimenta, sed tantùm, vt viri nomen in ipsis audiatur, id est, commune sit ipsis cũ viro nomẽ. Et hoc, meo iudicio, satis expressit Ezechiel cap. 16. apud quem Deus populo suo cùm exprobraret, quòd instar adulteræ post amatores alios abiisset, ait tanquam ad infidelem sponsam: *Et habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo*; id est, abiecisti nomẽ, quod à me viro quondam tuo acceperas, & resumpsisti tuum, quod in nuptiali pacto deposueras. Hinc in hoc Cantico peregrina sponsa abiecto patrio, ac gentilitio nomine, à Salomone Sulamitis vocatur. Neque ipsa abnuit; dum postquam pacificum suum vocauit sponsum, subdit; *Ex quo facta sum coram ipso, quasi pacem reperiens*, id est, pacifica.

Ezec. 16.

63. Neque existimo inuocationem mariti nominis super vxorem tantùm fieri duorum nominũ coniunctione, quorum alterum sit in genitiuo possessionis, vt, *vxor Nabal*, pro Abigail, *vxor Vria*, pro Bethsabee; licèt hoc frequentius; sicut nomen patris inuocatur super filios, vt, *filij Iacob, Moab*, &c. & nomina patronimica; sed etiam eiusdem nominis deriuatione, vt à Caio Caia, & hîc à Salomone Sulamitis, quocumque modo Salomonem accipias. Et sanè apud Hispanos vxores sæpè à viris nomen capiunt gentilitio relicto, maximè cùm ignobilis fœmina magni nominis viro nubit; quod in aliis quoque nationibus non infrequens. Neque inusitatum est, vt qui in aliquam familiam adoptantur, nomen quoque familiæ sibi assumant (vide Alex. ab Alex. libr. 5. Genial. cap. 4.) aut qui ab aliis aliquo insigni beneficio ornati sunt, beneficij gratam, & diuturnam fore memoriam nominis communitate testẽtur. Qua ratione Iosephus Iudęus dictus est Flauius, quia à Flauio Vespasiano magna consecutus est beneficia. Et S. Cyprianus Cæcilij sibi nomen adiunxit, quia à Cæcilio traductus est ad Ecclesiam. Denique omnibus ferme ætatibus, & nationibus commune est, vt serui honoris, atque accepti beneficij gratiâ nomen accipiant eorum, à quibus libertate donati sunt. Has omnes ob causas sponsa vocari potuit à sponsi nomine Sulamitis, seu pacifica; quòd à Salomone, seu pacifico, ornata est liberalissimè, quia ab illo nuptiali lege in familiam adoptata, & quia per illum libertatẽ, aut libertatis aliquam speciem consecuta est.

Eius aliquis nomen assumit, à quo beneficiũ accepit.

64. *Ego murus, & vbera mea sicut turris. Ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens.*] Anima, quæ sic est à Deo ornata beneficiis, vt nullum iam maneat antiquæ fortunæ vestigium; quæ à sponso locuplete, ac nobili id habet, vt nobilis, ac locuples sit, & à pacifico, vt pacificæ nomen, & titulos accipiat, si modò tãtæ humanitatis memor esse vult, inimicorum machinis, quæ fidem in Deum, & pietatem conuellere nituntur, sic se impauidè, atque constanter opponet, sicut murus pinnis, ac turribus instructus cõtra imbecillos, & fractos inimicorum assultus

Allegor. Beneficia animum in amore cõfirmãt.

fultus. Audacter ergo anima tot onerata, atque incitata muneribus se murum esse dicit, qui adulterorum machinis expugnari nō possit: neque sibi deesse vbera, id est, pectus, atque constantiam, à quibus nulla vis fidem, & amorem extorquebit, quem tot officiorum magnitudo munit, & inflammat. *Certus sum*, aiebat Paulus ad Rom. 8. *quòd neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, &c. poterit nos separare à charitate Dei.*

Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos.

65. Histor. DIxerat sponsa, habere se coniugem adeò copiosum, atque beneficum, vt à nemine sperare plura potuerit; quare insinuarat, fidem suam expugnari nō posse muneribus. Nunc ostendit, vsque adeò amabiles esse spōsi mores, vt, si deessent cætera, quæ vulgares amant, & venantur, super omnes tamen esset diligendus; quare cùm descripsisset dotalem vineam, qua coēmpta fuit, vt suprà latiùs cap. 1. laudassétque à prouentu, qui copiosissimus, & à loco, qui vberrimus est, nempe, in ea, quę habet populos, id est, in Baalhamon (nam cùm ager ille pinguissimo sit solo, eòque amœnissimo, quilibet de populo studebat, sibi vt esset in eo tractu possessio) nunc dicit, nolle se vineam illam, quia non propter vineam spōsum aut amat, aut colit. Quare habeat sibi sponsus vineam suam, & mille argenteos, quos puros sibi, & liquidos ex ea quotannis percipit deductis sumptibus, qui in vinitoribus operísque fiunt; tam longè est, vt capta promissis, quæ & exigua sunt, & plurimùm incerta, ab spōso deficiat, vt munus illud amplissimum, idémque iucundissimum libenter deserat, modò sponso frui liceat. Ideo subdit. *Vinea mea coram me est*; ac si diceret: Ille, quem ego intueor, pro vinea mihi est, imò pro omni commoditate, atque ornamēto, quem dum præsentem habeo, & vineam obliuiscor, & cætera contemno.

Amor nō mercenarius.

Hic sensus videtur omnium expeditissimus; aliqua tamen obseruanda. Primùm illud, *in ea, quæ habet populos*, esse explicationem nominis cuiusdam proprij, vbi sita esset dotalis vinea, vulgari Scripturæ more, quæ explicationē, seu notationem nominis vsurpat pro ipso nomine. Vide cap. 6. ad illud, *suauis, & decora*: vbi hac de re pluribus. Suspicor autem *Baalhamon*, seu, *eam, quæ habet populos*, locum esse trinominem: appellatur enim *Engaddi*, quia ibi sita erat olim ciuitas eius nominis, de qua Iosue cap. 5. Dicta *vallis Achor*, quia ibi turbatus, & cōfusus populus propter peccatum Achan. Ad hunc locum videtur planè allusisse Oseas cap. 2. dum spōsę fugitiuę promittitur vallis Achor; vbi etiam vinitorum meminit, sicut hîc noster author. Dicitur etiā Baalhamon, quia cùm sit locus ille tum aliorum, tum maximè balsami feracissimus, sortem aliquam ibi vel exiguam habere cupiebat quilibet de populo. 66. Baalhamon, Achor, Engaddi nomina sunt eiusdē loci.

Vinea fuit pacifico, &c.] Mercenarij est, atque ignobilis animi, capi potiùs munerum magnitudine, quàm amore illius, à quo profecta sunt; cùm nō tam donorum, quàm animorum momenta spectari debeant. Hoc docet rustica priùs, iam verò ex sponsi consuetudine, atque doctrina ingenua, & nobilis sponsa, quæ amoris coniugalis, & mystici 67. Allegor.

stici illustre quoddam documentum præbet, cui in sponsi conspectu sordet omnino vinea ad aspectum, & amœnitatem præclara, ad vsum opportuna; quam vltrò relinquit, mauúltque sponsi vsibus seruire, quàm suis. Neque enim quicquam habet, quod magis amet, aut auidiùs spectet, quàm spõsum suũ. In illo vno acquiescit animus, quia illo vno tantùm expleri potest; cætera autem tanquam vilia respuit, aut tanquam aliena non curat.

Vir affert pro fructu, &c.

68. Histor. Vir, pro quocũq;. VSitatus hic modus loquendi Hebr. nam, *vir*, sumitur pro quolibet. Laudat hîc sponsa datam sibi à sponso vineam dotis nomine, quam locabat agricolis, & vinitoribus, à quib. præter id, quod sibi propter labores, & sumptus retinebant, accipiebat quotannis mille argenteos ex pacto. Est ergo sensus: Quicumque conducit vineam (tanta est soli, atque plantarum bonitas) pensitat mille argenteos, & & sibi ducentos retinet. Quare magni æstimanda vinea est, quæ dominum, & vinitores satis alat abundanter.

Mille tui pacifici.

69. HEbraicè שלמה *Selomoh*, ex quo apparet verti posse, *pacifice*, in singulari, sicut communiter alij vertunt, quod etiam sentiunt, qui pro, *pacifice*, dicunt *Salomon*, (sed non est hic Salomon Rex, vt suprà pluribus probatum est.) Quibus præterea adde quòd pro Regia maiestate, amoréque tanto, quo sponsam prosequebatur, satis angusta, indignáque videretur illa dos (eo præsertim tempore, in quo argentum nullius pretij putabatur. 3. Reg. 10.) quę mille tantùm argenteos quotannis redderet. Ex vulgatis multi codices habent in singulari, *pacifice*, & in his Complutenses. Erit ergo sensus: O dilecte, reddo tibi vineam, qua meas nuptias emisti, tui tibi sint mille argentei; mihi sat est, si abs te amer: hæc mihi erit vinea; si id consequor, de aliis non laboro. Si tamen legas, *pacifici*, vt habent emẽdatiores codices, idem est sensus. Mille argentei erunt tibi pacifici, id est, si velis tibi habere, nõ multùm pugnaueris neq; enim op⁹ erit, vt mecum de vinea, aut eius annuo prouentu, iudicio contendas; iam ex hoc vltrò tibi, atque ex animo cedo.

His verbis describitur verus amor, qui non in sponso, vel amato quicquam spectat aliud, præter spõsum ipsum; ita vt quem nunc & locupletem amat, & iuuenem pulchrũ, atque robustum, eundem etiam amet inopem, & nudum, aut aliis siue naturæ, siue fortunæ dotibus spoliatum. Veri amoris signũ.

Quæ habitas in hortis, amici auscultant.

70. Testes in nuptiali cõtractu. SAtis constat ex historiis externos in contrahendis nuptiis adhibuisse testes, & tabellas. Docet Tertull. de velan. virgin. Quod fuisse etiam in vsu apud Hebræos colligitur ex Tob. c. 7. vbi dicitur accepta charta factam esse Scripturam coniugij: vbi necesse est, testes affuisse, sicut in aliis legitimis contractibus. Et clariùs Philo Iudæus lib. de specialibus legibus lõgè ante me

medium. *Sponſalia, inquit, tantundem valent, quantundem nuptiæ, quando in ſolemni amicorum conuentu mariti, vxoriſque nomina inſcribuntur tabulis.* Vide Eliam in Tisbi in voce כתבה *Chetubah.*

Poſtquam ſponſus ex hac oratione ſponſæ ſuæ animum ingenuum, & amorem nobilem agnouit, neque aliquid prætereа eſſe expectandum ad nuptias, hortatur, vt iam tandem quod extremum eſt in nuptiali myſterio, coram amicis, quales ſunt, qui honoris gratiâ nuptiis intererant, quíque futuri erant matrimonij teſtes, quàm poterit apertiſſimè, atque clariſſimè eius animi, atque voluntatis ſignum edat. Quod illa, vt eſt ſponſi amans, & ad nutum obſequens, quamprimùm præſtat, & quàm maximè poteſt feſtiuo, & amatorio cantico id petit, quod cupere ſe dixit in principio huius capitis: vbi optabat ſibi facultatem dari foris ſine pudore, & aliorum offenſione ſponſum exoſculandi. Quæ erat extrema pars huius actus, & amoris, & matrimonij confirmatio. Cùm ergo eò res eſſet deducta, vt liberè, ac ſanctè ſponſum ad oſculum, & complexum inuitet, facit id extremo iam Epithalamio, verbis quidem obſcuris, ſed maximè rem ſignificantibus, quæ mox explicabimus. Porrò in illis verbis, *Quæ habitas in hortis*, deſcriptio eſt ruſticæ puellæ, & nymphæ, quæ ſyluas, & mótes colit, quales ab externis poëtis vocantur Dryades, & Oreades: vel etiam ſponſa dicitur habitare in hortis, quia geniale illud ferculum, quo vehebatur ſponſa, conſtratum erat ramis, ac floribus, non aliter, atque amœniſſimus quidam hortus, in quo ipſa habitabat, ſic amœna, & florida, vt hortus concluſus dicatur alibi, & emiſſiones habere Paradiſi.

Amici auſcultant; fac me audire vocem tuam.] Si vera eſſet ſententia Abenezræ, qui admoneri ſponſam putat, ne coram amicis, id eſt, amatoribus aliis, atque riualibus canat, ne cùm puellaris vox amoris blanda conciliatrix ſit, illos ad ſui amorem potentiùs inflammet; ſanè optimum documentum eſt, quódque cenſeri debeat connubiale præceptum, quo monet ſponſam, ne garrula ſit, laudémque malit à ſilentio, & latebris, quàm à compti, atque vrbani ſermonis elegantia captare. Monet ergo, vt ſatis ſibi vel pretij, vel honoris habeat, ſi vni tantũ ſpõſo in ſeceſſu canat, & illi ſeruet tanquam parenti, aut domino, quicquid in ipſa ingenij, ac ſuauitatis eſt. Ait igitur ſponſus: Caue publicè canas, quia ſunt propè, qui auidis, atque ſitientibus auribus vocem excipiant; ita cane, vt ego ſolus audiam, ſatis tibi habeto, ſi vox tua in meis tantùm auribus reſonet. 71. Allegor.

Hoc porrò documentum viri ſpirituales ſæpe commendant his, qui Deo per ſpirituale connubium adhærere volunt: ne nimis indulgeant linguæ, aut animi ſenſus temerè omnibus euulgent; eum Deo ſæpius in conclaui, quàm de Deo publicè in compitis loquantur. Bernardus ad fratres de monte Dei in extremis verbis, præ omnibus hoc præcipuũ documentum præbet. *Bona ſua non ponere in ore hominum, ſed celare in cella ſua, & recondere intra conſcientiam, vt hunc quaſi titulum, & in fronte conſcientiæ, & in fronte cellæ ſemper habeat. Secretum meum mihi: ſecretum meum mihi.* Et facit ad hanc cogitationem, quod accommodatè ad hoc connubiale documentum ſponſa ſtatim ſubdit; *Fuge dilecte mi*; ac ſi dicat: Tibi vni canam, neque de aliorum iudicio, ac ſenſu quicquam curabo; ſed

Silentium maximè commendatũ ſponſæ Chriſti.

quò id commodè, & sine arbitris præstare possim, tu in montes secede veloci fuga, & eadem ego te festinatione prosequar. Quia verò mons, & solitudo, vbi anima cum Deo sermonem habet familiarem, locus est orationis, ideo appellatur *mons aromatum*, vnde gratus in cœlum exhalatur odor.

72. Sed quia in cortice diximus, admoneri potiùs sponsam, vt coram testibus canat, & publicè profiteatur, ac legitima forma, velle se cum sponso viuere, & coniugalem illi fidem seruare; aliter etiam mysticus sensus instituendus est. Est quidem pulchrum, & optabile secretò canere, & se, suáque omnia voluntati cõsecrare diuinæ; sed id habet incommodi, quòd si vehemẽs incessat tẽtatio, minùs habet contra illam patati præsidij. Facit enim interdum hominum tacita reprehensio, & infamiæ timor, ne quis ab obligata fide deficiat, aut vrgenti tentationi succumbat. Eam ob rem Religiosi viri in testium conspectu vota nuncupãt sua, & quam Domino fidem obligarunt, externa etiam specie, & certo vestitus genere profitentur. Hoc ergo nunc exigit Deus ab anima, quam secum in complexu, & tanquam sponsam in eodem thalamo sociam habere meditatur, vt non obscura voce, sicut antea in secessu, sed canora, & publica spectantibus aliis nouæ vitæ rationem, atque consilia profiteatur.

Vota Religiosi cur coram testibus emittant.

Aut certè sponsus aliis illud ingens gaudium impertiri vult, quod ex sponsa rustica priùs, & aliena, iam tamen ad thalami societatem adducta capiebat. Sicut inuenta drachma mulier vicinas, vt vnà secum gauderent, hortabatur: & quia gaudium est Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente, iubet vt sponsa coram Angelis qui proximè auscultabant, extremam, eámque suauissimam Epithalamij partem moduletur.

Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ.

ABenezra existimat, prohiberi sponsam canere coram amicis qui auscultant, ne illos vocis suauitate, quæ fœminis pro lena est, ad sui amorem, & ad instruendas amatorias machinas alliciat, vt dixit acutè quidam ex profanis: 73.

Histor.

Fœminarum cantus maxima ad libidinem illecebra.

Pro lena multis vox sua sæpe fuit.

Athenęus quidẽ eam ob causã docet meretrices musicam solitas edoceri. Et Horatius lib. 4. Carm. Ode. 13. de quadam meretrice ait:

Et cantu tremulo pota Cupidinem
Lentum sollicitas.

Vide quæ in hanc sententiam dicit Cyrillus Alex. ad illud Isaiæ cap. 23. *Velut cãticum meretricis.* In *amicis* autem riuales, & amatores intelligit. De hac sententia pluribus in sensu motali. Rab. Anonymus putat pudicam sponsam nolle ea amoris signa præbere sponso spectante populo; quare orat, vt fugiat ad solitudinem, ad montes aromatum, & ibi vni canet sponso, suámque illi pulchritudinem ostendet. Sed quia hæc legitima videtur, & extrema ceremonia in his sacris nuptialibus, quæ cùm ex more testes habere debeat, non bene in solitudine exhiberi potest; quare aliter dicendum.

Quia sponsus in hortis habitare dixerat sponsam, ideo ipsa ab eadem metaphora non abludens, orat, vt quamprimùm, & quàm maxima celeritate poterit, in hortum veniat, id est, ad se, quæ mons est aromatum, 74.

ea ce-

ea celeritate, qua ceruus solet ardua montium saltu superare. Id verò petere videtur & voce, & signis, vlnis videlicet ad amplexum obuiis. Est enim mihi verisimile, in Dramaticis canticis, quale est hoc nostrum, non solùm aliquid alternis cani, sed etiã id fieri cum hilari aliquo, ac religioso corporis motu: quod sonat vox ipsa, *Drama*, quæ actionem aliquam adiungit voci. De Essenis certè tradit Philo de vita contemplatiua; *hymnos in laudem Dei compositos solere cantare variis metrorum, carminúmque generibus: nunc ore vno, nunc alternis, non sine decoris, ac religiosis gestibus: modò stantes, modò prorsum, retrorsúmve gradũ mouentes.* Hæc Philo de vita contemplatiua ad finem. Et Plutarchus in Sympos. 7. quæst. 8. tradit Dialogos Platonis, partim narratione, partim actione quadam constare; qui ideo Dramatici vocantur. Sic arbitror hîc ab sponsa ad amplexum vocari sponsum, non solùm cantu; sed etiam accommodato ad eam rem corporis habitu, & gestu. Cæterùm illud, *fuge*, idem est quod *accelera*. Hebr. enim vox ברח *Barach*, non solùm *fugere*, valet, sed etiam *festinare*. Et verbum Latinum *fugere*, non semper significat celeritatem adhibere ad declinandum malum; sed aliquando simpliciter cursum, & festinationem: vnde *fugientes anni* dicuntur, & *fugientia vina*, & *fugax* pro veloci, *fuga* pro cursu, atque volatu, quorum exempla passim obuia. Nam quia fuga cum festinatione plerunque cõiungitur, non incommodè fugere dicitur aliquis, cùm festinat: imò, *fugere*, & *fuga*, non solùm festinare significant, sed etiam inuadere; quod magis ad nostram explicationem facit. Sic Virgil. Æneid. 12. de Ænea Turnum insequente:

In Dramate adhiberi solitus motus, & gestus.

Fugio, idẽ quod festino.

——— *quoties oculos conuertit in hostem,*
Alipedúmque fugam cursu tentauit equorum;
Auersos toties currus Iuturna retorsit.

75. *Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ, hinnulóque ceruorum.*] Chaldæus in hac sponsi fuga ad montes aromatum, ascensum Dei in cœlos agnoscit, & in capreis, hinnulísque ceruorum aliquid arcanum, & mysticum. Putat enim capream, cùm dormit, alterum habere oculorum apertum: quare non videtur tota omnino dormire, & ceruum, cùm venatores fugit, quatumuis vrgeant canes, retorquere tamen interdum oculos, & respectare illos, qui post tergum incumbunt. Sic ergo videtur sponsa (quæcunque illa sit; nam Chaldæus Synagogam putat) sponsum orare, vt quamuis se à nobis in cœlum abducat, ad montes videlicet aromate fragrantes, non tamen ita in illo deliciarum secessu dormiat, vt non saltem vnum seruet oculorum apertum, quo nos assiduè, nostráque prospectet: aut in illa sua veloci fuga reflectat identidem caput ad illos, quos in duro certamine laborantes reliquit. Hæc sanè pia est explicatio, & oratio his, qui durè conflictantur, satis accommodata; sed illud de caprea vereor, ne parum sit ad historicam fidem. Et quod de fuga, discessúque ab sponsa traditur; nescio, quomodo præsenti rerum articulo videri possit opportunum.

Allegor. Deus præsẽs est nobis, etiam cùm abesse videtur

76. Ego, vt in historico sensu magis probaui, existimo in hac postrema scena sponsam id petere, quod in principio cap. 8. cupere se dixit: *vt inueniam te foris, & deosculer te.* In *osculo* verò, vt pluribus ostendimus cap. 1. ad illud, *Osculetur me osculo,* ea significatur animorum communio, vt

nulla videatur explicari posse coniunctior. Nam per osculum animæ quodam modo in amantium corpora transpirantur: & amantes in suo iam corpore mortui, in eorum, quos amant, corporibus viuunt. Viuere ergo vult sponsa deinceps in amato, & rursus vt amatus in se ipsa viuat, optat, & petit, idque adeò sitienter, vt in sponso cupiat ceruorum, atque caprearum fugam. Neque enim amor, qui intimis amantiũ visceribus insedit, vllam molitur, aut in alio patitur vllam esse moram. Sicut autem cerui, atque syluestres capræ, quæ in montibus pascuntur, aromatũ odorẽ habeat suauissimũ, aut ex ore, quod fragrantes imbuerunt plantæ; aut ex villis, qui assiduo affrictu ad stillantes frutices cum stacte, & gutta, quibus deliburi sunt, odorem quoque gratissimum contraxêre; sic quoque sponsus in montibus aromatis assiduus, & totus ipse fragrans, purissimos in sponsæ viscera per osculum inspirat anhelitus, qui ipsam quamcumque in partem sese det, spirare faciunt, quam libauit à sponso, suauissimam animam. Cuius rei documento nobis est Paulus, qui postquam per osculũ Christi hausit, & combibit spiritum; sic animatus est ab illo, vt non iam ipse in se, sed Christus viuat, ita vt in Paulo alium videas, alium audias, viuentem quidem in Paulo, à Paulo tamen natura, & maiestate diuersum *Viuo autem*, inquit, *iam non ego, viuit verò in me Christus*; ad Galat cap. 2. Paulus ergo, quia spiritum hausit Christi, Christum aspirabat, Christũ olebat: *Christi*, inquit, *bonus odor sumus* Hoc est extremum in his Cãticis, quia etiam est extremum in amore. Quare nihil potuit ad extremum adhiberi cõmodius, quàm id quod extremum esse debuit in sponsæ votis; & quod maximè prodit, amabilémque probat sponsi cœlestis mitissimum ingenium.

Amoris ardor, & summa rerum omnium cõmunicatio.

Hæc mihi visa sunt in re tam varia, obscura, & impedita, quæ sibi ipsis connexa, atque consequentia dici possent: quæ sanè soluta, & seorsum ab aliis sensus habent alios pulchros, & acutos; sed non semper valdè cum textus cohærentes. At quo alio modo vinciri commodiùs possint non video. Det vtinam Deus, qui in hoc Epithalamio sacro sponsus, & author est, vt ad eius thalamum super montes aromatum adsciti, in dulcissimo, purissimóque cõplexu quiescentes, Canticum verè Canticorum ad eius gloriam, & laudem in æternum cantemus. Quicquid verò à me nõ solùm scriptum; sed etiam cogitatum est, sanctæ Romanæ Ecclesiæ, doctorúmque hominum censuræ subiectum esse etiam, atque etiam volo.

ARGV-

ARGVMENTVM IN PSALMVM LXVII.

PSALMVS hic, si in toto Psalterio quispiam alius, sic est difficilis, vt post longas, accuratasq́; multorum commentationes aliquid semper occurrat obscurum, in quo laborare, atque exerceri possint posterorum ingenia. Sunt sanè in aliis Psalmis quædam obscura, vel quia in singulis aliquid est, quod non facilè intelligas; vel quia posteriorum cum prioribus non apparet, quæ possit esse facilis, & apta consecutio. At hîc sunt prorsus omnia, vt plena mysteriis, sic etiam offusa tenebris, aut interrupta salebris, siue singulos versus seorsũ explicare, siue alios aliis velis aptè contexere. Neque ego tantùm tribuo labori meo, vel ingenio, vt sperem consequi me posse, quod alij fortasse consecuti non sunt; neque ea spe Psalmi huius difficillimi commentationem aggredior: sed cùm in Canticis exponendis viderem ex hoc Psalmo in illud Epithalamium multa esse translata quæ lucis plurimùm essent allatura rebus non parùm obscuris, fore putaui ex eorum vsu, qui Cantica Canticorum adire vellent, si Psalmum istum, quasi diuini illius connubij pronubum, aut socium adhiberem, qui faces præferret illis nuptiis, & tenebras (nam noctu Hebræorum ritu nuptiæ fiunt) ab illo sacro Epithalamio aut discuteret, aut aliqua saltem ex parte minueret. Tria verò præcipuè facit hîc diuinus Psaltes, commemorat primùm illa beneficia, quibus populum antiquum prosequutus est Deus, ex quo ex Aegyptia seruitute liberatus ad promissam sibi hæreditatem ingressus est; deinde ad diuinam virtutem, ac liberalitatem excitata populi memoria, eum ad bene sperandum erectum esse iubet, monétque vt precibus diuinam in se misericordiam sollicitet. Et tandem orat Deum, vt in eundem populum debellatis hostibus beneficus esse pergat. Porrò Psalmus iste, & Epinicium dici potest, id est, triumphale canticum; quia victoriam canit de hostibus diuina virtute superatis; & Epithalamium, quia ea esse canitur in populum liberalitas, & indulgẽtia, qualis esse solet ab humanissimo; atque amantissimo spõso in sponsam, quam & amat vnicè, & ornat splendidè.

PSAL. LXVII.	PARAPHRASIS.
1 EXVRGAT De⁹, & dissipẽtur	1 SICVT olim Moyses aggressurus iter, adesse sibi Deum, &

viæ ducem, & tanti agminis Imperatorem precabatur: sic ego nunc oro, vt Dominus nobiscum exurgat, hostésque suos dissipet, ac perdat: & qui iniquo sunt in ipsum, atque hostili animo, vrgente Deo ante faciem eius vertantur in fugam

tur inimici eius: & fugiant, qui oderunt eum, à facie eius.

2 Sicut perflante vento vanescit fumus, & ab igne liquefacta cera defluit, sic peccatores ante Deum, quẽ experientur inimicum, tabescant, & pereant.

2 *Sicut deficit fumus, deficiãt: sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei.*

3 Iusti verò, quorum Dominus causam, & patrociniũ suscipit, exultent præsente, atq; fauente Deo, non secus atque illi, qui splendidæ accũbunt, ac geniali mensæ: exultent, inquam, ex animo, ac seriò sub tanti Imperatoris auspiciis.

3 *Et iusti epulentur, & exultent in cõspectu Dei: & delectentur in lætitia.*

4 Cantate igitur Domino triumphale canticum, & in eius laudem epinicium canite. Occurrite festiui, & ad Regium incessum viam expedite ei, qui parentum memoria triũphans per Occasũ, id est, per Arabię desertum inuectus est, hic nempe est, qui magno suo merito Dominus appellatur.

4 *Cantate Deo, psalmum dicite nomini eius: iter facite ei, qui ascendit super Occasum: Dominus nomẽ illi.*

5 Exultate in conspectu Domini, eo tamen exultate spiritu, vt neque interim aut timor absit, aut obseruãtia. Quoniam miserorum, atque inopum patronus est, ac vindex: pupillis enim pro patre est, & viduarum causam contra vim, & calumniam potentium defendit.

5 *Exultate in cõspectu eius, turbabuntur à facie eius, patris orphanorum, & iudicis viduarum.*

6 Deus, qui in loco sancto suo, siue ille Templum sit, siue cœleste domicilium, cum maiestate sedet, non abiiciet aut suorum tutelam, aut mi-

serorum

6 *Deus in loco sancto suo: Deus, qui inhabitare facit vnius*

moris

moris in domo.

ſerorum patrocinium: imò ſic amat, & amplectitur, ſicut ſponſus eam, quam ſecum habet thalami conſortem. Notum eſt autem ſponſam eiuſdem animi, vnius moris, eiuſdē dignitatis in eadem domo cum ſponſo futuram eſſe participem.

7 *Qui educit vinctos in fortitudine, ſimiliter eos, qui exaſperant, qui habitant in ſepulchris.*

7 Deus hic eſt, qui quos arcta Pharaonis vincula fortiter ligabāt: quos dura premebat, & inimica ſeruitus, eduxit tamen inde, & in libertatem, ac requiem vocauit. Neque ingeniū peruicax, & rebellis animus illorum, qui propterea percuſſi à Diuina manu ſcelerū vltrice, in ſepulchris dormiunt in deſerto; retardarunt animū ad lenitatem, & indulgentiam pronum, quominus ipſos eiſdem quoque ornaret beneficiis.

8 *Deus cùm egredereris in conſpectu populi tui, cùm pertrāſires in deſerto.*

8 Satis ſe oſtēdit, ô Deus, & tua in hominem humanitas, & hominis ſtupor, atque veſania. Cùm eo illi tempore pertinaci, atque indocili animo mandata reſpuerent Diuina, quando abs te in illorum vſus noua quotidie naſcebantur officia: neque ideo in deſerto, vbi ipſi toties peccauerunt, & optimi ducis, qui agmen antecederet, & ſponſi, qui ſponſam molliter amplecteretur, & ornaret, ſtudium abiecisti.

9 *Terra mota eſt; etenim cœli diſtillauerunt à facie Dei Sinai, à facie Dei Iſraël.*

9 Cùm Dominus populum ex Ægyptia ſeruitute reſpirantem præcederet, terra grandi, atque inſolito concuſſu contremuit. Cœli tunc à facie Dei ſtillare viſi ſunt micāte fulgure; increbreſcente tonitru, & ipſa cœlorum ſpecie terrores, ac minas intentante. Srillauit quoque Sinai mons, ac viſus eſt tremere à facie Dei, Dei Iſraël.

10 Inhortuerunt olim tonitrua,& grando, & discurrētia fulgura super hostes Ægyptios; pluuiā, verò benignam, qualis optari poterat agro sitienti ad vberē prouentum, hæreditati tuæ reseruasti. Quæ si quando lāguere, aut sitire contigerit, opportuno de cœlo subsidio renouabis.

10 *Pluuiam voluntariā segregabis Deus hæreditati tuæ: & infirmata est, tu verò perfecisti eam.*

11 In hæreditate sic tua, benignitate perfecta greges tui, ô Deus, abūdè, ac liberè pascentur. Gregem appello populum pauperem, & afflictum, cui tu Domine stationem tutā, & salubrē, & opportunū, ac dulce pabulum præparasti.

11 *Animalia tua habitabunt in ea: parasti in dulcedine tua pauperi, Deus.*

12 Accipiet Deus capitiuum quōdam populum, ac durè vexatum, eo prorsus modo, quo à sponso noua coniux ornari solet, cuius tam erit profusa liberalitas, vt virginibus, quæ nuptiale carmen de more cantant, copiosum, ac nobile argumētum præbeat; quod satis dignè celebrare non possunt, licèt in illud studium virtute multa, id est, quàm maximè neruis, vocibusque contendant.

12 *Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa.*

13 Hoc est, quod Dominus virginibus psaltriis verbum, siue argumētum ad cantandum dabit: ô Rex virtutum, & bellator egregie, ô Rex, id est, sponse populi vehementer dilecti; ô spoliorum ad speciosæ domus ornamentum, & gloriam, munifice diuisor. Quæ omnia quàm bellissimè in tanti Regis potentiam, amorem, & liberalitatem conueniunt.

13 *Rex virtutum dilecti dilecti; & speciei domus diuidere spolia.*

14 Si vobis inter agrorum terminos dormire contingat, & rusticæ vitæ incommoda subire, ex qua fuscetur facies, & trahantur sordes, ea vos mūditie nitere faciā, vt cū argenteæ columbæ

14 *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius*

si eius in pallore auri.

columbæ candentibus pennis de colore certetis. Quibus pro duro, ac sordido cubili in humo nuda aureũ succedat reclinatorium, in quo posteriora dorsi, scapulæ nempe, placidè, & cum dignitate requiescant.

15 *Dum discernit cœlestis Reges super eã, niue dealbabũtur in Selmon, mons Dei, mons pinguis.*

15 Dum cœlestis Deus ad sponsæ dignitatem, auríque pallorem Reges,id est, quos sibi spõsæ loco habere volet,euocauerit,si atri fuerint sicut Selmon, ita tamen mundabit, dealbabitque, ac si eos candor niuis asperserit. Deducetur enim populus antè ærumnis, atque illuuie sordidus è loco horrenti,ac sterili ad mõtem Dei,qui pinguis est,& amœnitatis eximiæ.

16 *Mons coagulatus, mõs pinguis: vt quid suspicamini montes coagulatos?*

16 Mons,inquam,Dei pinguis est, & propter pascuorum bonitatem, & abundantiam lacte manans, & coagulatus.Neque est vir quisquam qui reliquos montes fœcundos suspicetur, si ad montem istum Dei oculos, cogitationémve conuertat.

17 *Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.*

17 Mons hic est, quem ex omnibus vnum Dominus elegit, in quo stabile sibi domicilium in æternum locaret.

18 *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantiũ; Dominus in eis in Sina in Sancto.*

18 Quia nuptialem in modum populum suum Dominus tanquam sponsam in geniali curru, seu ferculo traducet: quod faciunt in hymenæo plausu noui coniuges, ideo currrum suum in illum vsum adornabit Deus, quem stipabit numerosa hominum multitudo; & in his plurimi, qui cantu, atque

G.Sanctij Comm.in Cant.

ſymphonia Regium illum,& genialẽ inceſſum ornent, & exhilarent. Neque aliter cum pſallentium millibus ad templum,quod ſponſi domus eſt, populum ad ſponſæ morem, Dominus inducet,quàm olim in Sinai mõte, vnde nuptialis illa pompa progreſſa eſt.

19 Aſcendiſti, ô Domine, in ſublimem illum currum, in quem tecum captiuum antè populum ſuſtuliſti,& (vt fieri in nuptiis aſſolet) accepiſti dona, quæ in frequentem illam turbam effunderes,quæ currum ſubſequitur, & triumphalem illum curſum cohoneſtat.

20 Et qua es benignitate, ô Domine,rebelles etiam, neque tuis credentes,aut obſequentes mandatis,in currum tecum aſſumpſiſti, vt cum illis in eadem domo ſimul habitares.

21 Singulis igitur diebus feſtiuæ Deo concrepent laudes, qui cùm is ſit,à quo vno ſola poſsit obtineri, & ſperari ſalus,efficiet, vt proſpera ſemper ingrediamur via, & omnia nobis ex voto ſuccedant.

22 Deus noſter Deus ſalutis eſt, qui tanquam ſtrenuus, & robuſtus bellator egreditur, vt nobis ſaluti, hoſtibus autem idem exitio ſit.

23 Exitio,inquam, Deus hoſtibus ſuis duntaxat erit, quorum capita victoris in modum conculcabit (quæ verticem capillatum appello) qui idola colunt, & nefariis indulgẽt ſacrificiis.

23 Si hoſtes fuerint Gigãteâ proceritate, ac robore, qualis fuit Og Rex Baſan, conuertam in profundum

19 *Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem, accepiſti dona in hominibus.*

20 *Etenim non credẽtes inhabitare Dominum Deum.*

21 *Benedictus Dominus die quotidie:proſperum iter faciet nobis Deus ſalutariũ noſtrorum.*

22 *De⁹ noſter, De⁹ ſaluos faciẽdi, & Domini Domini exitus mortis.*

23 *Veruntamen Deus cõfringet capita inimicorũ ſuorũ,verticẽ capilli perambulantium in delictis ſuis.*

24 *Dixit Dominus: Ex Baſan conuertam, in*

conuertam in profundum maris.

dum maris, ibique demergam, quemadmodum olim Pharaonem, & Ægyptium agmen in mari Rubro.

25 *Ut intingatur pes tuus in sanguine: lingua canum tuorũ ex inimicis ab ipso.*

25 Ea strage Dominus aduersariorum agmina concidet, vt eorum sanguine imbuta referat vestigia, & ab eodem sanguine canum etiam intingatur lingua.

26 *Viderunt ingressus tuos Deus, ingressus Dei mei; Regis mei qui est in sancto.*

26 Nũc ad interrupta in populum tuum beneficia reuertor. Viderunt, ô Domine, vel tui, quos tecũ victores, & exultantes circumducebas; vel etiã alieni, quibus deletis, expeditũ cursum tuis aperuisti, quomodo Regio planè incessu, & geniali plausu in tẽplum tuum, id est, nuptialem thalamum ingressus fueris: vbi nunc habitas tanquam in proprio, atque stabili domicilio.

27 *Præuenerunt Principes coniuncti psallentibus, in medio iuuencularum tympanistriarum.*

27 In eo triumphali, & quasi geniali progressu, qui Principes appellantur (hi verò noui coniuges sunt; ad quorum similitudinem instituta videtur triumphalis ista pompa) reliquæ turbæ symphonicæ permixti, in cantando præeunt, quibus aut accinunt, aut succinunt cantores alij, & tympanistriæ virgines.

28 *In Ecclesiis benedicte Deo Domino, de fontibus Israël.*

28 Sic autem illi cantorum, & turbæ triumphantis, & exultantis Principes, ad cantores alios, & concrepantem chorum. O vos, qui de Israëlis semine prognati; & ab eo quasi fonte deriuati estis, in omni conuentu, ac loco diuinas laudes personate.

29 *Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu.*

29 Tunc impletum est, quod de Benjamin cecinit Moyses imminente iam morte: dormiturum nempe in sinu Domini tanquam in sponsi

complexu, ſicut ſponſa, cuius caput in ſomno dilecti ſui læua ſuſtentat; ducetur enim in curru ſoporatus, & in mentis exceſſu.

30 In horum cœtu Principes fuerunt, & duces, qui ad tribum Iuda, Zabulon, & Nephthali genus referunt ſuum.

30 *Principes Iuda, duces eorum: Principes Zabulon; Principes Nephthali.*

31 Mitte, Domine, fortitudinem tuam, quæ nobiſcum adſit, & nobis præſit, & hactenus collata beneficia tuere, & in poſterum etiam, atquq etiam auge.

31 *Manda, Deus, virtuti tuæ: cōfirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.*

32 Si virtutem tuam nobis auxilio mittas, Reges, qui per te victoriam conſecuti fuerint, ereptam ex hoſtibus prædam, ad templi tui fabricam vltrò conferent.

32 *A tēplo tuo in Ieruſalem tibi offerent Reges munera.*

33 Increpa, Domine, ac perde homines callidos, & immites, qui inſtar ferarum, atque ſerpentium in arudineto latent; qui ſunt congregatio quædam populorum, qui taurorum inſtar cum vaccis laſciuiunt, quique eo armati ſunt conſilio, vt ex terra promiſſionis, aut è viuis excludant, qui tibi ex omnibus probati ſunt, & electi tanquam argentum.

33 *Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum, vt excludant eos, qui probati ſunt argento.*

34 Diſſipa, Domine, gentes has bellatrices, quibus ſanguis, & cædes ſtudio, ac voluptati eſt. Tunc verò ex Ægypto domita humiles ad te legati venient, & quamprimùm Aethiopia ſupplicibus abs te manibus, ac votis pacem, & veniam petet.

34 *Diſſipa gentes, quæ bella volunt: veniant legati ex Ægypto: Æthiopia præueniet manus eius Deo.*

35 Regna terræ, vbicumque gentium vobis eſſe contigerit, laudate Deum, illique ceruicem rebellem antea,

35 *Regna terræ cātate Deo: pſallite Domino.*

36 *Pſal*

antea, atque indomitam submittite; psallite inquam mecum, & illustria Domini facta celebrate.

36 *Psallite Deo, qui ascendit super cælum cæli ad Orientem.*

36 Psallite Deo, qui in cœlorum summo triumphator inequitat ad Orientem, in ea videlicet parte, quam maximè complet, & illustrat Sol.

37 *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis, date gloriam Deo, super Israël magnificentia eius, & virtus eius in nubibus.*

37 Timete Dominum, ô populi barbari, neque contra Israël quicquam molimini; nam pro Israël Dominus de nubibus pugnat, in quibus ipse terribilis, ac magnificus est. Inde enim horribiles ciet sonitus, tonitrua dico, & quæ cum tonitruis vibrantur fulmina, quæ vox sunt Domini, qua homines deserti officij, ac pietatis admonet.

38 *Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israël ipse dabit virtutem, & fortitudinē plebi suæ: benedictus Deus.*

38 Vt quondam Deus Israël pro populo dimicauit à nubibus, sic etiam nunc de sanctuariis suis egredietur, populóque ad tanti ducis imperium incitato, atque alacri animum ad pugnam, atque virtutem dabit. Benedictus igitur sit Deus, qui tot bonorum nobis author est.

EXPOSITIO IN PSALMVM LXVII.

1. IN *finem Psalmus cantici David.*]In huius Psalmi titulo illud videtur obseruandum, cur *Psalmo* nomẽ *Cantici* adiunctum sit; quod non solùm hîc fecit noster Psaltes, sed etiam alibi sæpe, licèt cum aliquo discrimine: nam interdum eadem illa nomina Psalmis, non tamen eodem semper ordine præfiguntur. Modò enim inscripti sunt *Psalmus cantici*, modò, *Cãticum psalmi*; sed eadem, meo iudicio, est in eadem varietate sententia.

Synonyma cum epitasi. Genebrardus in Psal. 107. putat hac coniunctione duorum nominum significari Psalmi præstantiam: nam cùm duo nomina substãtiua, inquit, eiusdem significationis, syntacticè coniunguntur, eximium aliquid significatur; vt Genes. 2. Adam formatus dicitur *de limo terræ.* i. limo purissimo. Et Psalm. 39. vbi vulgatus *de luto fæcis*, Heb. *de luto cœni*, id est, copioso: quo sensu sæpe in S. Scriptura dicitur *terra pulueris*. Iuxta hæc titulus iste indicat eximiũ esse Psalmũ; neq; mihi displicet: nam vocis geminatio, vt pluribus ostendimus 1. c. Cant. v. 1. epitasim habet, & eadẽ propè est vocis, licèt non eiusdem, idem tamen significantis geminatio. Idem Genebrardus in Psal. 29. docet Canticum tantùm ore proferri sine instrumento musico; at verò Canticum psalmi voce, atque instrumento simul. Sed putat, quãdo præponitur in titulo Canticum, ita vt inscriptio sit, *Canticum psalmi*, vocem præire, & instrumentũ succinere; contrà cùm Psalmus præponitur, instrumentum præcinere, & humanam vocem sequi. Idem cẽset Marcus Marinus in voce מזמור. Hieron. epist. 139. ad Marcellã absolutè dicit, Psalmos adiuncta ad organum voce solere cantari. Mihi hac in re nihil certum est, & quod Genebrardus, & Marinus docent de præeunte voce, cùm in titulo *Cantici* nomen antecedit, valdè videtur incertum: imò contrarium videtur posse colligi ex hoc Psalmo, qui cum *Psalmus cantici* inscribatur, voces tamen præcedunt, & instrumenta succinunt.

Secundùm Hieronymum, qui locum illum; *Præuenerunt Principes coniuncti psallentibus*; sic reddit, *præcesserunt cantores*, Hebr. שרים, *deinde psallentes*: Hebr. נגנים. i. *instrumentũ pulsantes.* & ita cõmuniter cõuertunt alij; & suprà v. 5. ordine mutato Canticum psalmo præponitur, & iterum v. 33. illud certius, licèt non omnino perpetuum, vocem שיר, Latinè *Canticum*, accõmodari rebus lætioribus, nempe cùm celebratur victoria, extollitur diuina potẽtia, aut aliquid canitur festiuum, & illustre, quod facilè credet, qui paulo attentiùs legerit Psalmos 29. 64. 65. 66. 74. 75. 82. 86. 107. in quibus ferme omnibus, qui afflicti sunt, & durè

2. Cãticum in rebus lætis.

durè vexati, liberati dicuntur, & exaltati diuina virtute; atque adeò in eodem propè argumento versantur, in quo noster hic Psalmus. Hoc tamen, vt dixi, perpetuum non est: nam Psalm. 87. & canticum Moysis, Deut. 32. cùm *Cantici* nomen præfixum habeant, nihil continent lætum.

3. Auxilium diuinum implorandum. *Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius.*] Solemne erat populo Hebræorum, & pene legitimum, vt liquet Num. 10. vt cùm mouerentur castra, præcederet Arca Dei, quasi castrorum dux; quæ cùm primùm eleuaretur, dicebat Moyses verba hæc, quæ inde petita in hunc Psalmum transtulit Dauid. Vt autem spem totam in Domino locarat Moyses, cuius virtute dissipandos hostes, & in fugam vertendos prædicabat; sic eosdem Dauid à Deo dissipatos, in fugámque conuersos, & instar ceræ igne liquefactos euanuisse, toto hoc Psalmo copiosè, & eleganter canit. Ex quo non leuis coniectura sumitur, totum hunc Psalmum institutum esse ad commemoranda beneficia omnia, quibus antiquum populum Deus prosequutus est, ex quo ab Ægyptiaca tyrannide solutus in sedem iam certam, multis commoditatibus, atque deliciis affluentem tandem euasit. Quòd verò tempore vtitur futuro, quasi hostes dissipati non sint, sed adhuc dissipandi, significat vel id quod Moyses, cùm Arca eleuaretur, solitus esset precari, satis abundè Deum præstitisse; commemorat enim vt Deus vltus sit inimicos, vt populum ex multis difficultatibus, atque adeò ex ipsis propè sepulchris incolumem extraxerit, vel sanè, quod puto verisimilius, orat vt idem sit nunc in posteriorē filiorum, qui in priorem parentum ætatem extitisset.

Et iusti epulentur, & exultent.] Hæc est altera pars Psalmi; nam vt facilè legenti constabit, in priori Dei potentiam in debellandis hostibus, liberandísque filiis prædicat; in posteriori verò liberalitatem, atque indulgentiam in his fouendis, ornandísque significat. Porrò hoc & præcedēti versu notandū est, imperatiuū in S. Scriptura vsurpari solere pro futuris, maximè in Prophetis, quale est illud Isai. 47. *Tolle molam, & mole farinam: denuda turpitudinem tuam, reuela crura*, &c. sic etiam hîc, *exurgat, & dissipentur, epulentur*, &c. per futurum explicanda sunt, *exurget Deus, & dissipabuntur.* Est autem vsitatum, vt cùm hostibus aliquid imprecamur mali, nobis aliquid optemus boni, & contrà. Iudic. c. 5. v. 31. *Pereant omnes inimici tui Domine: qui autem diligunt te, sicut Sol in ortu suo splendet, ita rutilent.* 4.

Cantate Deo, psalmum dicite nomini eius.] Hinc apparet, quàm parum referat, siue in titulo Cāticum psalmo, siue contra Psalmus cantico præponatur: cùm enim in Psalmi huius titulo præcessisset Psalmus, nunc cantus antecedit, quod etiā infrà fit. v. 33. Porrò *Dei nomen*, pro Deo sumi, in Psalmis esse frequētissimū multis docuimus ad illud c. 1. Cant. *Oleum effusum nomen tuum.* 5.

Iter facite ei, qui ascendit super Occasum.] Triumphātem inducit Dominum, & equitantem: Hebr. enim pro *ascendenti*, est לרכב. Quare iubet vt omnes occurrant, sternántq; viam per quam triumphalis illa pompa incedere fingitur: vel frondibus, & ramis, vel etiam vestibus in illud officium sponte detractis, vel odoribus toto illo tractu suauiter halantibus, aut sanè sublatis offendiculis, quæ retardare poterant inceden 6.

cedentem. Cur verò Deus dicatur ascendere, vel equitare super Occasum, non omnes idem sentiunt. Pro *Occasu*, Hebr. est ערבות *Araboth*, quod multa significat. Hebræi *summũ cœlorũ* interpretantur, vel quia in eo multę delicię sunt, & dulcedines, vel quia ab stellis desertũ est; vtrũq; enim vox Hebraica valet. Hieronymus vertit, *per desertũ*, Septuaginta, *super Occasum*. Sed existimo idem intellexisse Hieronymum, & Lxx. nam vox Hebraica *desertum* significat; desertum autem illud in Arabia est, quæ Occasum significat, teste Hieronymo in illud cap. 4. ad Galat. *Sina mons est in Arabia*.

Occasus pro Arabia seu monte Sinai.

Ex quo existimo agi hîc præcipuè de his, quæ in Sinai contigerunt: ad ea enim sine dubio referuntur multa quæ hîc commemorãtur. Montem autem illum esse in Arabia docet Paulus suprà. Occasui verò, atque Arabiæ commune apud Hebræos nomen est ערבה *Arabah*, & ideo fortasse Deus super Occasum ascendisse dicitur, quia equitauit triumphantis in morem per Arabiam, vbi Sinai est: neque nouũ est in S. Scriptura pro ipso nomine nominis explicationem adhiberi, quod multis exemplis confirmauimus ad illud cap. 6. Cant. *suauis, & decora*. Eodem, opinor, modo Isaias cap. 21. v. 13. *Vesperum* posuit pro deserto, aut Arabia: nam cùm ageret de his, qui extorres à patria ad Arabes, & Cedarenos profugerunt, ait: *In saltu ad vesperam dormietis*, id est, in Arabia, quæ est ad Vesperum, & Occasum, Arabum more dormietis in syluis. Porrò hîc nota similitudinis subauditur; quasi dicat Psalmista: Occurrite illi, qui in vobis triũphat; sicut olim in Occasu, quando patres vestros per desertum Arabiæ traduxit.

Dominus nomen illi.] Hebr. *in Domino nomen eius*: & ita exposuit Hieronymus; neque dissimilis sensus est. Suspicor autem hîc esse enallagem vsitatam apud Hebræos, ac si dicas; in nomine eius est *Dominus*, id est, inter nomina ipsius vnum est *Dominus*. Hebr. יה *Iah*, quod compendiũ esse creditur nominis יהוה *Iehouah*, quemadmodum eadem figura Psalm. 18. dicitur, *in Sole posuit tabernaculum suum*, id est, in tabernaculo suo posuit Solem, nisi mauis sic accipere; in יה nomine ipsius .i. propter nomen יה quod summæ maiestatis est, atque potentiæ, siue quia triumphat in nomine *Iah*, id est, ea maiestate, vt se esse *Iah* facilè ostendat. 7.

Exultate in conspectu eius: turbabũtur à facie eius. Posterior pars non est in Hebraico textu, quare illa non est in versione Hieronymi. Cur verò addita fuerit à Lxx. ea videtur ostendi posse ratio; quia nomen יה *Iah*, & diuinam significat potentiã, à qua Deus creator est, & à quo res omnes, quòd sint, habent, & timorem, vt nonnulli Hebræorum volunt. Vox autem עלץ *exultare* significat, & *tremere*: significat enim commoueri quocumque affectu, siue tripudiando præ lætitia, siue præ metu, aut dolore tremendo. Vtramque igitur significationem exprimere volentes Lxx. illam posteriorem partem adiunxerunt. Tunc verò sensus erit idem, qui in Ps. 2. *exultate ei cum tremore*; vbi est idem verbũ עלץ, cuius vim per exultationem, & tremorem expresſère Septuaginta. Est autem vsitatum Interpreti nostro, vt vocem vnam Hebraicam duabus explicet Latinis, quia vim totam vocis Hebraicæ non potest assequi vna Latina vox, vt docuimus in cap. 37. Isai. n. 31. Porrò vtrunque 8. Psal. 2.

per

pertinere arbitror ad populum Dei, non verò etiam ad inimicos; ita vt illi lætandum, his verò tremendum esset à facie Domini; sed iisdem amicis Dei & lætandi simul, & timēdi causa proponitur: tum quia vtrunque continetur in verbo עלזו, quod sanè ad populum Dei amicum refertur; tum etiā quia non satis opportunè, vbi de amicis sermo & antecessit, & sequitur, insertus videbatur sermo de inimicis. Neque est cur quemquam commoueat tam repentina personarum mutatio; Nam etsi in alio idiomate durum, in Hebraico tamen neque durum, neque inusitatum est; facilis enim in vnam personam ex alia, seruato eodem sensu, cursúsque verborum migratio est. A secunda persona fit transitus ad tertiam, Genes. 49. *Ad prædam, fili mi, ascendisti, incuruauit se*; sic enim Hebr. vbi vulgatus, *accubuisti*. A prima ad tertiam, Isai. 22. *Expellam te de statione tua, & de statu tuo destruit te*: & cap. 52. *Peccauimus ei, & noluerunt in viis eius ambulare*. A tertia ad secundam, Iob. 16. *Verùmtamen vexauit me Deus, desolasti omnes artus meos*: & Isai. 1. *Confundentur ab idolis, quæ desiderastis*. Hæc, & plura iuxta textum Hebraicum inuenies apud Pagninum in Regulis ad intelligendum literalem sensum, Regul. 13. Vide plura ad illud cap. 1. Cant. *Osculetur me osculo oris sui, quia meliora sunt vbera tua*: vbi à persona tertia transitus est ad secundam. Si quis tamen illud, *turbabuntur*, ad impios referat, quod multi putant, parenthesi includendum est, tanquā nonnihil à cursu, textúque sermonis diuersum; sicut eodē pene sensu Psal. 44. illud, *populi sub te cadent*, inclusum est.

Regula. Transitus ab vna persona in aliam.

9. *Patris orphanorum, & iudicis viduarum*.] Ostendit quare exultandum simul, atque timendum sit siue amicis vtrunque, quod verisimilius; siue etiam alterum non improbabiliter inimicis: quia scilicet miserorum, atque inopum patrociniū suscipit. Quare amicis exultandum est, quia in suis infortuniis, atque ærumnis tanti patroni tutelæ, ac fidei crediti sunt: timendum verò illis, qui si contra miseros aliquid tentent, audiunt à tanto patrono, ac vindice imminere sibi suppliciū. Cæterùm miseros omnes *viduarum*, ac *pupillorum* nomine contineri, satis vulgatum est; quia hi Tyrānorum, atque impiorum plerumque expositi sunt iniuriæ, atque rapinæ.

Pauperū susceptor Dominus.

10. *Deus in loco sancto suo*.] Locus Dei sanctus Tēplum dicitur Hierosolymitanū, aut Dauidis tēpore Tabernaculū, aut Sanctuariū. Ps. 62. *Sic in sancto apparui tibi*: & Ps. 133. *Extollite manus vestras in sancta*. Seu certè locus sanctus sumitur pro cœlo, vt alij volunt. Locus tamen hic quocunque modo sumas, mirè afflictos exigit, & deterret impios: dicit enim Propheta; ille quem in Templo præcipua quadā religione, & ritu ab ipso tradito colimus; causam nostram tuetur: & contra improborum vim, atque insolentiam defendit. Vel Deus non ita se à nobis longè in cœlum abdidit, vt nostra non curet, viduas non soletur, orphanos non protegat. Hic ergo eorum qui maximè videntur esse in obliuione, ac despectu inter mortales, causam suscipit, maximè, suique muneris esse ducit eos, & amplecti humaniter, & ornare copiosè.

11. *Qui inhabitare facit vnius moris in domo*.] Quid sit habitare in domo, constat ex Psalmo 112. *Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem*: nam domus pro familia sumitur, & numerosa prole. Quare

Domum ædificare quid. domos ædificare, est filios suscipere. Exod. 1. *Ædificauit Dominus domum obstetricibus.* Et Ruth cap. 4. *Rachel, & Lia ædificauerunt domos Israël.* Sterilem esse quenquam magno dabatur probro; hunc ergo respicit Deus, ædificatáque domo honestat, & exhilarat.

12. Aptè quidem ista, sed alia fortasse melior, & cantici filo consentanea magis explicatio: nam cùm hîc describantur ea, quibus cùm incertis sedibus vagi essent viri Israëlitæ, ornati fuerunt à Deo, ac tandem eò deducatur sermo, vt ostendatur quã nobili, quámque vberi in loco collocati sint, optimè hîc de domicilio in regione promissa ędificato videtur inductus sermo. Neque alio sensu Exod. 15. dicitur. *Portasti eum in fortitudine tua, ad habitaculum sanctum tuum* & infrà; *Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine: Sanctuarium tuum Domine, quod firmauerunt manus tuæ.* Quod tunc, credo, apparebit verisimile magis, cùm explicuerimus quid sibi velit illud, *vnius moris*, cuius loco Hebr. est יחידים quod *vnicum* significat, vel *solum*; seu quia desertus, & solitarius est, vt vertit Hieronymus; siue alio quouis modo *singularem.* Significat etiam aliquid non tàm vnum, id est, solitarium, & desertum, quàm vnitum, ita vt quę separata fuerant, in vnam quasi naturam, certè in vnius studij, atque fortunæ societatem coalescant; & hoc magis vsitatum. Et ita exponit Chaldæus; & indicat omnino vulgatus. Extollit ergo Propheta singularem Dei beneuolentiam, qui gentem quondam vagam, quæque nullam stabilem, ac mœnibus septam sedē habuisset, habitare fecerit in stabili iam sede, vberi, atque ampla, quam paulo pòst appellat *montem coagulatum*, in eodem vtique domicilio secum eiusdem moris, & instituti sociam: nòn secus ac sponsus ex sylua rusticóque labore vocatam sponsam in eiusdem domus, ac bonorum, atque adeò in omnium consiliorum societatem asciscit. Et sanè hæc explicatio ideo mihi probatur magis, quia meliùs cum vulgato congruit; & quia paulo pòst de eodem populo, tanquam de sponsa multis dotibus instructa, & ad sponsi domum nuptiali ritu traducta sermo fit. Vide vulgati defensionem ad finem contra Caluinum.

Qui educit vinctos in fortitudine.] Heb. בכושרות, id est, *in compedibus*; sed sensus idem. Illud enim *in fortitudine*, ad *vinctos* referendum est, nõ ad *educit*; quasi *in fortitudine*, id est, fortiter vincti fuerint, quo modo vinculis à Tyranno coarctari captiui solent: educti tamen inde fuerint diuina potentia. 13. Dei benignitas.

Similiter eos, qui exasperant: qui habitant in sepulchris.] Exasperate est, alicui quemquam esse molestum. Vox Heb. סוררים *homines* significat *proteruos, contumaces, intractabiles*, ac *duræ ceruicis.* Hinc ego apparet insignis Dei benignitas, qui tanto studio, ac tot prodigiis homines in fortitudine vinctos liberauit, quos sciebat futuros esse rebelles, & suis pręceptis cõtumaces; qui ideo vinctos eduxit, vt vnius moris in eadem secum domo habitare faceret; illi tamen propter suum contumacem spiritum habitãt in sepulchris, quia extincti sunt in deserto, & totus pene cursus non tam gradientium vestigiis, quàm morientium cadaueribus notatus est: & interdũ eo numero, vt locus cladis à mortuorum multitudinę, sepulchra concupiscentiæ

ſcentiæ vocatus ſit. De hac exaſperantium ſtrage Paulus ad Hebr. 3. vbi dicit eorum cadauera proſtrata in deſerto, qui Deum exacerbauerunt. Cæterùm pro *ſepulchris*, Hieronymus vertit, *in ſiccitatibus*; ſed ſenſus diuerſus non eſt: quia deſertum eſt, vbi ſtrata ſunt corpora: quódque ſepulchrum dictum eſt, aridum erat. Quare idē eſt locus qui à vulgato *ſepulchra*, à Paulo *deſertum*, & ab Hieronymo *ſiccitates* dicitur. Vide ad finem vulgati defenſionem contra Caluinum.

14. *Deus cùm egredereris in conſpectu populi tui, cùm pertranſires in deſerto. Selah.*] Obſcurum eſt, an hæc verba ad ſuperiora referenda ſint, ita vt Propheta indicet eo tempore ſtratos in deſerto exaſperantes, quo Deus illos tanquam dux regebat: ex quo ſatis apparet quantus fuerit illius gentis ſtupor, aut inſania: vel ad poſteriora, ita vt quæ ſtatim cōſequuntur, tunc contigiſſe ſcribantur, quando populum ſuum Dominus per deſertum traducebat. In priorem partē magis inclino; quod facit maximè probabile particula סלה ſubiecta clauſulæ antecedenti. Nam licèt eius vis, & ſignificatio adeò difficilis ſit, vt ad hoc vſque tempus, licèt tētata à multis, à nullo tamen ſatis ex ſententia, aut ſua, aut aliorum explicetur: tamen iuxta omnium penè Interpretum ſententiam, maximè Hieronymi epiſt. ad Marcellam, & Aug. in Pſalm. 4. magnæ cuiuſdam diſtinctionis nota eſt. Quare non bene cum verſu conſequenti coniungitur. De vſu particulæ סלה vide Hieronymum, & Auguſt. ſuprà, Riberam in cap. 3. Abac. Toletum in Pſalm. 33. Serm. 1. Neque tamen diſplicet poſterior explicatio: quæ ſignificat quomodo præcedente Domino omnia cōcutiantur, ac tremant. Porrò hîc alluſum eſt ad illud, *Exurgat Deus*: quia hîc Deus quaſi dux antecedebat exercitum.

Selah diſtinguit.

15. *Terra mota eſt.*] Tres iſti verſus ſumpti ſunt ex Cantico Debboræ, ſicut tres priores ex verbis Moyſis. Cōmemorantur autem ea beneficia, quæ data ſunt populo, cùm Deus tanquam dux agmina præcederet; quod Moyſes ſuperioribus verbis precabatur. Terra mota eſt, ſiue quia commoti ſunt terræ illius habitatores, per metonymiam: quia *conturbati ſunt Principes Edom, & robuſtos Moab obtinuit tremor*. Exod. 15. & tranſmiſſo Iordane omnium Regum Amorrhæorum *diſſolutum eſt cor, & non remanſit in eis ſpiritus*. Et hoc eſt veriſimile; ſiue quia reuerà locus ille motus eſt; quod mihi magis eſt probabile: quod non obſcurè colligitur ex Pſalm. 113. vbi idem tractat argumentum; & eadem propè adhibentur verba. Cùm autem ibi propria & non figurata locutione mare retrò fugiſſe, & retrorſum abiiſſe Iordanis, & petra in aquarum ſtagnum conuerſa eſſe dicantur, ſit etiam propriè, & non metonymicè terra dicēda eſt mota fuiſſe; & montes exultaſſe, ſicut arietes. *Exultare* autem hoc loco non ſignificat lætari, ſed extra ſuum ſitum, ac ſedem ſalire, ſicut & Virgil. Æneid. 3.

Cantică Debboræ.

Terra verè mota.

Exultántque vada, atque æſtu miſcentur arena.

Idem ſentit Caiet. in eundem Pſalmum. Idem etiam ſumi poſſe videtur ex Pſal. 103. qui terræ tremorē cum monte fumigante coniungit. *Qui reſpicit terram, & facit eam tremere, qui tangit montes, & fumigant.* Vt autem hoc poſterius propriè contigit; ſic etiam propriè videtur contigiſſe prius. Et ſanè Numer. 21. ſcopuli inclinati dicuntur, vt Iſraëlitæ

acquiescerent in Arnon. Porrò in Arnon terram esse commotam habes Iud. cap. 5. n. 4. *Domine, cum exires de Seir, & transires per regiones Edō, terra mota est.*

16. Quòd verò propriè sit intelligenda illa scopulorum inclinatio, argumento est, quia ibidem id scopulis, & torrentibus accidisse dicitur, quod olim mari rubro. *Sicut fecit in mari rubro, sic faciet in torrentibus Arnon: scopuli torrentium inclinati sunt. &c.* Vt ergo propriè mare diuisum est, & via Hebræis ad transitū expedita: sic diuisi, aut inclinati montes clausam antè viam Israëlitis aperuerūt: & ita sentit Abul. in c. 5. Iud. q. 2. Accedit quòd ibi meminit Moyses libri bellorum Domini, in quo hæc contineri commemorantur; sed in his Domini bellis id contigisse, vt terra sit concussa, atque disrupta satis indicat Zachar. cap. 14. *Egredietur*, inquit, *Dominus, & prœliabitur contra gentes illas, sicut prœliatus est in die certaminis.* i. in egressu ex Ægypto, vt communiter sentiūt Interpretes cū Hieronymo, vel cùm Deus ante populum suum egrediebatur, de quo nobis sermo) *& stabunt pedes eius in die illa super montem oliuarum, qui est contra Ierusalem ad Orientem, & scindetur mons oliuarum ex media parte sui ad Orientem, & Occidentem præ ruptu grandi valdè.* Id verò contigisse propriè, & non figuratè liquet ex eo quod statim subditur: *Et fugietis sicut fugistis à facie terræmotus in diebus Oziæ Regis Iuda.* Terræmotum verò illum propriè contigisse nemo negat; & tanquam à re omnino certa; ab eo tempus ostenditur Prophetię Amos cap. 1. Vide de hoc terræmotu Ioseph. lib. 9. Antiquit. cap. 11. quare similia in die certaminis Domini facta narrantur his, quæ postea accidêre tempore Ozię; & his, quæ à Zacharia cap. 14. impendere prædicantur. Neque verò malè cōiectaret, qui commotum existimaret montem Sinai, quo tempore populo data est lex: nam ea produntur tunc contigisse, à quibus terræmotus non multùm abest: & vbi vulgatus habet Exod. 19. *Erátque omnis mons terribilis*; Heb. est חרד, quod *tremere* significat, & *pauere cum aliquo corporis motu.* Et sanè in sacra Scriptura multa talia esse dicuntur, qualia nobis apparent, vt diximus in illud cap. 7. Cant. *Nasus tuus.*

Quare cùm verisimiliter hominibus timore perterritis mons ille fumigans inter tonitrua, & fulgura commoueri videretur; nihil mirum est quòd terra hîc à facie Domini mota esse dicatur: neque huic explicationi incommodo est quòd apertè non traditur, vbi de Hebræorum traductione, & peregrinatione agitur; tum quia liber bellorum Domini, in quo hæc videntur fuisse prodita, vt indicat caput 21. Numerorum, excidit; tum quia aliis in locis non obscurè indicatur, neq; nouū est, vt quædam illustria valdè, atque admirabilia, in propriis locis omittantur; & ex occasione aliis in locis commemorentur. In libris Regum, & gestis Oziæ, neque verbum vllum de terræmotu; at accidisse narrant Amos cap. 1. & Zacharias cap. 14. Quàm multa in Exodo omissa sunt, quæ in libro Sapientiæ clarè tradūtur, vt de manna, quod cùm igne non posset, Orientis tamen Solis calore tabescebat; & de maris rubri alueo, in quo germinauit herba; & plurima de Ægyptiorum plagis, quæ testis ipse Moyses prætermisit in Exodo; & Iosue cap. 14. dici 17.

Marginalia: Numer. c. 21. — Iud. 5. — Zach. 14. — Terræmotus sub Ozia. — Regū. Multa suis locis omissa, & alibi narrata.

dicitur à crabronibus exactos esse Chananæos, quod tamen alibi ex loco non constat: ne quæ narrata non sunt de terræ concussu, cùm ea de re historicus esset sermo, hic à Propheta Regio facta esse commemorantur.

18. Stillo mitè aliquid & durum sonat. *Etenim cœli distillauerunt à facie.*] Doctores quidam Hebræorum existimant, *stillare*, hîc esse diffluere, & commoueri; & tunc sensus erit, nõ esse mirandum, si terra aduentu Domini commota sit, cùm cœli ipsi in conspectu eiusdem commoti quoque fuerint, atque diffluxerint. Qua verò ratione stillauerint, dubium est, an scilicet quando pluuiam quandam suauissimam effuderunt, id est, manna, cœlestem cibum, siue quando intonuêre tonitruis, & micuêre fulguribus, & totũ mõtem Sinai operuêre fumo. Certè; verbum נטף *aliquid suaue*, ac *molle*, interdum significat, vt Amos 9. & Loël. 3. *Stillabunt montes dulcedinem:* & Prou. 5. & Cant. 4. labia dicuntur stillare fauum, & myrrham. Interdum verò *aliquid durum, terribile*, ac *minax*, vt 2. Paralip. 12. & 34. *Non stillabit furor meus*: & Ezech. 21. *Stilla ad Sanctuarium, & propheta contra domum Israël*: & Dan. 9. *Stillauit super nos maledictio, & detestatio.* Vtrũque verò accidit quo tempore populus proximè accessit ad montem Sinai, vel cùm in eo Deus legem tradidit Moysi; nam & paulò antè manna de cœlo lapsum esse, & in monte explosa de cœlo tonitrua, & vibrata fulgura facta prodit historia. Sed in posteriorem partem magis inclino, & quia textus magis expeditus, ac facilis est, & quia magis congruit cum cãtico Debboræ, vnde hæc cum aliis videntur fuisse translata. In illo verò cantico cœli dicuntur pugnasse contra Sisaram. Porrò illud *etenim*, idem est, quod *etiam*, sicut infrà v. 19. & Psal. 76. v. 19. & Psal. 128. v. 2.

19. Deus eius loci, seu personæ dicitur, vbi magis eius maiestas apparet, seu potentia. *A facie Dei Sinai, à facie Dei Israël.*] Vsitatum est in S. Scriptura, vt Deus eius loci, ac personæ Deus esse dicatur, in quo maximè splẽdet eius potentia, vel maiestas, vel quia ibi præcipua aliqua religione colitur. Quare Deus dicitur Abraham, & Iacob; quia beneuolentiæ suæ in illos documenta dedit illustrissima: & cœli Deus vocatur, quia ibi apparet maximè diuina potentia; & iuxta hunc morem serui Regis Syriæ 3. Reg. c. 20. dixerunt Deũ Israël Deum esse montium, quia in montibus suis victoriam dederat. Si ergo hoc loco Deus dicitur Deus Sinai, quia ibi admiranda suæ potentiæ documẽta ostendit, tonante scilicet, & micante cœlo, & mõte ipso (quod cecinit Debbora) à facie Domini diffluente. *Montes*, inquit, *fluxerunt à facie Domini: & Sinai à facie Dei Israël*, Iudic. 5. Dicitur etiam Deus Israël, quia illũ multis complexus est beneficiis, & quia ab illo speciali quodã, & proprio cultu obseruatur.

Expositio hæc apta videtur, si ita distinguas, *à facie Dei Sinai, à facie Dei Israël*: si verò cum Hieronymo, & aliis hoc modo dispungas, *cœli distillauerunt à facie Dei: Sinai à facie Dei Israël*, aliter explicabitur, & fortasse commodiùs, in hanc sententiam: Cœli distillauerunt à facie Dei: Sinai à facie Dei Israël, supple, stillauit, quia concuti, ac fluere visus est. Ducor autem, vt hæc ita distinguam, & interpreter, quia Dauid ex cantico Debboræ, vt apparet, hos versus accommodauit ad suum. At ibi ità omnino disponuntur. *Montes fluxerunt à facie Domini: Sinai à facie Domini Dei Israël.* At dices hanc dispunctionem, at- 20.

que interpretationem à Græco textu non admitti, in quo illud *Sinai*, in genitiuo est, vt indicat articulus *τοῦ Σινᾶ*. Respondeo, hoc non inueniri in omnibus Græcis codicibus: nam in Vaticano est *τοῦτο Σινᾶ*: & ita videntur legisse Aug. Hilar. Hiero. qui in nominatiuo statuunt.

21. *Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ.*] Huc vsque terribilis ostenditur Deus, in eius conspectu terra tremuit: nunc benignus fore significatur in populum sub hæreditatis, & possessionis metaphora; cui omnia secunda, atque ex votis futura prædicit. Pluuia voluntaria vocatur, siue quia Deus volens, & propitius illam immisit, & hoc verius, iuxta proprietatem Hebr. vocis נדבה, siue quia ad voluntatem, & votum populi laborantis cecidit. Hæc verò generatim sumitur pro largo aliquo, atque vberi beneficio, quod explicari potest *pluuiæ* nomine, sicut etiam malorũ multitudo per *imbrem*, & *pluuiam* significari solet. Summum beneficium significatur in pluuia, sicut etiam in siti agrorum grauissimũ incommodum, quia terra promissionis irrigua non est, sed de cœlo expectat pluuiam, quæ vbi defecerit, valdè tota illa regio laborat. Aut fortasse pro mãna sumitur, quod instar pluuiæ de cœlo molliter cadens, pluuia dici non incommodè potest. Et ita vocatur Psalm. 77. *Pluit illis manna ad manducandum*: & Exod. 16. *Pluam vobis panes de cœlo*. Opponit autem hanc voluntariam, placidam, ac liberalem pluuiam illi inimicæ, ac formidabili, quam priùs cœli in Ægyptum stillauerũt: cùm Dominus *dedit tonitrua, & grandinem, ac discurrentia fulgura super terram, pluitq; Dominus grandinem super terram Ægypti, & grando, & ignis mixta pariter ferebantur*. Exod. 9. Illud verò, *segregabis*, vulgato Hebræorum more pro præterito sumitur, & ita vertit Hieronymus; & probant quæ statim consequuntur verba, quæ eodem cursu, & eodem pene sensu in præterito sunt.

Infirmata est, tu verò perfecisti eam.] 22. Si aliquã-do deficit.
Deficit hîc particula conditionalis (*si*) quod apud Hebræos frequens. Deut. 4. *Reuerteris ad Dominum Deũ tuum*, id est, si reuerteris: & cap. 30. *Tu autem reuerteris, & audies vocem Domini*, id est, si reuerteris, & audieris. Et Ioan. 7. *Quæretis me, & non inuenietis*, id est, si quæsieritis. Et hanc explicationem confirmant variæ cõuersiones huius loci, Symmachi, Aquilæ, Hieronymi, quæ ostendunt hæreditatem Domini laborantem, & deficientem confirmatam esse. Docet autem Propheta sic intento esse in suam hæreditatem animo, vt si quando pati aliquid cœperit incommodi, vt si ex imbrium siti sterilitas timeatur, aut agrorum lues, aut strages immineat, aut alio quouis modo malè vexata langueat, confirmet tamen, perficiátque, adeò liberaliter, vt quod macies, calamitásque sustulit, illud diuina largitas cumulatè reficiat. Quare animalia tua, ô Deus, id est, grex tuus, commodè in ea habitare poterunt. Gregem appellat populum vulgari suo more, quemadmodum Deum alibi pastorem vocat.

Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.] Nõ significat Propheta, quid Deus hæreditati suæ parauerit; sed per aposiopesim cogitandum relinquit. Sicut illud Psal. 22. *Calix tuus inebrians*. Suppleri autem potest *mensa, conuiuium, domus, ornamentum*. In quo loquendi genere illud plerumque 23.

quę omittitur, quod explicari non poteſt. Sed nunc ſupple, *eam hæreditatem*, quam dulcem feciſti; vt qui pauper erat, & aliorum ſeruituti duræ prius alligatus, cùm eſſet in Ægypto; & pòſt etiam in deſerto, cùm nihil haberet proprium, quia neque dum erant Chananæi tractus habitatores debellati, aut ipſi in ſuas ſortes diſtributi, multa incommoda ſuſtuliſſet, collocauit tamen in loco paſcuæ, & ſuper aquā refectionis educauit, & deficientem iam animam, & fugientem à corpore conuertit. Sed puto hæc exponēda per futurum; vt eſt in Heb. תכין, & pertinere ad illud officium, quod Dominus in populum collaturus eſt; ſed cum reſpectu ad priora beneficia.

24. *Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa.*] Cecinerat antè noſtr Pſaltes, quemadmodum Dominus ſuorum commoditatibus conſuluerit, vt aluerit in loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis, viamque multis ſalebris impeditam expedierit, facilémque reddiderit deſperanti, ac pene exanimato populo. Nunc verò addit diuinæ liberalitatis, & blandioris cuiuſdam indulgentiæ ſigna quædam illuſtria: neque enim ſatis habuit Dominus, quòd tanquam dux præiret, ſtratiſque hoſtibus viam quoque ſterneret, ſed ornare voluit multis victoriis, atque ita amanter, ſuauitérque complecti, ſicut ſponſus ſolet quamè multis vnam, & præcipuā habet, & chariſſimam ſponſam. Eò enim ſpectare puto plurima eorū,

25. quæ mox ſubiiciuntur.

Quæ maximè feſtiua ſunt, translatione ex re nuptiali explicātur.

Eſt autem notum, & in ſacra Scriptura frequens, quæ maximè feſtiua ſunt, ac iucunda, explicari petitis ex nuptiis, thalamóque vocabulis, vt notauimus ad illud Cant. 2. *Fulcite me floribus*: & cap. 3. ad illud, *in die deſponſationis ſuæ*. Neque enim quicquam eſt, aut blandius, aut ſuauius, quàm quæ à ſponſo impēdi ſponſæ, nihil feſtiuius, quàm quę in nuptialibus ſacris agitari ſolent. Erigit ergo Pſaltes Hebræorū animos ad omnia maximè exſpectāda de diuina liberalitate. Id enim ſibi vult illud; *Dominus dabit verbum euangelizantibus*: dabit enim materiam, quam feſtiuo, ſiue Epinicio, ſiue Epithalamio celebrēt Solymitanæ virgines, quibus id Iſraëlitico more datum eſt negotij, vt quæ in quocunque ordine lęta ſunt, ea & voce extollant, & muſicis inſtrumentis.

Porrò illud, *euangelizantibus*, fœmineæ terminationis eſt, pro, *euangelizatricibus*. Illud, *virtute multa*, non tam ad Dominum refero, cuius eximia virtute fiunt, quæ pòſt commemorantur, quàm ad virgines pſaltrias, quæ virtute multa, id eſt, quàm maximè poſſint voce, neruiſque contendere, diuina beneficia cantabunt. Siue ea beneficia præſtabit, quibus commemorādis ſatis futura non ſit virtus illa multa, quam in illam curam collecturę ſunt cantatrices puellæ. *Euangelizare* autem, Hebr. בשר *Baſar*, ſignificat læta nunciare, & feſtiuè canere. Hæc verò tam Epiniciis congruunt, quàm Hymenæis. Et ſanè licèt hîc de Chriſti victoriis ſermo ſit, quibus & ipſe triumphauit, & triumphare fecit populum ab hoſtibus ſæpe triumphatum; tamen verba ſunt ex Epithalamiis ſumpta, & quæ nuptiarum delicias, & blandimenta ſonant: neque id mirum, cùm longus ille victoriarum, officiorūq; curſus, *nuptiarū* nomine notatus ſit. Vide quæ notata ſunt Prolegom. 7. ſtatim in principio.

Euāgelizo quid.

Rex

26. *Rex virtutum dilecti dilecti: & speciei domus diuidere spolia.*] Incipit iam explicare verbum, quod daturus esse dicitur Deus euangelizantibus, id est, materiam cătici, quæ tribus præcipuè capitibus continetur hoc versu conclusis. Imprimis laudatur Deus, quia Rex est virtutum, id est, potens. Secundò, quia Rex dilecti dilecti. Tertiò; quia diuidit spolia. Ad primum referendæ victoriæ hic commemoratæ. Ad secundum etiam referenda quæ ad sponsæ blanditias, & quæ ad eiusdem cultum, instructùmque pertinet, de quibus non pauca in toto Psalmi cursu. Singula nunc expediamus.

27. *Rex virtutum dilecti dilecti.*] Varia translatio difficillimam reddit huius loci sententiam. Hieronymus vertit, *Reges exercituum*, consentaneè ad puncta quæ nunc habemus in textu Hebraico. Vbi מַלְכֵי in numero multitudinis est; & eodem modo communiter alij. Illud ידדון variè à diuersis radicibus exponitur. Omnes pene vertunt *fugient*, aut *elongabuntur*, à radice נדד, seu נדה. Hieronymus *foederabuntur*. L.XX. *dilecti vtrique* à ידד siue à דוד nam vtrumque inter significationes alias etiam *amare* significat. Quòd si illud ידדון verbum sit, vt plerique exponunt, sensus erit thalamo, & nuptiis accommodatus; quem antequam propono, præmitto, nomen Regium non solùm ferre

Rex sponsi nomen.

præ se potestatem, potentiam, & maiestatem; licèt hoc plerumque ac potissimùm sonet; sed etiā suauitatem, & amorem, quo sibi ipsis noui coniuges dulci, ac molli compellatione blandiuntur; quibus in ore multum est *Regis*, ac *Reginæ* nomen; vt facilè disces ex Canticis, vbi sponsus sæpe *Rex* appellatur; qui, vt in Prolegomeno 1. & 2. diximus, Salomon non est; & sponsa, quæ alienigena fingitur, rustica, & vinearum custos, tamen *Regina* dicitur cap. 7. seu, quod idem est, *filia Principis*. Sed omnium optimè ostendit Psal. 44. qui nuptialis est, vbi qui in titulo *dilectus* dicitur, idem sæpe *Rex* appellatur; imò & Regi dicatus est ille Psalmus, quia ibi Deus tanquam sponsus inducitur: & sponsa *Regina* dicitur; & *filia Regum*. Et Ezech. cap. 16. illa quæ cùm proiecta fuisset in abiectionem animæ, & ex materno sanguine excitata, peruenisse dicitur ad Regnum, id est, ad sponsæ titulos; nam toto eo capite in sponsæ metaphora versatur. Hinc, vt credo, fit vt in sacra Scriptura sæpe ab vxoribus viri dicantur *Domini*. Iud. 19. *Venit ad ostium domus, vbi manebat Dominus suus*: & Ose. 2. vxores viros suos salutant *Bahali*. i. *Dominus meus*. Neque hoc proprium Hebræorum; sed cum externis etiam gentibus commune: nam à Græcis vxores δέσποιναι vocantur. & à Latinis sponsæ & amicæ, *Dominæ*, quare Æneid. 6. Proserpina dicitur Plutonis Domina: & in Epithalamiis Catulli, & Statij sponsæ. Et huiusmodi nomen audiunt fœminæ apud Hispanos, quarum vel nuptiæ, vel concubitus ab aliis ambiuntur; Hispanè *Damas*. Quod verò *Reginæ*, sponsæ vocentur apud Hebræos, ea fortasse inter alias ratio est; quia, vt docuimus ad illud caput 3. Cant. *propter filias Ierusalem*, Solymitanæ sponsæ Regio cultu traducebantur. Vnde fortasse pretiosæ vestes, *Regillæ* dicuntur, & *Basilicæ*, quales apud Plautum in Epidico scen. 5. meretrix, quæ se in sponsæ modum ornarat, gestasse credebatur.

His positis, sensus est: *Reges virtutum*. i. exercituum. Heb. צבאות: nam sponsi tanto stipabantur amicorum numero in geniali traductione, cõque ad militarem speciem instructo, 28.

Masculinum genus fœmineum concipit.

vt

vt cap. 5. sponsus dicatur *vexillatus millibus*; sic enim quidam vertunt דגול i. *qui ferat secum copiosum exercitum* & cap. 3. eadem turba nuptiale ferculum secuta *terribilis castrorum acies* vocatur. Quod verò *Regum* nomine Reginæ etiam contineantur, omnium pene linguarum vsu tritum est; quia apud omnes sexus masculinus in se fœmineum concipit, ea ratione, qua quod perfectius est, cohibet imperfectũ; vt docuit Aug. lib. 96. in libros Iudicum quæst. 49. & multis exemplis docet Salmeron Proleg. 14. formula 15.

29. Illud vero ידדון explico, aut cum Hieronymo *fœderabuntur*. i. conuenient, aut vnientur in vnam familiam, aut iugum; aut certè, quod cõiugum proprium est, in vnum spiritum; aut, fortasse, à verbo דוד quod *amare* significat; deliciabuntur; aut sibi amatoriis verbis, & illecebris mutuò blandientur. Quibus blanditiis, quibus Dominus populum tanquam sponsum complexurus dicitur; nihil fingi potest, aut amantius, aut indulgentius.

30. Si tamen legamus cum vulgato, quod omnino faciendùm est; *Rex virtutum dilecti dilecti*; sensus est à deliciis connubialibus non alienus: nam Rex virtutum, ille inquam antè descriptus, ante cuius faciem stillauerunt montes; iam erit Rex, sed mitis, sedamabilis, qualis molli, & amatorio vocabulo vocari solet à chatissima spõsa, id est, erit sponsus: nam, vt iam ostẽdimus, Regium nomen sponsis cum Regibus commune est. Illud verò, *dilecti dilecti*, in genitiuo est, vt è Græco textu liquet, neque otiosa est illa vocis geminatio; nam vel significat Dauid valdè dilectum fore populum, cui tantus sponsus sponsæ titulos, atque ornamentum dabit, vel certissimum esse quod de tanta sponsi indulgentia, deliciisque promittit. Vide suprà Prolegomeno 7. vbi de hac explicatione plura: & rursus vide ad finem contra Caluinum, quo modo noster interpres rectè transtulerit. Quòd si cum aliis legas, *fugient*, iuxta lectionem hanc, meo iudicio, subest expositio non aliena. In hoc Psalmo, vt diximus, multa transtulit Dauid ex Cantico Debboræ Iud cap. 5. in quo cantico Reges pugnasse, & fugisse dicuntur. Et ad extremum additur quomodo vna ex concubinis, &, vt verisimile est, omnium pulcherrima, domi cum socru spolia diuidebat, quæ abstulisse meditabatur Sisaram ex Hebræorum strage. Huc igitur spectans Dauid ait Dominum daturum tale verbum, id est, talem ad canendum materiam, qualem olim Israëli dedit sub Debbora; nempe Reges potentes fugisse, & vxorem Sisaræ pulcherrimam spolia diuisisse, mente solùm, non reipsa concepta. Desideratur autem hic similitudinis nota hoc sensu: sicut Debbora cecinit fugisse Reges, & spolia diuisa, sic, &c. Porrò, si textum consulas Hebraicum, illa fœminarum sapientissima, de qua in eo cantico, singulis militibus duas tribuebat puellas ex Hebræorum præda; & Sisaræ plura alia, quæ in fine cantici commemorantur. Quare spolia, quæ diripuisse Sisarant canebat fœmina illa vana spe delusa, opima fuerunt, & lauta.

Et speciei domus diuidere spolia.] 31.
Quoties Deus *sponsi* nomen assumit, vt in Canticis sæpe, & Ezech. 16. Oseæ 2. ostendit quàm in ornanda sponsa largus fuerit. Idem nunc facturum esse Deum, canit Propheta, qui Regium sponsum spoliis ab hostibus detractis locupletissimum inducit, & ex eis sponsæ ornamenta

G. Sanctij Comm. in Cant.

conficere pro Regia dignitate. Illud verò *speciei*, in statu syntactico est; quare, *domus*, in nominatiuo esse non potest. An verò, *speciei*, in genitiuo, vel datiuo sit, non facilè discernas; in vtroque pulcher est sensus. Si in datiuo, sic accipe: spolia distribuet ad speciem, instructúmque speciosæ domus. LXX. in textu Græco datiuum habent. Si in genitiuo: speciosæ suæ domus ornamenta, quasi è locuplete penu distribuet. Vide plura in Prolegomeno 7. & vulgari defensionem pro loci difficillimi huius versione ad finem.

32. *Si dormiatis inter medios cleros.*] Hoc satis à nobis explicatum est in Prolegomeno 7. & Cant. 8. ad illud, *Sub arbore malo*, vbi diximus, inter medios cleros dormire, esse, aut rusticam vitam instituere, & pastoritiam, qualem obiit sponsa, dum gregem pascere fingitur, & vineas custodire: & Ruben, qui Iud. 5. dicitur habitare inter terminos, & audire sibilos gregum. vbi eadem vox est Hebraica שפתים, siue certè iacere humi, qualiter illa, quæ in obscœno partus sui sanguine volutata, ad aureum sponsæ cultum excitata fuit. Vide ad finem huius loci defensionem.

Variæ à variis explicationes adducuntur huius loci. Quarum duæ præcipuæ sunt, quæ quominus mihi probentur, iam ostendam. Altera est, *terminos* hîc pro sorte sumi, idque probari facilè posse, quia vox κλῆρος, quam Septuaginta hoc loco adhibuerunt, *sortem* significat; ex his hunc sensum esse statuunt. Si in eo fueritis statu, vt de vestro capite sortes mittantur, pennæ columbę, &c. Hic sensus nullo mihi probatur modo, quem priusquam oppugno, obseruo, quod, credo, negabit nemo: Quoties vox aliqua v. g. Latina, quæ duas apud Latinos significationes habet, ab Interprete adhibetur; videndum est, quid propriè significet vox alia originalis; cuius loco in interpretatione successit. Exempla occurent passim. Vnum accipe ex Ecclesiastico cap. 32. num. 9. *Habeat caput responsum tuum. Caput* duo significat, & partem, quæ altissima est in homine, & summam quandam, seu breuem comprehensionem eorum, quæ dici possunt. A priori significatione quidam sic exponunt, adolescentem modestum, non tam lingua, quàm capite redditurum esse ad interrogata responsum. Sed hi valdè errant, quia Græca vox κεφάλαιον *summã quandã complexionemq́;* significat, seu *recapitulationem*: quare sensus erit. Responsum tuum recapitula, seu paucis comprehende. Hæc regula, quæ valdè certa, & necessaria est, facilè explicationem istam euertit: nam licèt *sors*, & κλῆρος significet illud, quod explicatio illa vult, at nullo paritur modo vox Hebraica שפתים, quam per *sortem* reddidit Interpres. Accedit, quòd non aptè ad illam explicationem adiungitur; *Penna columbæ deargentata*, id est, eritis candidi sicut columbæ; commodiùs diceretur, & aptiùs: *Inde eruam vos*, aut aliquid simile.

Regul. Cùm vox Latina, quam adhibet Interpres, duas habet significationes, videndum quid propriè vox originalis significet

Alia sententia in *cleris* ollas intelligit, aut cacabos. Cur autem ita senserint, non video; neque enim vox Hebr. שפתים, aut Græca κλῆρος id valet. Ex colore, credo, sponsæ id potiùs coniectant, quàm ex duarum vocum significatione. Cùm enim Israëlitæ dormire dicantur illìc, vnde nigrorem contraxerunt; inferunt authores isti, dormiisse inter ollas, quarũ fuligine faciem obscurarunt: quasi non etiam rustici, qui in agro viuunt, & ibi dormiunt, à Sole infuscari possint, & denigrari.

Penna

33. Subauditur nota similitudinis. *Penna columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri.*] Hic etiam locus expositus in Prolegomeno 7. Sed notandum est, hîc Hebræorum more subaudiendam esse similitudinis notam, & substãtiuum verbum, vt apparet in omnibus pene benedictionibus filiorum Iacob Gen. cap. 49. vbi sine verbo ac similitudinis nota, Simeõ, & Leui dicuntur *vasa iniquitatis*: Iudas, *catulus leonis*: Issachar, *asinus fortis*: Nephthalim, *ceruus emissus*: Benjamim, *lupus rapax*. Plena itaq; sẽtẽtia dicẽdũ esset; *Benjamin erit sicut lupus rapax*. Ad hũc modum squalidi antea dicuntur *pennæ columbæ*, quia erunt sicut pennæ illius; hoc sensu: eritis sicut pennæ columbæ. Porrò satis apparet, hæc ex nuptiali elegantia, atque munditie esse petita: sed cur sponsa cum argentea columba in aureo pallore comparetur, adhuc est obscurum. Columbam, & præcipuè candidam, quæ Cant. 5. *lacte* dicitur *lota*, in præcipuo honore ac religione habitam fuisse testis est Tibullus lib. 1. Eleg. 7.

Columbæ candidæ in honore apud Palæstinos.

Quid referam vt volitet crebras intacta per vrbes
Alba Palæstino sancta columba Syro?

Notum etiam est, sponsam candidis, & byssinis indumentis vti, vt pluribus ostendimus ad illud cap. 1. *Pulchra sunt genæ tuæ.* Quare, quia sponsæ candidæ sunt, & dilectæ, *columbæ* vocantur, vt in Canticis sæpe, quia à columbis habent, & quòd sint candidæ; & quòd in deliciis, & amoribus, sicut columbæ candidæ apud Palæstinos: deinde quia in sponsali cultũ, mundóque muliebri numeratur aureum monile, & ornementa alia colli, vt ex Canticis cõstat. Dicuntur posteriora dorsi, illa scilicet quæ extremam dorsi partem capiti cõmittunt, id est, ceruix, aut collum, esse in pallore auri. Quòd verò hîc intelligenda sit postrema illa dorsi pars, quæ ad caput spectat, probat Hebraica vox אברה quæ non tam significat extremas alas, quàm quod in alis fortius est, & ab extremo dorso nascitur, nostrísque humeris omnino respondet. Et ita Hieron. Psal. 90. *scapulas* vertit. *Scapulis suis obumbrabit tibi.* Aug. *inter scapulas.* Hilarius, *inter scaplia.* Quare optima sponsarum descriptio est, & elegantium puellarum, argentea columba habens in extremo dorso aureum pallorem.

34. Dei liberalitas in ornando suos. Hæc mihi satis videntur expedita. Addo tamen aliam explicationem non longè diuersam, & ab eadem nuptiarum consuetudine petitam; & quæ mihi multo probatur magis. Quæ inter medios cleros vitam egit, necesse est humi vt cubet, duro quidem lecto, ac sordido; atque adeò sordida veste, atque attrita horreat. Pro his ergo Dauid spõsi nomine, quasi nuptiarum pronubus, promittit & amictum byssinum, lautum scilicet & candidum, dignúmque liberis hominibus, qui sordida ministeria non obeunt; & pretiosum lectum, aureum scilicet reclinatorium in geniali ferculo, quale Cant. 3. describitur: vbi recumbant posteriora dorsi. i. scapulæ. Nam, vt ibidem diximus, acclinati molliter in aureo reclinatorio sponsi traducebantur. Quòd si *cubare inter medios cleros* sit, iacere spõsam in agro relictam à matre in obscœno sanguine puerperij, sensus illustrior est, cùm ab ea miseria, ac sordibus ad tantam dignitatem, ac splendorum vocetur. De huius loci versione vide ad finem.

35. *Dum discernit cœlestis Reges su-*

per eam, niue dealbabuntur in Selmon.] Locus hic non minùs vmbrosus, atque obscurus quam Selmon, de quo hîc sermo est, variè exponi solet. Ego consequenter, & ad Epithalamium accommodata sententia, existimo id sibi Prophetã velle; Deũ cùm gẽtẽ variè vexatã à cætera turba discreuerit, ac selegerit ad sponsæ dignitatem, perfecturum, vt quæ prius horreret cultu sordido, & fusca facie, non secus atque mons Selmon atra, atque horrida, fiat tamen candida, & illustris, non secus, atque mons idem Selmon cùm niue conspersus est. Hæc mihi videtur huius loci sententia; sed in singulis verbis aliquid obscurum quod a nobis illustrandum est.

36. *Dum discernit cælestis Reges*] Pro, *cælestis*, Heb. שדי, quod est nomen Dei, *potentem, fortem, victorem,* & *prædatorem* significans; accommodatè ad id quod dictum est suprà de diuisione spoliorum. Sed qui sint isti Reges, quos discernit Deus, dubium est. Quidam illos esse putant, quibus depulsis è Cananæo solo, Israël in promissam hæreditatem inductus est. Alij de Regibus accipiunt, quos populo suo Deus Duces, & Pastores præfecit; quorum virtute, qui priùs alienigenarum imperio suberant, squaloremque ex eorum seruitute contraxerant, lauti iam fient, & illustres. Et facit ad hæc quod 2. Reg. cap. 1. de Saüle cecinit Dauid, eius opera filias Ierusalem in deliciis vestitas esse coccino, & ornamenta aurea suo cultui habuisse. Sed consequenter hîc *Reges* interpretor sponsos; nam vt paulo antè ostendimus, in nuptiali plausu, atque deliciis noui coniuges, & inter se vicissim amatoriè, & ab aliis honoris gratia Reges salutantur.

Super eam.] Referri potest siue ad columbam argenteam in aureo pallore, siue ad domum speciosam, siue speciem domus, & idem est sensus: quia vtrunque pro sponsæ dignitate, atque specie sumitur. Sed existimo, quod in eundem etiam sensum cadit, terminationem fœmineam pro neutra sumi; quod Hebræi sæpe faciunt, cùm neutrũ genus non habeant; vt Psalm. 8. *Propter hanc in altum regredere*: & Psal. 118, *Hæc me consolata est.* & paulo pòst; *Hæc facta est mihi.* Sic etiam hoc loco, cuius sentẽtia ea esse videtur. Dum Deus segregat Reges ad hoc, vt scilicet sponsi sint, & Reges dicantur. Seu potiùs in idipsum, nẽpe vt qui atri sunt, candidi fiant, Deus ninget in Selmon (sic enim Heb. תשלג, id est *ninges*) quasi dicat: Sic dealbabis ad hoc, vt tibi spõsam pares, & adornes; sicut dealbas Selmon ningens super eum. 37. Terminatio fœminea pro neutra

Niue dealbabuntur in Selmon.] Quidam hîc de monte intelligunt, qui ab arborum vmbra fortasse, vel à cælo nubilo *Selmon* dicitur, id est, vmbrosus, & caliginosus; sicut torrens prope Ierusalem ab obscuritate *Cedron* appellatur, id est, niger. Est ergo loci sententia: quemadmodum (nam & hîc omissa videtur nota similitudinis) quæ sunt in Selmon, licèt obscura, atque horrida sint; nitent tamen, & candicant niue, neque quicquam apparet antiquæ caliginis, & squaloris; sic vos qui ex mediis cleris attorẽ habuistis, cum niue de candore certare poteritis. 38.

Alij credunt, hîc non agi de monte Selmon, sed de nigrore, atque vmbra, quam significat vox *Selmon*: & ita vertit Theodotion; & videtur valdè probabile. Et tunc 39.

huius

Regula. Hebraicũ nomen quod proprium esse videtur, pro communi eius significatione ponitur.

huius obscuri loci sensus erit: qui in Selmon, id est, in tenebricoso, atque horrido loco, siue statu; seu certè qui in nigrore fuerint, ad cādorem vsque niuis dealbabuntur. Neque id est alienum ab vsu sacræ Scripturæ, quę Hebraicum nomen, quasi proprium sit, pro ipsius communi significatione vsurpat. Sicut de *Bether* diximus Cant. 2. & de *Amana* cap. 3. & cap. 6. de *Aminadab*: & cap. 4. lib. 1. Esdræ multa ponuntur eiusmodi; sicut contrà nominis explicatio, pro nomine sumitur proprio, vt multis docuimus ad illud Cant. 6. *suauis, & decora*.

Illud præterea, *niue dealbabuntur*, significat album futurum instar niuis; quemadmodum dicitur paulo pòst, *probati sunt argento*, id est, sicut argentum. Dicuntur verò illi, quibus candor talis datus est, siuè dealbati niue, siue lacte loti, Cāt. 5. quia tales nobis apparent. Vide Proleg. 7.

40. Ierusalem mons pinguis.

Mons Dei, mons pinguis.] Ostendit iam in quem locum facta sit illa nuptialis traductio, id est, quæ sit sponsi domus, vbi cum dignitate, & gloria habitare sponsa debeat; quando de Selmon veniet, id est, vbi atra, atque squalida esse desierit: vel ex Sina, vbi pactum initum coniugale. Locus verò ille est Ierusalem. Ex quo constat quare Sina coniunctus esse dicatur cum Ierusalem ad Galat. 4. non sanè situ; quia in Arabia, sed ordine, ac mysterio, quia ibi inchoata connubia, hìc perfecta. Ab hoc ergo monte Sina incipere videtur cursus genialis ad eum locum, in quo Deus stabilem, & certam constituit domum, postquam incertis sedibus vagus errauit in deserto habitans in mobili tabernaculo. Dicit pinguem esse montem Dei; Heb. בשן *Basan*, quia Basan regio erat vberrima trans Iordanem, in qua regnauit Og. Sed sensus est idem, ac si dicat: Mons Dei non est inferior monte Basan omnium rerum abundantia. Aut hic verè dici potest mons Basan, id est, pinguis; non ille cui imperabat Og, qui coagulatus dici potuit propter pascuorum vbertatem. Et licèt in speciē sterilis videatur, Deus tamen fœcundum reddidit, & coagulatum, ita vt totus stillet dulcedine, & repleatur abundantia; adeò vt cæteri montes cum illo compositi, steriles sint: id enim valet quod sequitur, *vt quid suspi. amini montes coagulatos?* id est, non est, cur quìsquam reliquos montes fœcundos vocet, si ad montem istum Dei cogitationem conferat. Vel, vt alij vertunt eodem sensu, non tamen eadem figura, ita vt sermo dirigatur ad montes. Quid exultatis, atque insolescitis, ô montes coagulati? S. Hieronymus vertit: *Quid contenditis montes excelsi aduersus montem, quem elegit Dominus?* ac si dicat: Quantumuis sitis, ô montes, excelsi, ac fœcundi, non tamen est cur vobis de fœcunditate, ac pulchritudine cum monte Sion, de quo hìc sermo est, contendendum sit.

Videtur autem hoc loco Propheta aut allusisse, aut quod verius puto, per apostrophē sermonē conuertisse ad tribum Ruben, & Gad, & dimidiam tribū Manasse, qui capti vbertate regionis extra terram promissionis habitare voluerunt; quibus datus est Basan, regio iuxta nomen suum pinguis, & apta alendis gregibus; vnde dici potuit mons coagulatus, & pinguis, &, vt alij vertunt, caseosus. Ait ergo Dauid montem Dei esse verum Basan: quare non erat cur illæ tribus suspicarentur coagulatum, & pin- 41.

guem esse montem Basan cum Dei monte compositum. Basan verò esse extra terram promissionis satis constat, tum quia vltra Iordanem; cum etiam quia, vt constat Num.cap.21.in eo fuit Moyses, qui tamen in terram promissionis non est ingressus. Vide Proleg.7.

42. *Mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.*] Ostendit hunc mõtem & suauitatis esse, & vbertatis eximiæ, ex iudicio Dei, qui illum præ omnibus elegit;& ex ipsius singulari præsentia,ex qua, vbi cætera defuissent, conciliari poterat loco illi amabilitas,& maiestas. Huc respexisse videtur Salomon, quando de montibus Libano,Sanir,& Hermon sponsam vocat, imò & cum nuptiali pompa traducit ad monmyrrhæ,& collem thuris, quos esse Ierusalem ostendimus Cant.cap.5. ad illud, *Veni de Libano.*

43. *Currus Dei decem millibus multiplex.*] In traductione geniali certum est currum esse, vt in Canticis dictum est; & probat Salomonis ferculum pro nuptiis fabrefactum Cant.3 Quanta verò multitudo currum comitaretur cum plausu, atque symphonia,facilè ex eo cognoscitur, quia multitudo illa eum acie militariter instructa confertur Cant.3. Ait ergo diuinus Psaltes currum Dei, in quo tanquam victor triumphans, vel tanquam sponsus genialiter, ac molliter cum sponsa vehitur; cum populo nempe suo, quem assumpsit, atque portauit in humeris suis,Deut. 32.esse stipatum frequenti lætantiũ, atque plaudentium turba, quæ ex Sina monte vsque ad montem Sion currum est prosecuta longo & temporis, & locorum spatio par desertum; vnde,vt pluribus docuimus in Prolegomenis,nata est Hebræorum consuetudo, vt noui coniuges cum facibus, & plausu ex agro in vrbem inducantur.

Dominus in eis in Sinai in sancto.] 44. Hîc credo desiderari similitudinis notam; vt sit sensus:in illis psallentium millibus fuit Dominus in sancto, id est, in monte Sion,quæ domus sponsi est, sicut etiam fuerat in Sina in eisdem millibus: nam inde progressa est nuptialis pompa.

Aliqui ad laudem Ierusalem pertinere hoc putant, quæ præter naturale munimentum, quod habet à montibus, quibus clausa est vndique, habet aliud longè præstantius, quia Domini custodiæ credita est. Quæ duo vrbis præsidia attigit Psalmus; *Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui.* Sed si de ciuitatis custodia sermo esset, non tam dicerentur illa tot millia festiua, ac læta, quàm ad propugnandum armata, atque robusta. Quare de nuptiali, aut triumphali plausu commodior est sententia.

Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem.]Sponsam simul cum sponso 45. in currum tolli, satis probat illud Cant.8. *Quæ est ista quæ ascendit de deserto innixa super dilectum suum?* & sponsæ somnus super sponsi læuam, quæ non nisi in nuptiali ferculo, quasi in lecto geniali fieri possunt.In illum ego currum,quem antea decem millibus multiplicem dixit,*cepit*, id est,ascendere fecit,*captiuitatem*, id est,captiuum antè populum, quem ex sordido ministerio, & ex mediis cleris ad aureum reclinatorium extulit. *Altum* sine dubio pro nuptiali curru posuit Optatus Mileuitanus lib. 6. vbi negat hanc solemnitatem adhiberi solitam in secundis nuptiis, & dicit: *Si alicui maritum mutari contigerit,non repetitur illa temporalis festiuitas,id*

tas, id est, non in altum tollitur; non populi frequentia procuratur.

46. *Accepisti dona in hominibus.*] Hæc etiam ad Epithalamium apta sunt: nam vt constat ex Cant. 5. in amatorio curru dona ab sponso comparata erant, quæ in turbam effunderet, vel ad quæ turbam inuitaret: & huc spectat illud, *Comedite amici, bibite, & inebriamini charissimi.* Quem locum in eum quem dixi, nuptialem sensum videtur accepisse Apostolus ad Ephesios 4. Ad Eph. 4. Duxit enim redemptum populum in domum suam, non aliter quàm ab sponso solet cum hymenæo plausu deduci sponsa in cœlestem Ierusalem ab inferioribus terræ partibus, vbi sponsalitius contractus initus est, sicut è Sinai, vbi nuptialis fidei pactum initum fuit, ad terrenam Ierusalem per desertum populus traductus est. *Ascendit* (inquit Paulus) *quia & descendit in inferiores partes terræ*: siue accipias comparatiuè, referēdo ad alias terræ partes, ita vt sermo sit de inferno, vt vult Hieronymus, & admittit S. Thom. vel certè ad cœlum, infra quod terra est, vt alij volunt. Neque est sensus diuersus: nam qualitercunque accipias, ex obscuro, atque ignobili loco extraxit eos, qui captiui tenebantur, siue in lacu, vbi non erat aqua; Zach. 9. siue è sordibus maternis, sicut illam, quæ iacebat in materno sanguine; Ezech. 16. siue è mediis cleris. Sustulit autem supra cœlos, quia ibi domus sponsæ, & templum Regis, in quod Psalm. 44. quod etiam Epithalamium est, virgines adducuntur. *Dedit*, inquit Paulus, *dona hominibus*, amplissima nimirum, qualia dari solent à locuplete, lauto, ac liberali sponso in extrema pompa, vbi ventum fuerit ad Regiam domum. Obseruat autem optimè Hieronymus, quæ in Psalmo dicuntur *accepta*, hîc à Paulo, qui non tam verba considerauit, quàm verborū sensum, dici *data*: quia Dauidis tēpore tātùm promissa; Apostolis verò iam erant collata post Christi Ascensionem dona Spiritus sancti, quæ statim connumerat. Est autem (vt diximus) in Epithalamiis vsitatum, vt sponsi dona accipiant luculenta, quæ deinde in populum effundant. Vide Cant. 2. ad illud, *Fulcite me floribus.*

Ad extremum obseruandum est, phrasim esse Hebraicam, *captiuare captiuitatem*, vel *captiuam ducere captiuitatem*, quæ idem valet, atque captiuos ducere, aut capere sibi deditos, aut bello subiugatos. Nam Deut. 22. vbi vulgatus legit, *captiuos duxeris*, textus Hebraicus, & LXX. *captiuaueris captiuitatem*; & 2. Paralip. cap. 28. *Reducite captiuos, quos adduxistis.* Heb. similiter, & LXX. *captiuitatem, quam captiuam duxistis.* Hoc tamen loco, quando iā apud omnes ferme constat sermonem esse non de hostib. ad ignominiā captis, sed de amicis liberatis à seruitute, aliquid amplius est, quod maximè cōgruit cum ea ceremonia pene extrema, de qua Cant. 8. à nobis actū est; vbi sponsa consignato corde, ac brachio sponsi signaculo, illi se omnino, si non seruam ignominiosam, at seruarum in modum liberaliter mācipat, & ingenuè. Quos ergo Tyrannus miserè captos tenebat, hos Deus sic à captiuitate illa misera atque ignobili exemit; vt tamen sibiipsi eo beneficio aliter captiuos astrinxerit: neque enim minùs arctè capiunt, astringúntque munera, atque officia ingenuos, ac liberales animos; quàm vincula sordidos, & inuitos. 47. Captiuare captiuitatem.

Secun-

Secundò, accipere dona, Hebraica phrasi, idem est ac dare, vt notauit Abenezra in illud Exod. 25. *Loquere ad filios Israël, vt tollant mihi primitias*, sicut & 3. Reg. 17. *Da mihi paululum aquæ.* vbi Hebr. est verbum לקח, quod significat *accipere*, & Exod. 21. & Iud. 14. *accipere alicui vxorem*, est dare: quare bene reddidit Paulus per verbum, *dare*, quod vulgatus expressit per *accipere*.

43. Mons Sinai ante Moysem religiosus.

Etenim non credētes inhabitare Dominum Deum.] Iosephus l. 2. Antiq. cap. 12. ait montem Sinai religioni fuisse antiquis, etiam ante tempora Moysis: & creditum à pastoribus ibi Deum habitare, atque ita religione, aut religionis opinione deterreri, ne eò greges adigerent. Sicut locum vbi ædificata fuit Roma, ante vrbis constructionem, religiosum fuisse, atque à Diis habitatum canit Virgilius Æneid. 8.

Hoc nemus, hunc inquit frondoso vertice collem
Quis Deus incertum est, habitat Deus, Arcades ipsum,
Credunt se vidisse Iouem.——

Quod fit verisimile ex cap. 3. Exod. vbi propter loci sanctitatem iubetur Moyses calceamenta deponere. Ad hanc populi opinionem videri alicui posset allusum à Propheta dum dicit, eos etiam, qui non crederent Deum inhabitare montem, in altum, id est, in currum esse sublatos. Sed aliam esse sententiam existimo; nam qui paulo antè dicuntur *exasperantes*, id est, rebelles, duri, contumaces, hic dicuntur *non credentes*; vtrobique vox est eadem סוררים *Sorerim*. Lxx. conuerterunt ἀπειθοῦντες, quæ vox & *non credentes* valet, & *non obedientes*. Cùm verò noster Interpres vna Latina voce vtramque significationem assequi non posset, alteram tantùm adhibuit; quàm aptè, ad finem dicemus contra Caluinum. Apparet autem singularis Dei benignitas, qui eos quoque, qui rebelles erant futuri, assumpsit tamen secum, traduxítque, tanquam sponsam in curru per desertum. Quod etiam fecit cùm sponsam, quam à materni sanguinis volutabro excitatam, quámque sciebat post amarores alios abituram, ornauit tamen vt sponsam, Ezech. cap. 16.

Sed est adhuc obscurum cui conueniat illud, *inhabitare*, Deóne, an hominibus? Augustinus videtur hominibus tribuere, non credentibus: & sanè ita omnino dicendum esset, si ita dispungas cum Lxx. *Etenim non credentes inhabitare*: deinde subiūgatur alia clausula. *Dominus Deus benedictus*; tunc autem sensus erit facilis. Accepisti captiuos etiam nō credentes, vt inhabitarent tecum. Quod Græca magis explicant, τοῦ κατασκηνῶσαι, supple ὁμοῦ, in eodem scilicet thalamo. Si tamē cum Hieronymo, & vulgato, & aliis communiter illud, *Dominum Deum*, superiori adiungas clausulæ; ad Deū referendum est, vt cum Hieronymo hîc, & in Epistola ad Surriam, & & Fretellam sentiunt complures alij, & in iis Chaldæus, in hanc sententiam. Deus etiam non credentes elegit, vt cum illis in eodem loco simul habitaret. 49.

Benedictus Dominus die quotidie, prosperum iter faciet Deus salutarium nostrorum.] Commemorata Dei singulari benignitate gratias illi agit, sperátque futurum, vt quo cœpit cursu, populum tueri, atque ornare pergat: neque id mirum, cùm sit *Deus salutarium nostrorum*; cui vitatum est, & proprium saluos facere; ideo enim dicitur *Deus saluos faciēdi*. Hæc obscura non sunt. Illud obseruan 50.

seruandum; *die quotidie* sumi pro singulis diebus Hebræorum more, qui geminata voce distributionem significant. Genes. 7. *Ex omnibus animantibus mundis tolles septem septem*; pro quo vulgatus *septena*. Ezech. 14. *Homo homo de domo Israël*, id est, quicunque homo. Psal. 71. *Dies, dies benedicam ei*, vulgatus *tota die*: sic hoc loco Heb. *Benedictus Dominus die, die*, id est, singulis diebus. Vulgatus tamen secundo loco posuit quotidie, vt vim geminationis ostenderet. Quod etiam fecit Ezech. c. 46. v. 14. & 15. vbi Hebr. בבוקר *Baboker*, id est, *in mane*, transtulit *cata mane*, quod idem est, atque singulis mane. Quod omnino expressit Hispanus cum dicit; *Cada mañana*.

51. *Deus noster, Deus saluos faciendi, & Domini Domini exitus mortis.*] Plerique hæc omnia referunt ad populum Dei, quem Deus seruat, quia est Deus salutis, vel saluationis; & quem à morte liberat, quia ei soli datus est exitus mortis, id est, liberatio à morte. Sed videtur magis, & textui consentaneum Hebraico, & Cantici filo, si ad diuersos referantur, vt putat Euthymius, & Chaldæus, ita vt Deus & salutem afferat populo suo & exitiū alieno, quod totus hic Psalmus & canit, & probat. Neque hic sensus alienus est à vulgato, sed magis fortasse aptus quā cōmunior alius. Quòd verò prior pars ad populum Dei spectet, Hebraicus textus satis ostendit; nam pro, *Deus noster, Deus saluos faciendi*, habet לנו, id est, *Deus nobis est Deus salutis*. Quod satis probatū est priori parte Psalmi; & in posteriori eundē futurum esse beneficiorum cursum paulo antè ostendit, cùm dixit, *prosperū iter faciet*. Postea verò significat longè aliū futurū esse in impios & progressurum ad illos, vel opprimēdos, vel subiugandos; quod statim probat. Porrò illud, *exitus mortis*, non magis significat liberationē à morte, quàm progressum, vel impetum ad mortem, imò hoc potiùs, quia Heb. est למות, id est, *ad mortem*. Et id Propheta indicat in principio, cùm orat Deum, vt exurgat ad perdendos hostes. Neque videtur cur genitiuus *mortis* potiùs per ablatiuum cum præpositione, quàm per accusatiuum explicari debeat. Porrò hęc antithesis frequēs est in S. Scriptura. Deut. 32. *Ego occidā, & ego viuere faciā*. 1. Reg. 2. *mortificat, & viuificat*: & Apoc. 1. *habet claues vitæ, & mortis*.

Veruntamen Deus confringet capita inimicorum suorum: verticem capilli.] 52. Veruntamen non sēper aduersatiua particula.
Pro, *veruntamen*, Heb. est אך quæ nō solùm aduersatiua particula est, sed etiam exclusiua, id est, *tantùm, solùm*, atque etiam affirmatiua, *sanè, certè*. Et si hoc loco sumatur exclusiuè, plurimùm explicationi nostræ fauet: est enim sensus; Dei furori, ac gladio tātùm esse proposita impiorum capita. Si aduersatiuè sumatur, plurimùm fauet priori explicationi: tamen existimo hîc non esse vocem aduersatiuam, licèt noster reddiderit, *veruntamen*: neque enim Græca vox πλὴν, qua vsi sunt LXX. semper aduersatiua est: neque vox *veruntamen*, quæ vim habet interdum concludendi, interdum continuandi orationem: imò sicut *tamen* interdum significat *duntaxat*, vt notauit Donatus in illud Terentij in Hecyra act. 3. scen. 4.

Quod potero faciam, tamen vt pietatem colam.

Sic etiam verisimiliter *veruntamen*. Adde quòd, vt Euthymius ad hunc locum notauit, *veruntamen* sæpe in Scriptura redundat, vt Psal. 84. v. 10. *Veruntamen prope timentes eum*. Quod item putat Salmerō Proleg.

16. Regul. 35. ad finem.

Pro, *confringet*, Hebr. est יִמְחַץ, quod si *calcare* significat, vt statim vertit Hieronymus, optimum victoriæ signum est: nam victi hostes calcari solent à victorib. Iosue cap. 10. & Iob. 18. *Calcet super eũ sicut Rex interitus*. Ad hanc allusum est consuetudinem Lucæ 10. *Dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & omnem virtutem inimici.*

53. *Capita inimicorum, verticem capilli.*] Mihi dubium non est, vtriusq; hemistichij eandem esse sẽtẽtiam, quod in Psalmis vsitatum est: nam quod priùs *caput*, idem statim dicitur *vertex capilli*, id est, vertex capillatus, quę optima capitis descriptio est. Neque enim placet quod aliqui sentiunt, hîc agi de his, quibus lõgi sunt & cincinnati crines. Vt enim nationes aliæ longam nutriant, atque crispatam comam; certè id ab Hebręorum cultu alienum non est; quibus in luctu tonderi solent, & caluitium ipsis in sordibus, atque squalore numeratur. Sanè Absalon Regius puer comam alebat; & spõsi capilli palmarum elatis similes dicuntur; quod planè ostendit id esse iuuenib. Solymitanis neq; insolens, neq; indecorũ. Adde quòd Ioseph. lib. 8. Antiq. c. 7. elegantes iuuenes Salomonis tempore describens, habuisse dicit proceram staturam, promissum capillitium, illúdque auri ramentis illustratum. Tempore verò Pauli, vt esse solent in cultu mutationes variæ, viris ignominiosum erat comam nutrire: ex quo mihi verisimile fit verticem capilli nihil aliud esse, quàm caput, quod capillis tegitur; neq; ad rationẽ nominis referre arbitror, prolixum esse capitis, aut breuem capillum.

Cæsaries longa Hebræis vsitata.

54. *Dixit Dominus: Ex Basan conuertã, conuertã in profundum maris.*] Heb. *Ex Basan reducã, reducã ex profundis maris.* Locus hic difficilis varias habet explicationes. Caiet. putat sermonem esse de fuga Israël, in qua cæsus est ab Amalechite, & Chananæo, Num. 14. qui conuersus dicitur ex Basan, quem bello tentare noluit ab exploratorib. deterritus, & iussus est redire per viam maris Rubri, id est, in profundum maris. Sed vnus est Caietanus qui sic locum istum accipiat: neque satis cõgruit cum textu sermonis, aut cum lætitia, ac gloria Epithalamij, siue Epinicij fuga illa turpis, aut infausta cædes. Aliter ergo commodiùs explicari potest, & sanè variè.

Primò si legas cum Hieronymo, *de profundis maris*, vt etiam Symmachus legit, consentaneè ad textum Hebraicum, quem nunc habemus, sensus est facilis, si notam similitudinis addas. Dixit, nempe Deus, se è summis periculis erepturum populũ, sicut eripuit ex Basan, cuius Rex Og erat fortissimus, & de stirpe Enac, & vrbes munitæ muris altissimis, & portis, & vectibus. Deut. 3. & sicut eripuit ex profundis maris, quo tẽpore à gladio Pharaonis nullum videbatur superesse effugium. Hæc autem duo pericula pro maximis vsurpantur. Cõfirmat ergo Deus spẽ populi, vt speret è summis se difficultatib. expeditum iri, cùm ex illis duobus, quib. nihil videbatur excogitari posse difficilius, ereptus fuerit. 55.

Si tamen legas, *in profundum maris*, vt est communiter in vulgatis, sensus est non multùm à priori diuersus. Si hostes fuerint de stirpe Enacim, de genere Gigantæo, qualem fuisse Og constat Deut. 3. & regio arte, naturáque munita, vt vrbes Basan, quibus Og præerat, conuertam tamen, atque adigam in profundum maris. Vbi etiam nota 56.

simuli

ſimilitudinis videtur ſubaudiẽda, id eſt, ita perdam, ſicut antè Pharaonem, quem in aquarum profunditate demerſi. Porrò hoc promiſerat Moyſi Numer. 21. cui cùm Og occurreret cum exercitu, dixit Deus. *Ne timeas eum, quia in manu tua tradidi illum.* Suſpicor autem hîc Dauidem aperire id quod ſibi promiſſum eſſet à Domino; vt populum ad bene ſperandum erigeret. Conſtat enim Dauidi ſæpe promiſſam eſſe victoriam Pſalm. 59. 107. 88. quo loquendi genere, & gratias ipſe agit, & alios, vt idem agãt, hortatur. Vide huius loci defenſionem ad finem.

57. *Vt intingatur pes tuus in ſanguine.*] Verbum ימחץ, quod *calcare* vertit Hieronymus, ſignificat etiam *percutere*, & *intingere*; vtraq; verò ſignificatio victoriam indicat, qualis cõtingere ſolet hoſtibus magno numero, atque ſtrage deletis. De calcatis hoſtibus diximus nuper ad illud; *confringet capita*; de tingendis pedib. ſanguine, res eſt etiam nota. Hebræi enim cùm rei alicuius abũdantiam explicare volunt, verbo vtuntur *lauandi*, atque *tingendi*, maximè pedes. Deuter. 33. *Tinget in oleo pedẽm ſuum.* Iob. 29. *Quando lauabam pedes meos butyro.* Geneſ. 49. *Lauabit in vino ſtolam ſuam.* Cæterùm idem eſt ſenſus, ſiue cum vulgato dicas, *tingatur pes tuus ſanguine*; ſiue cum Hieronymo, *vt calcet pes tuus in ſanguine*: nam qui calcat ſanguinem, neceſſe eſt, vt eo tinctos referat pedes.

Lauo, & tingo, abũdantiam ſonant.

58. *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo.*] A conſequentibus magna oſtẽditur clades, ſicut mors Achab, & Naboth ex eodem conſequenti ſigno demonſtrata eſt. Huius autem verſus ordinatio, quia interrupta hyperbato, obſcurã eſt; ſubaudi rurſus, *intingatur*, & ſic ordina: vt intingatur pes tuus ſanguine; & lingua canum tuorum ab ipſo eodem ſanguine ex inimicis effluente tingatur. Heb. pro *ab ipſo*, eſt מנהו. Hieronymus vertit, *à temetipſo*: fortaſſe nactus eſt codicem, in quo aliter haberet textus.

Viderunt ingreſſus tuos Deus, ingreſſus Dei mei, Regis mei, qui eſt in ſancto.] 59.
Contexit interruptum narrationis ordinem: nam à verſu 22. qui incipit, *Benedictus Deus*, videtur Dauid à commemorandis Dei victoriis, ſiue nuptialibus deliciis ad futuram Dei in ſuos liberalitatem ſermonẽ conuertiſſe. Iam verò ad interrupta refert narrationem: Viderunt, inquit, vel tui, quos tecum victores, & exultantes circumducebas; vel etiam alieni, quibus deletis expeditũ curſum tuis aperuiſti, quomodo Regio planè inceſſu, & geniali plauſu in Templum tuum perueneris, vbi nunc habitas tanquam in proprio, atque ſtabili domicilio. Licet enim quo tempore hæc ſunt à Dauide cantata, Templum nondum eſſet à Salomone conſtructum; erat tamen Arca Domini in Ieruſalẽ in ciuitate Dauid, vt liquet ex 1. Paralip. 15. & 2. Par. 1. Ad illum ego locum tanquam ad ſponſi domum è monte Sinai facta eſt illa ſiue triumphalis, ſiue genialis traductio Hîc obſeruandum, quia de Deo iam quaſi de ſponſo loquitur, redire nomen *Regis*, quod de ſponſis dici multis probatum eſt. Obſeruandum eſt ſecundò, factã eſſe perſonarum mutationem: nam cũ à ſecunda perſona orta eſſet oratio; *Viderunt ingreſſus tuos*, ad tertiam deflexit, *Dei mei, Regis mei, qui eſt in ſancto.* Id verò apud Hebræos eſt frequentiſſimum. Vide quæ ſuprà diximus ad illud, *Exultate in conſpectu eius in verbo.*

In verbo, *viderunt*, apparet Hebraicum idioma, quod per pluralem numerum actiui verbi explicat, quod Latini solent per vocem passiuam, quando verbi suppositum non apparet. Neque enim Latini dicunt; *Attulerunt mihi literas*, sed, *Allatæ sunt mihi literæ*. Quam dicendi phrasim ab Hebræis, vt puto, expressit Hispanus, qui ita loquitur, *Truxeron me unas cartas*. Plures alij passiuè exprimunt, legúntque. *Visi sunt ingressus tui*. Sic August. Hilarius, Psalterium Vaticanum, & Ambrosianum: imò & translatio LXX. nunc à Sixto correcta.

60. *Præuenerunt Principes coniuncti psallentibus in medio iuuencularum.*] Describit nunc pompam, plausúmque triumphalem, quo Dominus cum dilecto populo in destinatum sibi locum ingressus est. Esse verò pompam hanc nuptialem, vel certè ex nuptiali ritu institutam, indicant cantorũ distributæ vices: nã Principes in cãtu præeũt, sequũtur puellæ tympanistriæ, quæ ratio in sacro Salomonis Epithalamio seruata est: nam sponsi qui primas partes tenẽt, & Reges ibi salutantur, canticũ ordiũtur: sequitur deinde puellarum chorus. Materia verò cantici statim subiicitur, *In Ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israël.* O viri qui de Israëlis origine orti estis, benedicite, &c. Pro *Principib.* Heb. שרים quod à שר cum pũcto in dextro cornu deducunt Massoretæ; & interpretantur *cantores*: noster à שור cũ puncto in sinistro, quod *dominari* significat, *Principes* reddit. Si *cantores* legas, omnia musicorũ genera proponuntur: nã statim sequuntur *psallentes*, Heb. נגנים, qui manu pulsant instrumẽta musica, putà citharam, lyram, & fides: deinde *puellæ tympanistriæ*, Hebr. תופפות, quæ tympanum, crotalum, aut sistrum rudiori quadam arte pulsant. Neq; verò si *Principes* legas, crediderim diuersũ esse sensum; nam isti etiam Principes dicuntur in choris, quia & præeunt, & moderantur numerosam harmoniam. Quare 1. Paral. 6. quidam constituuntur cantorum præfecti. In Epithalamiis verò existimo, qui principes dicũtur amatorio blãdimento, eosdem, vt hanc quoque laudẽ habeant, dici etiam in cantãdo Principes: non quia omniũ sint aut peritissimi, aut maximè vocales: sed quia in Epithalamio cantando præeunt; cuius formam in Cantico Salomonis videre licet. Sed cùm ex cãtico Debboræ multa in hũc Psalmum Propheta transtulerit; alia sit imitatus, suspicor in his verbis respexisse ad initium illius cantici; in quo præeunt Principes Barac, & Debbora, & viros de fontib. Israël in diuinas laudes incumbere iubẽt. Sic enim Iud. 5. *Cecinerúntque Debbora, & Barac filius Abinoë in illo die, dicentes: Qui sponte obtulistis de Israël animas vestras ad periculum, benedicite Domino:* aut etiam ad Canticum Moysis Exod. 15. vbi etiã Principes præcessisse commemorantur.

In Ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israël.] *Ecclesia* pro cœtu aut multitudine sumitur, euocata, vt ipsa nominis notatio indicat. Cũ enim Hebræi ad solemnitates euocarentur tuba, iuxta illud Psalmi 80. v. 4. *Buccinate in Neomenia tuba*: quod præceptum à Domino fuerat Numer. 10. v. 10. aut præconum vocibus ex altis montium fastigiis, vt pluribus ostendimus in cap. 40. Isaiæ: fiebat, vt multitudo ea ratione congregata *Ecclesia* diceretur, quasi euocata. Populus autem *Ecclesia*, id est, euocatio dicitur, ea forma loquendi, qua actio aliquã pro

termi

termino ponitur, aut pro obiecto, vt Logici dicunt. Quomodo *congregatio, synaxis, synagoga*, pro congregatis, *dispersio*, pro dispersis; *circuncisio*, pro circuncisis vsurpantur.

Hæ verò Ecclesiæ, siue cœtus esse dicuntur de fontibus Israël, id est, de Israëlitico genere. *Fons* pro generis principio sumitur, & ita caput dicitur, vnde aquæ defluunt. Quare Hebræi de fontibus Israël esse dicuntur, quia ex eo prognati: sicut Isaiæ cap. 48. Iudæi *de aquis Iuda* eadem figura exisse traduntur.

61. *Ibi Benjamin adolescentulus in mētis excessu.*] Quemadmodum inter Hebræos legitimum, ac solemne fuerit, vt sponsa in sponsi sinu dormiēs fingatur, explicuimus in Prolegom. 7. & in illud Cant. 2. *Læua eius sub capite meo.* In hunc sensum accipiendus est hic mētis excessus. Quæ optima explicatio est verbi Heb. רדם *Rodem*, quod *soporem* indicat: sopor verò quo alio modo explicari potest significātiùs, quàm mentis excessu? Allusum autem est ad illud Deut. 33. vbi Benjamin dormiturus esse dicitur in sponsi sinu. De his pluribus suprà; hîc tamen addendum est, versum istum includendum esse parenthesi; ac si interrupto Cantici filo dicat Propheta, hîc impletum esse quod Deut. 33. de Benjamin prædixit iam moriturus Moyses; *Benjamin amantissimus Domini*, &c. Porrò quia ם in רדם *Rodem*, affixum esse potest, & radicalis litera; quidam à רדד vertunt *continens eos*: alij à רדה *dominans eorum*: sed omnium optimè vulgatus à רדם deduxit.

62. *Principes Iuda, Duces eorum, Principes Zabulō, & Principes Nephthali.*] Hieronymus pro, *Duces eorum*, vertit, *in purpura sua*; sicut & alij Doctores Hebræorum: sed est sensus idem; quia Principum, ac Ducum insigne est purpura. Alij vertunt, *in veste varia, & acu picta*, quod sanè non parum fauet nostræ sententiæ, quæ hîc speciem quandam Epithalamij videt. Nam sicut sponsa Psal. 44. dicitur *circundata varietate*; & eadem in Canticis, vt ibi pluribus docuimus, varia veste, atque polymita ornata est: sic etiam hi, qui sublati dicuntur in altum, id est, in geniale ferculum, veste fulgent nuptialem in modum illustri. Meminit verò hîc Dauid præcipuè Zabulon, & Nephthali, quia eorum in Cantico Debboræ honorifica mētio fit; neq; ab huius laudis cōmunitate excludendā esse existimauit tribum Iuda, cui à Deo multū aliàs esset tributū; & à quo ipse genus traheret. Fortasse harum tribuum præcipuè meminit, quia ibi exordiū habuit Euangelica prædicatio, vt prædictum fuerat priùs ab Isa. cap. 2. & à Matthæo citatum cap. 4. Quare eorum qui ad spōsæ honorem vocati sunt, Principes fuerunt Apostoli ex tribu Nephthali, Zabulon, & Iuda: post quos secutus est Paulus ex Benjamin, qui in sinu sponsi præcipuo quodam modo dormiuisse videri potuit in cœlum raptus. Vide quæ diximus in Isaiæ cap. 9.

Manda Deus virtuti tuæ: confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.] 63.
Orat Propheta, vt sua in populum beneficia tueatur, & in posterum etiā atque etiam augeat. *Mandare* autem *virtuti*, vel, vt alij legunt, *virtutem*, vt quidam volunt, est potentiam Israëliticis castris præponere tanquam Ducem; quod etiam initio petierat Propheta cùm dixit: *Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius.* Id enim valet verbum צוה *Tsauah*, pro quo hîc vulgatus, *manda*. Psal. 91. vbi vulgatus habet, *Angelis suis mandauit de te*, Heb. est, *Angelos suos mandauit tibi*, id est, præ-

posuit custodes. Placet sanè hæc expositio; sed est alia magis cum vulgata consentiens, quæ (*virtus*) habet non (*virtutem*.) Est ergo sensus: manda virtuti tuæ, vt nobis adsit, vel fac, vt nobis adsis. Quòd verò *mandare* significet mittere, constat ex Psal. 133. *Quoniam Deus mandabit benedictionem, & vitam*: & Leuit. 25. *Mandabo benedictionem*. Amos 9. *Mandabo gladio, & occidet eos*: & ibidem; *Mandabo serpenti, & mordebit eos*. In õnibus his locis est verbũ צוה *Tsauah*: vbi in textu Hebraico cum accusatiuo iungitur; vulgatus verò datiuum adhibuit Latinorum more, apud quos verbum *præcipio* datiuum admittit. Neque nouum est in sacra Scriptura, vt casus mutentur, aut genera, propter diuersarum linguarum proprietates. Si tamen vsus esset accusatiuo, esset quidem eadem sententia; sed non ita obscura; & ita legit Augustinus, Hilarius, & alij.

64. Aliqui ex antiquis Hebræorum magistris, & cum his etiam Hieronymus sic interpretantur hũc versum, *præcepit Deus tuus virtuti tuæ*. Huius verò tam diuersæ lectionis causa fuit vox Hebraica אלהיך quæ cùm affixum habeat secundæ personæ, *præcepit*, in tertia persona conuerterunt; neque aptè dicitur, *præcipe Deus tuus virtuti tuæ*, alioqui צוה *Tsauah* non magis ad præteritum, quàm ad imperatiuum pertinet. Illud de affixo addito Dei nomini, difficilius est. Fortasse affixum illud tempore LXX. non erat, quia fieri potuit, vt pro ם nominis אלהים scribentium incuria ך irrepserit, cùm magna similitudo sit inter *Mem* ם, & *Caph* ך, si in medio habeat punctum Camez, nisi mauis *Caph* legi pro *Mem*, quod in hoc ipso nomine obseruant Massoretæ 3. Reg. cap. 1. v. 47. Sequens verò imperatiuus, *cõfirma*, indicat satis aliud verbum per imperatiuum reddi posse commodiùs.

A templo tuo in Ierusalem, tibi offerent Reges munera.] Quidam ita distinguũt, vt ab illo, *Manda Deus virtutis tuæ*, oratio continuetur vsque ad *Ierusalem*: tunc verò sensus est non obscurus. Mitte potentiam, vel virtutem tuam ex templo, vel tabernaculo tuo, quod habes apud nos in Ierusalem. Sed cum vulgato hinc incipit clausula, & ad *munera* vsque producitur: neque difficilem explicationem habet; si illud, *à templo*, propter templum interpretère. Quod neque alienum est à Latinorum vsu, qui sic accipiunt sæpe præpositionem (*à*) neque ab Hebræorum, apud quos מן interdum *propter* significat. Deut. 7. n. 8. vbi vulgatus habet, *Quia dilexit nos, & quia custodiuit*. Heb. est משמרו & מאהבה, id est, propter amorem, & custodiam. Erit ergo sensus: si virtutem tuam nobis auxilio mittas, Reges, qui per te victoriam consecuti fuerint, ereptã ex hostibus prædã offerent, ad tẽplum tibi exædificandũ. Est sanè honesta postulatio, quæ id orat, quod in largitoris gloriam conuertendum est totum. Quod bona fide reddidit Dauid, qui amplissimam, quam à vicinis Regibus abstulit prædam, in Templi fabricam Salomoni filio reliquit. 1. Paralip. cap. 28. & 29. Neque durum existimo, si hoc etiam de externis Regibus accipiamus, qui diuinam virtutem admirati, aut aliarum gentium strage deterriti, munera vltrò delaturi dicũtur ad Templum Dei; quod de Ægyptiis, & Æthiopibus statim ostendit. Et probauit Eunuchus Candacis Reginæ, qui venit vt adoraret in Ierusalem. Act. 8. quem 65.

quem vacuum muneribus venisse verisimile non est. Et Antiochus, victus iam, & moriturus 2. Machab. 9. promittit se Templum optimis donis ornaturum, & sancta vasa multiplicaturum. Quod etiam fecisse Reges, & Principes externos, & in his Seleucum Asiæ Regē, constat 2. Machab. 3.

66. *Increpa feras arundinis: congregatio taurorum in vaccis populorum, vt excludant eos, qui probati sunt argento.*] Versus hic difficillimus est, tū propter obscuras metaphoras, & ænigmati proximas, tum propter ipsorum verborum significationes: quæ cùm polysema sint, non vno modo redduntur ab Interpretibus. Quidā sic vertunt ex Hebræis; *Increpa cœtū hastatorum, cœtum validorum, cum vitulis populorum, qui se contumaces prebent, vt cum fragmentis argenti veniāt.* Alij, *calcantium in frustis argenteis.* Hieronymus, *calcitrantium contra rogtas argenteas.* Sed omnes conueniunt, id quod fateri necesse est, hîc intelligi hostes Israëlitici populi, qui feræ dicuntur arundinis, siue quia sagittis armati sunt: nam apud Latinos *arundo* pro sagitta sumitur; siue quia lanceis; nam quòd multi arundinibus pro lanceis vtantur, docuit Plinius lib. 16. cap. 36. qui toto Oriente arundinibus bella geri tradit. Siue quia in arundinetis habitant, & syluestrē vitam instituūt, vt à ciuili cultu, & loco, sic etiam à pietate, & religione alienam, quæ optima paganorum descriptio est. Certè pagani nominis optima notatio: nam ideo pagani nominantur, quia in pagis, id est, villis quæ prope fontem sunt, qui πηγὴ dicitur, inculti, atque agrestes degunt ab vrbe procul, & ciuili cultu. Hine pagani dicti, quia à vera religione alieni, ad vana simulachra colenda in lucis ac montibus āras, atque delubra excitauerunt. Vide Baronium in annot. ad Martyrologium mense Ianuario die 31.

Arundo sagitta, aut lancea.

Paganus à religione alienus vnde dictus.

Pro, *taurorum*, Hieronymus, & alij communiter *fortium*; & id significat Hebraica vox אבירים *Abirim*: sed vulgatus figurata locutione eūdem sensum expressit. Est enim vsitatum in sacra Scriptura, vt tauri dicantur qui fortes sunt. Psalm. 21. *Tauri pingues obsederunt me.* Isai. 34. *Descenderūt vnicornes cum eis, & tauri cum potentibus.* Et nomen *tauri* explicat magis metaphoram sequētem de vaccis. Est autem sensus, *increpa*, id est, perde: nam id etiam significat vox גער *Gahar*, vt Ps. 6. *Increpasti gentes, & periit impius.* Est enim verbi *increpo* grauis, & dura significatio; sonat enim aliquid minax, & terribile; qualis est exorcismus; qui minaci imperio cum diabolo pugnat. Hispanè *bufido. Feras arundinis*, id est, homines qui instar serpentū in arundineto latent; callidos scilicet & veneni plenos, vel arundine, id est, spiculis armatos, qui sunt congregatio quædam populorum, qui instar taurorum cum vaccis lasciuiunt. Quibus verbis Propheta significat gentem istam, contra quam diuinum furorem aduocat, & inflammat, non solùm esse immanē, spirantémque cædis, sed etiā lasciuā. In qua explicatione duo nobis supplēda sunt iuxta sacrarum literarum vsum frequentem; & verbum *est* in nomine *congregatio*, & nota similitudinis in genitiuo *taurorū*; cum quo etiam repetenda est vox *congregatio*, quæ primò ad *populorum* refertur, deinde ad *taurorum*; ac si dicas: congregatio illorum populorum, congregatio taurorum est. Quòd si ita verteret vulgatus, vt cōmodè potuisset. *Increpa feras arundinis,* 67.

nis, *congregationem nempe taurorum cum vaccis quæ in populis sunt*: sensus esset idem, & minùs obscura translatio; nempe. Increpa congregationem populorum, qui taurorum, & vaccarum instar bello nos lacessunt.

Hîc ego in hac taurorum, atque vaccarum coniunctione, id est, in masculino simul cum fœmineo sexu aliquid subodoror in hoc genere magnum. Nam cùm duo hæc genera coniunguntur, vniuersalitas quædam, aut certè maxima significatur rerum abundantia, vt pluribus ostédimus Isaiæ cap. 3. n. 2. vbi exemplũ est valdè huic affine: nam cùm doceret Propheta omne robur ab Israëlitico præsidio esse remouendũ, dixit: *Auferam à te validum, & fortẽ*, seu clariùs; *validum, & validam*; nã *fortem* in genere fœminino est. Sic ergo hîc in *tauris*, & *vaccis populorum*, omne robur populorũ Dei increpatione dicit esse perdendum. Porrò ב *Beth*, pro quo vulgatus reddidit, *in*, etiã valet, *cum*, vt docet Pagninus l. 1. Institut. cap. 18. Quomodo Exod. cap. 15. Pharao ingressus esse dicitur *cum curribus, & equitibus*. Sic ergo hîc reddi potuisset, *Congregatio taurorum cum vaccis*. Hæc mihi videntur satis expedita: sed est adhuc quærendum quænam sint gentes istæ, quæ in arundineto viuunt, & cum vitulis petulanter ludunt.

68. *Ægyptus arundine abundat.* Chaldæus hîc de Ægyptiis agi putat. *Ecce*, inquit, *hastatorum feras, animalia, vitulum, & taurum, & Apim cum vitulis populorum, quæ sunt idola*; quasi diceret: prosterne hos qui tales secum afferunt tutelares deos. Quæ sententia mihi probatur omnium maximè: nam si qua gens *fera arundinis* vocari potest, maximè Ægyptia; quia vulgari, vt puto, appellatione *vitula* dicitur Iere. c. 46. n. 20. *Vitula elegans, atque formosa Ægyptus*. Tum quia regionem habitat, quæ arundine abundat, & carice, à quorum abundantia mare rubrum סוף *Suph* dicitur, id est, *carectosum*: & infans Moyses in carecto ripæ fluminis expositus dicitur Exo. 2. & Genes. 4. *Septem boues in eadem ripa pascebantur in locis palustribus*. Heb. אחו quod Hieronymus Iob. cap. 8. *carectum* vertit. Porrò Ægyptij calami, & carices laudatissimi sunt, quia vsum præbent, & commoditatem papyri, vt tradit Plinius lib. 16. cap. 36. *Chartis*, inquit, *seruiunt calami Ægyptij, maximè cognatione quadam papyri*. Neque tantùm chartarũ vsum præbent Ægyptiæ arundines, sed etiam scriptorij calami; & in illum vsum magno studio à reliquis nationibus expetuntur. Martialis lib. 14. disticho 38. cuius titulus; *Fasciculus calamorum*.

Dat chartis habiles calamos Memphitica tellus:
Texantur reliqua tecta palude tibi.

Vsque adeò verò arundines Nili notæ erant, ac celebres, vt pro Nilo, imò pro Ægypto ipsa hieroglyphicè adhiberẽtur. Quare in antiquis imaginibus Nili arundo pingitur, vt constat ex numis æreis Adriani, in quibus etiam exprimitur Crocodilus, qui vnius Nili proprius est. Et in alio numo Augusti, quem ob victoriam de Antonio, & Cleopatra ex ære conflauit, pro Ægypto Crocodilus ponitur cũ arũdine. Est autem veri pluſquã simile, Ægyptios otio, & voluptati deditos solere diu, ac sæpe obire ripas, quas ãniuersaria inũdatione fluuius oblimat, & serit, redditque omni palustri herba, ac frutice visendam. Argumento est Pharaonis filia, 69. *Arundo symbolũ Ægypti.*

filia, quæ cùm inuenit Moysem expositum in carecto, Exod. 2. eo consilio egressa est, vt notauit Iosephus lib. 2. Antiquit. cap. 10. vt cum puellis luderet. Feræ ergo arundinis dicuntur Ægyptij, quia in arundineto omnium nobilissimo suas sibi voluptates capiunt. Feræ vocantur, quia populum Dei ferarum in morem olim insectati sunt: neque dum antiquum animum deposuerant. Id verò non obscurè significat quod statim sequitur; *Dissipa gentes, quæ bella volunt.* Has verò gentes Ægyptias esse argumento est, quia statim Propheta subiungit, Ægyptiorum legatos supplices esse venturos, vtique à Domino dissipatos.

70. *Vt excludant eos, qui probati sunt argento.*] Obscurus locus propter versiones varias. Hieronymus vt diximus, vertit, *qui calcitrãt cõtra rotas argẽteas.* Et quidẽ hæc versio egregium habet sensum, & triumphali gloriæ accommodatum: videtur enim indicare has feras in suis arundinetis pingues; indomitas, & feroces, nequicquam contra argenteas triumphalis ferculi rotas, id est, contra stimulos calcitrare: neque enim quantumcumque virium, ac studij adhibeant, domitricem Dei, ac vindicem potentiam effugient, quominus iugum subeant, quod non excutient à ceruicibus, quantumlibet contra rotas, quæ ponè voluuntur, eluctabundæ calces illidant.

71. Fortasse hîc allusum est ad Sesostris Regis Ægyptiorum barbariam insaniam, qui eò processit insolentiæ, vt Reges sorte ductos singulis annis ad currum iungeret, vt ea inusitata pompa supra Reges esse, atque adeò supra homines videretur: Huius insolentiæ meminit Plin. l. 33. cap. 2. Diodor. Sicul. l. 2. c. 1. de quo etiam Lucanus lib. 10.

Sesostris arrogantia.

Venit ad occasum mundique extrema
Sesostris,
Qui Pharios currus Regum ceruicibus egit.

An verò Sesostris hic ante Dauidis tempora vixerit, non constat, quia Chronologici de hoc Sesostri sub hoc nomine non agunt. Gerardus Mercator coniicit in tempora Asam Regis Iudæ: alij Seschorim, aut Sesonchosim, qui Sesostris esse videri potest, vt Eusebius, Ioannes Lucidus, & Genebrardus in suis Chronicis, post Dauidis tempora reiiciũt, proxima tamen: sed nihil est certum. Herodotus antiquiorem multo facit lib. 2. ante excidium Troiæ: nam Helenam Tyndaridam hospitiò exceptam esse dicit à Proteo, qui tertius à Sesostri Ægyptiorum regnum tenuit. Item Diodorus Siculus lib. 2. Genebrardus Sesostrem confert in tempora Samsonis; sub quo Troianum bellum Chronologi cum Eusebio constituunt. Neque verisimile est superbiam adeò memorabilem, & in prouincia non admodùm dissita ignotam fuisse Dauidi. Significat ergo Dauid, aut passuros esse Ægyptiorum Principes ignominiam illam, quam eorum Rex Sesostris aliis irrogauit Principibus: vel certè, vt maximè repugnent, nihil tamen profecturos contra Domini potentiam, quem argenteæ rotæ triumphantem traducunt. Et hæc secundùm Hieronymi versionem.

Sed alij qui verbum רפס *conculcare* vertunt, variè exponunt. Rab. Abraham; *Increpa eos, donec sit quilibet eorum conculcatus coram te, in incisionibus argenti. i. frustis, scilicet vt supplex tributum pendat*: eodem pene modo Rab. David. Neque alienum ab hac sententia est quod Ps. 109. dicitur, inimicos ponendos scabellum pe- 72.

dum Domini. Sed fortasse iuxta hác versionem commodior erit, atque elegantior sensus, si ita interpretére; gentes illas impias, & crudeles cum suis argenteis laminis, vel fragmentis, in quibus suorum idolorũ imaginem gestabant, esse conculcandas; quod Chaldæus indicat. Esse autem in vsu, vt quæ quisque amat, aut colit, secum, aut in annulis gerat, aut in laminis, docuimus Cant. 8. ad illud, *Pone me vt signaculum*: & cap. 7. ad illud, *Vmbilicus tuus*: Quod paulo antè hoc eodem Psalmo indicauit Propheta, cùm dixit: *Deus confringet capita inimicorum perambulantium in delictis suis*, id est, cum idolis suis. Nam *delictum* idolum etiam significat, iuxta illud Amos 8. *Qui iurant in delicto Samariæ.* vbi eadem est vox אשמת, id est, *vituli aurei.*

Licebit, credo, mihi in tanta versionum varietate huncquoque difficillimum locum aliter conuertere, & sententiam illi accommodatam instituere. Sic ergo reddo: *Increpa feras arundinis, congregationem nempe taurorum, & vaccarum populorum; conculcans eos rotis argenteis.* Quæ translatió Hebraico textui nullam affert vim, & participium מתרפס *Muhraphes*, quod est in textu, quem nunc habemus, non facilè ad alias translationes accommodatur. Ad quod obseruo, solitos esse victores carpentorum rotas agere supra victos humi prostratos. Exemplo nobis est qui hoc, quod nunc versamus, canticum cecinit; nam cùm Reg. 2. cap. 12. cepisset Rabath vrbem Ammonitarum, *circumegit super eos ferrata carpenta*: & 1. Paralip. 20. idem traditur clariùs. Idem fecisse Damascum contra Galaaditas queritur Amos cap. 1. Huc spectat quod de Moab scribit Isaias cap. 25. *Triturabitur Moab sub eo, sicut teruntur palea in plaustro*: & cap. 41. *Ego posui te quasi plaustrum triturans nouum, habens rostra serrantia; triturabis montes, & comminues.* Dicitur ergo hîc Deus circumacturus argenteas rotas super feras arundinis, & tauros populorum, & illos durè, atque ignominiosè accepturus.

73. Sed iam ad versionem accedamus vulgati, cui seruiendum in primis, & omnino est: *vt excludant eos, qui probati sunt argento.* Cuius versionis duplex esse potest sensus, & satis elegans. Prior, & magis obuius est: Armatæ sunt illæ arundinum feræ, & expeditæ ad sternendos, calcandósque eos qui probati sunt, atque examinati igne tribulationum; & camino paupertatis non aliter excocti, atque argentum purissimum solet. Hi verò sunt, quos Deus & in transcursu ad terram promissionis, & antè in Ægypto diu, & sæpe variè vexauit. Pòrrò probati dicuntur argento, sicut priùs niue dealbati. Illud autem, *argento*, datiui esse casus existimo, qui apud Græcos comparationi seruit.

74. Alter sensus est, & ipse elegans, & cum Hebraico textu maximè congruens. Gentes illæ ferarum in modum armatæ sunt, vt excludant, nempe aut ex terra promissa, aut è viuis, id est, deleant eos, qui tibi probati sunt, & electi ex omnibus, sicut argentum. Et ita omnino videtur esse explicandum: nam pro, *probati*, Hebr. est ברצי *Beratse*, id est, *in voluntatibus*, seu *beneplacitis argenti*, vbi deest nota similitudinis Hebræorum more, hoc sensu: Quos probasti, atque amasti, sicut amari solet argentum. Et in hunc sensum accipit Chaldæus, qui vertit רעותיה *Rehutheh*, id est, *voluntas*, aut *beneplacitum eius.* Qui *incisiones*, aut *fragmenta* vertunt, deducunt à רצץ *Ratsats.*

Hic-

Hieronymus è רוץ *Ruts*, quod valet *currere*, totam deriuauit: sed noster vulgatus optimè à רצה *Ratsah*, quod *velle* significat.

75. *Dissipa gentes, quæ bella volunt: venient legati ex Ægypto, Æthiopia præueniet manus eius Deo.*] Quidam vertũt, *dissipauit*, quia בזר *Bizar* formam habet præteriti: sed communiter alij imperatiuum hîc agnoscunt; neque de punctis admodùm laborandum, quando cum antiquis translationibus non consentiunt. Præsertim cùm Rabbinorum aliqui censeant hîc *Hiric* positum esse, pro *Pathah*. *Venient legati ex Ægypto*, id est, gens illa de qua priùs vel armata arundine, vel in arundineto instar ferarum habitans; vbi tuam potentiam victricem aut audierit, aut in se ipsam fuerit experta, obuias tendet, & supplices manus, pacem, & veniam petens: aut porriget vinciendas, sicut victoribus victi solent. Quod etiam faciet Æthiopia, idque quàm ocyssimè. Id enim significat *manus præuenire*; qui Hellenismus vsitatus est: nam προφθάνω, cui *præueniet*, respondet, actiuè sumitur, & idem est quod *præmitto*: & id planè valet Heb. תריץ *Tarits*, id est, *currere faciet*. Hieronymus vertit, *festinet*, eodem omnino sensu. Illud prætereà obseruandum est, pronomen *eius* pertinere non ad Deum, sed ad Æthiopiam: quia Græcè est αὐτῆς, in genere fœmineo. Clariùs verteret vulgatus, si diceret, *manus suas*.

Gentes Deo subiectæ.

76. Hinc collige, sermonem superiorem esse de Ægyptiis, quando eosdem, & feros, & Israëlitico populo infensos daturos esse pœnas Propheta canit. Æthiopes verò adiungit, quia vicini sunt Ægyptiis, & ipsis à Meridie coniuncti, qui magna etiam ex parte ad Nilum arundinetum, & carice apud ipsos abundantem degunt: quia vtrisque benigna est, & fœcunda fluminis exundatio, licèt non omnibus æquè vtilis propter illarum gentium incuriam, & inertiam.

Quamuis hæc probabilia sint, tamen non videtur omnino improbabile, hîc agi de Madianitis, quia hi etiam infensi fuerunt populo Dei; diùque cum illis, & variè pugnatum est. Quòd verò duæ sint Æthiopiæ, quarum altera sit Orientalis, docet Homerus, vt tradit Strabo lib. 1. & Plin. lib. 5. cap. 7. Fuisse autem Æthiopiam aliquam Palæstinæ, Syriæque proximam, multa Scripturæ loca argumento sunt. Nam Madianitas Æthiopes esse docet Sephora Moysis vxor, quæ cùm dicatur Madianitis Exod. 14. Æthiopissa dicitur Num. 12. Et eo loco Abacuc 3. *Vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles Madian*; sine dubio posterior pars explicatio est prioris hemistichij: & Ps. 71. Æthiopes, Arabes, & Sabæi quasi sibi ipsis vicini commemorantur. Et Iethro Madianita; cuius oues pascebat Moyses, prope Sinai Arabiæ montem habitabat. Adde quòd lib. 2. Paralip. cap. 21. ita scriptum est. *Suscitauit Dominus contra Ioram spiritum Philistinorum, qui confines sunt Æthiopibus.*

Aethiopia duplex.

Madianitæ Aethiopes sunt

Quando Ægyptiorum legati venerint, non constat ex sacra Scriptura; venisse tamen certum est. 77.
Æthiopes verò qui Ægyptiorum fines attingunt, venisse, argumento est Eunuchus Candacis Reginæ; quæ in Meroë Insula, quam Nilus efficit regnasse traditur, qui in templum venit vt adoraret. Act. cap. 8. *Et filij Tyri*, inquit Propheta Psal. 44. qui huic affinis est; *in muneribus vultum Dei deprecabuntur*. Et fortasse huc referenda est Magorum ado-

ratio, qui Arabes dicuntur, & Æthiopes. Certè his accommodat Ecclesia illud Ps. 71. *Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent*, &c. Quemadmodum externi Reges ad templum venerint religionis gratiâ, vide quæ diximus suprà ad illud, *tibi offerent Reges munera*.

78. *Regn. terræ cantate Deo.*] Vsitatum est, imperatiuum sumi pro futuro; quod tunc cōtingit maximè, quando aliquid vt certissimū, vel quamprimùm futurum asseueratur. Exempla in sacra Scriptura obuia sunt; vide quæ in principio diximus. Regna itaque terræ iam subiecta, cantabunt, &c.

79. *Qui ascendit super cælum cœli ad Orientem.*] Heb. לרכב *equitanti*; sed idē est sensus. *Cælum cœli*, summum cœlorum significat, id est, Beatorum sedem. Quid verò sit *ad Orientem*, obscurum est: neque omnes eodem modo accipiunt. Quidam de monte Oliuarum interpretatur, ex quo Deus in cœlum ascendit: nam hic ab Oriente spectat Ierusalem. Alij vocem קדם *à principio*, vertūt, & in his Hieronymus, & Chaldæus: neque sensus est diuersus, si *Oriens* substantiuè sumatur, id est, ab ortu, vel principio cœlorum. Et quidem vox eadem Gen. 2. *principium* vertitur. *Plantauerat autem Deus Paradisum voluptatis à principio*: vbi LXX. *ad orientalem plagam*. Vulgò homines, quorum iudicia plerunque sumuntur à sensibus, principium cœlorum, qui, vt oculis apparent, semisphærici esse existimantur, in eo loco statuunt, vnde Sol oritur. Horum autem cogitationi, ac sensibus Scriptura sacra sermonem frequenter accommodat. Quare ipsa quoque principium, aut summum, aut summitatem cœlorum pro loco vnde primùm Sol exoritur, assumit. Sic Isaias c. 13. *De terra procul à summitate cœli*. Matt. 24. *Congregabit electos à quatuor ventis, à summis cœlorum vsque ad terminos eorum*, id est, ab Oriente ad Occidentem vsque. Sic itaque hoc loco Psalmista significare videtur Dominum equitare ab Oriēte, atque inde cum Sole ipso ad Occasum procurrere; ita vt nulla sit pars cœlorum, quam Dominus non obeat, & compleat. Neque illud, *ad Orientem*, si Hebraicum textum intueare, huic cogitationi quicquam incommodat: neque enim Hebr. vlla præpositio adiungitur *Orienti*; quare suppleri debet, quæ magis facit ad sermonis filum. Chaldæus supplet (*de*) quæ hanc explicationem omnino confirmat. Nihilo tamen minùs, quia præpositio (*ad*) quam adhibuit nostra translatio, parum cum hac cogitatione consentit, existimo Orientem accipiendum esse pro ea cœli parte, quæ Solem circumagit; quod vulgati verba satis indicant. *Orientem* autem pro nobilissima cœli regione vsurpari ex eo intelligitur, quia illa lucidissima est; vt quæ primùm, ac proximè, atque adeò plenissimè Solis splendore illustratur. Deus autem, licèt omnem compleat locum, in illum tamen ascendere, atque in eo commorari dicitur, vnde maiora edit suæ potentiæ, atque benignitatis indicia. Quare in cœlis & iustorum animas sedem habere dicitur. Ascendit ergo in Orientem, in eam scilicet partem quam proximè Sol occupat, & illustrat, in quacunq; splendeat cœli regione; atque ibi inequitat, quasi in vase admirabili. Eccles. 43. *Aquam in curru gloriæ suæ*. Et in hunc sensum quidam interpretantur illud Psal. 18. *In Sole posuit tabernaculum suum. Inde* (vt dicit Theodoretus) *effundit*

Oriens dicitur quicunque locus; vbi maximus est splendor.

fundit sua benignitatis opes, sicut Sol qui luminis fons, & origo est, in orbem spargit splendentes radios. Quòd si de Christi Ascensione intelligas, vt omnes profectò fermè intelligunt, ad Orientem ascendit, id est, optimam cœli partem obtinuit; & maximè illustrem, qualis illa est, quæ Solem cohibet; ad dexteram nempe Patris; qui verè Oriẽs dici potest, vtpote qui luminis origo sit.

80. Tonitru vox Dei. *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis.*] Paucis his verbis existimo comprehendi, quod toto ferè Ps.28. pluribus complexus est Propheta: hortatur enim, vt omnes illi dent gloriam, qui inequitat super cœlum, vnde librare potest potentiæ suæ, atque furoris tela in eos, qui parũ ipsius maiestatem agnoscunt, & venerantur: neque enim in cœlis inermis est, aut otiosus. Dabit enim voci suæ vocẽ virtutis, id est, emittet vocem suam fortem, & terribilẽ, vel voci suę dabit, vt terribilis, atque fortis sit; quia in nubibus magnificentia eius, & virtus est. Vox autem hæc tonitru est, quæque cum tonitru simul micant, & torquentur, fulgur, & fulmen; quibus sternuntur, cõfringuntúrque cedri, concutitur desertum, & cætera quæ eo Psal.28. referuntur. Existimo respexisse hîc Psaltem ad illud Cantici Debboræ Iud.5. *De cœlo dimicatũ est.* vnde additur, *super Israël magnificentia eius, & virtus eius in nubibus*: quasi dicat. Timete Deum, ô populi barbari, qui ferarum instar in arundinetis agitis; neque contra Israël quicquã molimini: nam pro Israël Dominus de nubibus pugnat. Ita distinguit Hieronym. Aug. Theodoret. *Date gloriam Deo super Israël*, &c. Quòd verò Deus contra hostes nubes armauerit, experti sunt Ægyptij Exo.9. & Dominus ipse ait Iob. cap. 38. paratos esse sibi in diẽ pugnæ thesauros niuis, & grandinis.

Hîc obserua familiare esse Hebræis, vt loco verbi substantiui, aut alterius vocis, quæ substantiuo verbo proxima sit, vocem aliquam geminent; vt suprà, *Mons Dei, mons pinguis*, id est, mons Dei est pinguis: & Cant.8. *Lampades eius, lampades ignis.* Psalm. 44. *Virga directionis, virga regni tui.* Sic hoc loco, *dabit voci suæ vocem virtutis*: idẽ est ac si dicat: faciet vt vox sua horrifica sit, seu, vt illi horror insit: aut emittet vocem horrificè sonantẽ. Vide quæ diximus ad illud Zachar.6. *Et montes, montes ærei.*

Mirabilis Deus in sanctis suis.] Dubium est an illud, *sanctis*, masculinè sumatur pro Dei cultoribus, an neutraliter pro sanctuariis. Et sanè si masculinè, sensus non est difficilis: est enim explicatio superiorum, vbi dixerat Deum pro populo suo pugnasse. Sed videtur potiùs accõmodandum sanctuariis, & ita vertit Chaldæus, & Hieronymus: licèt in Expositione Psalmi de viris intelligat; sicut etiã Aug. & Theodoretus: nam Heb. vox מקדש non significat *personam*, sed *locum*; & prępositio מ quæ (*de*) significat, optimè sanctuariis, nullo modo hominibus hîc conuenire potest; tunc verò sensus est: vt quõdam Deus pro populo dimicauit è nubibus; sic etiã nũc de sanctuariis suis, quæ sibi dicata esse voluit in Israël, egredietur tanquam bellator fortis; pugnabitque ipse tãquam Dux; populóque ad tanti Ducis imperium incitato, atque alacri animum ad pugnam, atque virtutem dabit. 81. Templũ, Dei sedes.

Benedictus Deus.] Epiphonema est, quo cõcludit, Deũ propter sigularẽ suã liberalitatẽ, & virtutẽ esse laudã- 82.

dum: & ita laudat, agitque ad extremum gratias, vt oratio suspensa aliquid nobis cogitandum, atque examinandum relinquat. Cantabo hîc ego quoque cum Propheta: *Benedictus Deus*, qui me ad finem vsq; Psalmi deduxit.

Defenditur vulgatæ editionis vera translatio huius Psalmi LXVII. *contra hæreticorum calumnias.*

83. QVæsiuimus hactenus verum sensum Psalmi LXVII. si minùs verè, atque feliciter, certè quàm maximè potuimus syncerè, atque studiosè. Illud porrò superest, vt ab Hæreticorum calumniis quædam loca vulgatæ versionis vindicemus, quæ illi siue errore cæci, siue contradicendi libidine instimulati, & vexant impiè, & contumeliosè rident; nimirum quia suis moribus Ecclesiæ sanctitatem, ac fidem, quam ipsi petulantissimè prodiderunt, aduersari vident, id moliuntur, vt eius sanctitati, ac fidei aliquid quotidie nō minùs impiè, quā stultè detrahāt. Respondit his eruditè satis, & grauiter Bellarminus lib. 2. de verbo Dei c. 3. & in ipsius defensione Sacroboscus, & Gretserus, vterque ex nostra Societate. Quare noster hic labor non admodùm necessarius videbatur, sed spero futurum non inutilem, & quia suscepti muneris ratio id postulat, non committam, vt piam hanc operam in hoc labore nostro quisquam desideret.

84. *Qui habitare facit vnius moris in domo.*] Contendit Caluinus legendum esse, *vnicos in domo*. i. qui orbos, ac solitarios ditat familia. Malè habet Caluinum quòd audit in domo Dei, id est, Ecclesia vnam esse fidem, vnam viuendi normam, cùm ipse se ab ea distraxerit, & homines sibi similes in varias sectas dissectos esse videat: quare horret vnitatis, & concordiæ nomen. Ignorabat fortasse homo suo potiùs, quàm aliorum iudicio sapientissimus, aut certè studiosissimus errandi, scrutari noluit, quod certè promptum esset, quid sibi vellet vox Heb. יחידים quæ cùm à יחד quod *vnire* significat deducatur, haud dubiè *vnitatē*, siue *vnum è multis compositum* valet. Fateor vocem illam, *solitarium* etiā, & *vnicum* significare; & ita vertit Hieronymus, secundariò tamen, & minùs propriè. Fateor *domum habitare*, pro numerosa prole, atque familia sumi; & nos suprà in hunc locum indicauimus. Sed cùm aliam etiam significationem admittat vox Hebraica, si quidquam esset frontis in Caluino; ita suam expositionem nobis obduceret, vt non inscitiæ, aut stuporis damnaret alienam, quā tot Patrum authoritas, tot sæculorum vsus ac pietas suscepisset.

Sed quòd nostra lectio magis 85. textui, filóque Psalmi sit accommodata, probabit, credo, qui non Caluini spiritum, aut stuporem ad Psalmum adduxerit. *Duat*, vertit Caluinus, *familia orbos, & solitarios*; quàm aptè videamus. Agit toto hoc Psalmo Dauid de officiis, quib. populū suum ex Ægyptia seruitute liberatū in deserto Deus prosequutus est. At illi neque orbi fuerunt, cùm ad miraculum vsque filiis abundarint; neque solitarij, cùm numerosis castris vastæ solitudinis magna spatia compleuerint. Quare neque etiam *vnici* nomē ad hęc aptum est. Sed neque si vnici essent, atq; orbi, hac

hac de re videtur institutus sermo. Id enim vnũ spectat Propheta, vt ostendat quemadmodum iactatus antea populus ab hostium tyrannide ita sit ereptus, vt ad amplã quoque dignitatem venerit. Quam optimè explicat ea Domini liberalitas, quæ populum sponsæ in moré in domo sua pariter, & ad eundem modũ esse voluerit, eiusdem nempe voluntatis, atque consilij socium, vt nos antea pluribus explicuimus.

86. *Qui habitant in sepulchris.*] Hîc etiam Caluinus inscitiæ damnat nostrum Interpretem, qui vocem Hebræam צחיחה *sepulchrum* reddiderit, cùm tamen *locum aridum, & siticulosum* significet. Verum est hac voce siccitates intelligi: neque id solus vidit Caluinus; nam ita quoque vertit Hieronymus: sed noster reddidit *sepulchrum*, aptissimè ad mentem Scriptoris sacri; nam cùm *sepulchri* nomine exprimi soleat locus asper, & horridus, & in quo moriendi causa non infrequens; aut ex quo vel moriẽdo emergere est optabile; meritò locus horroris, & vastæ solitudinis, in quo diu habitarunt Hebræi, *sepulchri* nomine explicatur. Exilium *sepulchrum* vocat Ezech. c. 37. vbi Deus ad captiuos & exules. *Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris, populus meus, & inducam vos in terram Israël.* Idem penè Isaias cap. 66. vbi exules ossa arida, & mortua esse significat. *Ossa*, inquit, *vestra sicut herba germinabunt.* Vide quæ ibi diximus. Adde quòd non aliter habitarunt siccitates rebelles illi, quos Deus vinctos in fortitudine eduxit, quàm morientes. Neque enim ibi quisquam illorum stabile domicilium habuit, & eorum cadauera strata sunt in deserto, ad Heb. cap. 3. At motẽtium domicilia sepulchra sunt. Siccitates ergo, vbi strata cadauera, cur ridet Caluinus appellari sepulchra, quasi nouum sit, cãpum, vbi strages facta est, sepulturam dici? Sanè Num. c. 11. *sepulchra concupiscẽtiæ* dictus est locus, vbi perierunt, qui carnes concupierant. In illis ergo sepulchris habitarunt illi de quibus hîc Psalmista.

Rex virtutum dilecti dilecti.] Hîc 87.
Caluinus Oedipoda desiderat, qui ænigmata dissoluat, quæ in locis clarissimis inuoluit noster Interpres; quasi facilis esset explicatio nodi, qui in Hebraico textu est: aut quam ipse adducit, eiusdem loci versio; plus afferat lucis. Reddit Caluinus, *Reges virtutum fugerunt, fugerunt.* Sed quòd neque malè noster, neque minùs aptè, imò multo accõmodatiùs reddiderit, licèt Caluino me probare non sperem, qui à pietate totus abiit; probabo, spero, his, qui & veritatis, & pietatis studiosi sunt. Imprimis (quod docti, ac pij, & ipsi etiam Hebræorum magistri rectè sentiunt) non admodùm laborandum est, quo quæque vox Hebraica puncto notata sit: neque enim vbi grauior alia ratio contrà pugnat, multùm habet momenti; cùm puncta cum literis nata non sint; sed multis pòst sæculis rudiorum gratia ab Hebræorum Doctoribus inuenta. Vox sanè מלכי pro qua noster, *Rex*, alij, *Reges* verterunt; ita notari potest, vt sumatur pluraliter syntacticè: & ita legit Hieronym. sed & habere potest *Hiric*, & tunc erit singularis. Facit tamen adhuc contra vulgatum *Iod* additum nomini, quod si pronomen affixum est, sic vertendum esset; *Rex meus virtutum*: qui sensus, & durior est, neque à vulgato redditus.

Ego

88. *Iod paragogicum præcipuè in compositione.* Ego quidem illud *Iod* paragogicũ esse arbitror, sicut alibi sæpe, vt docet Pagninus in Regulis ad Scripturam Regula 22. & nos tradidimus ad illud cap.1. Cant. *Equitatui meo*; sed in priori parte compositionis sæpissime, vbi nihil significat, sed mollit, redditque concinnam partium diuersarum iuncturam. Exempla sunt obuia, Abimelech, Aminadab, & in hoc ipso nomine מלך plurima. Melchiel Genes. 46. Melchiram 1. Paralip. 3. Melchisuag 1. Reg. 14. Sed est optimum exemplũ Melchisedech, qui non significat, *Rex meus iustitia*, sed, *Rex iustitiæ*, vt interpretatur Iosephus lib. 1. Antiq. cap. 11. Hieronymus epistola 126. Imò Paulus ad Hebr. c. 1. expressè dicit hoc nomen significare *Regem iustitiæ*.

Est autem in omni fermè lingua vsitatum, vt in compositione duarum vocum, ad molliorem, magísque concinnam iuncturam aliqua interseratur litera, quæ in neutra duarum partium reperitur: vt in *cõburo, prodeo, redeo, ambedo*, & sexcentis aliis videre licet; sed reddit mollissimam iuncturam litera *I*, tam apud Latinos, quàm apud Græcos in priori compositionis parte, vt vides in *Lucifer, Omnipotens*.

Neque id minùs frequenter accidit in Hebræorum compositione, quæ fermè est in nominib. propriis; sic puto in *Melchisedech*, & *Melchisabaoth*, *Iod* adhibitum esse ad molliendam iuncturam, neque prætereà aliquid sibi voluisse aliud. Cũ autem vox צבאות sæpe adiungatur Deo; vnde dicitur *Deus*, & *Dominus exercituum*; ita etiam hoc loco à Dauide vocatur *Rex exercituum*. Illud enim est *Rex virtutum*. Neque dura est hæc compositio, cùm vnũ nomen interdum è durioribus, longioribúsque vocabulis componi soleat. Dicitur ergo Deus composito vocabulo מלכיצבאות *Melchisabaoth*; sicut etiam in figura dictus est מלכיצדק *Melchisedech*. Adde quòd etiã מלכי cum *Iod* paragogico, in nominatiuo ponitur Psalm. 2. *Ego autem constitutus sum Rex*. Heb. מלכי.

Adde quòd extra cõpositionem *Iod*, huic voci adiunctũ reperitur Ps. 2. vbi enim vulgatus: *Ego autẽ cõstitutus sum Rex*, Hebr. est מלכי. Vide quàm iniustè vulgatus aut imperitiæ aut inertiæ carpatur ab Hæreticis.

Sed licèt his modis ab Hæreticorum calumniis defendi vulgatus optimè possit addam tamen alium, qui mihi probatur magis, & est lõgè facilior. Puto ergo מלכי esse in singulari numero & in statu syntactico; quod vulgati translatio directò sonat, cuius status signum est *Iod*, nomini ad finem adiectum, quod aliquando contingere docēt auctores rei Grammaticę. Exemplũ est in hoc ipso Ps. v. 6. vbi in statu regiminis ponitur אבי *Abi*. vbi vulgatus, *patris orphanorum*, & alibi sæpe. Idem inuenies in voce אח *Ach*, quę in regimine singulari habet אחי *Achi*. Genes. 24. n. 15. Sic puto מלכי in regimine singulari esse ad illorum similitudinem. Tunc verò sine vlla difficultate, aut offensione reddes; *Rex virtutum*, vt noster fecit Interpres.

Dilecti dilecti] Caluinus, *fugerunt, fugerunt*, quod fecerunt item alij, licèt non in præterito, sicut Caluinus, sed in futuro *fugiant*. Hebr. ידדון: hi verò deducunt à נדד: sed & à ידד deduci potest, quod *amare* significat, vel à דיד eiusdem significationis; & tunc sensus erit: aut quẽ reddit Hieronymus, *fœderabuntur*: aut propiùs ad versionem vulgatæ, 89.

deliciæ

deliciabuntur, vel, *amatoriis verbis mutuò sibi blandientur*. Nam hîc, vt sequentia verba non obscurè docent, talia officia præstanda canit Propheta, qualia ab sponso præstari solent. Sed omnino existimo hoc verbum non esse, sed nomen, quod *dilectum* significat, & reperitur parum mutatum in titulo Psalmi 44. qui nuptialis est. vbi idem qui in titulo *dilectus* scribitur, statim primo versu vocatur *Rex*. Vtrumque verò nomen est amatorium, & Epithalamiis familiare. Vt autem apud Hebræos nomina sunt diminutiua finita in ון, de quibus Pagninus lib. 2. cap. 8. vt ab איש, אישון *pupilla oculi*, quasi, *vir paruus*. Et qui 2. Reg. 13. sæpe dicitur אמינון ab Absalon contẽptus gratiâ, diminutiua figura vocatur אמינון. Hæc verò nomina sicut apud Latinos, & Græcos aliquid interdum blandius, & delicatius sonant; sic etiam sine dubio apud Hebræos. Quare cùm tenerũ suum amorem in Ephraim Deus significare vult Ierem. 31. *puerum delicatum* appellat; & infrà Benjamin *adolescentulum*, quando dulcissimi ostenditur amoris signum. Sic ergo hoc loco cùm ידיד *dilectum* significat, quo nomine Deut. 33. vocatur Benjamin, quando *requiescere* dicitur *in sinu Domini*; ab illo formatur ידידון, id est, *dilectulus*, id est, tenerè, ac molliter dilectus. Neq; mirũ est si fiat in ea formatione aliqua literarum mutatio, cùm sæpe in eiusmodi formatione fieri soleat; vt cõstat in adducto nuper exemplo; nã qui in positiua forma dicitur אמנון, in diminutiua vocatur אמינון. Et fortasse L x x. in magis emendatis codicibus legerunt ידידון: neque admodùm laboro de puncto quo notatur *Vau*, cùm puncta multo post Lxx. ætatem addita sint. Simili forma reperitur Deuter. 33. & Isai. 44. vox ישרון, quæ (vt putat Mercerus apud Pagninum in radice ישר) diminutiua est, quæ valdè Deo dilectum significat populum Israël. Vel certè ידידון *dilectionem* significat, & hoc magis accommodatè ad formas Hebræorũ. Et tunc Deus dicetur *Rex amoris*, seu *dilectionis*. Vulgatus verò reddidit, *dilecti*; quia norat in Scriptura vsurpari sæpe abstractum pro concreto: sicut Cant. 2. *dilectio* ponitur pro dilecta, cùm dicitur: *Ne suscitetis dilecta*. vbi Heb. est אהבה. Vide locum.

Iuxta hæc sensus erit: Rex potẽs, & terribilis hostibus erit Rex dilecti dilecti, id est, impensissimè dilecti populi: nam id indicat & geminatio nominis, & diminutiua figura. Rex, inquam, qualem appellare sponsa solet dilectum suũ: seu quia populi sui dilecti Rex erit, & pastor.

Et ne tantopere in sua sibi ver- 90.
sione placeat Caluinus, grauius ipse in vertendo peccatum admisit, quàm quod nostro obiicit Interpreti: nam cùm futuri temporis verbum sit, si tamen verbum est ידדון, & ita verterint Hebraicæ linguæ peritissimi tã ex Hebræis, quã ex nostris, vno excepto Vatablo, si tamen integra sint eius opera, & non ab impiis deprauata (nam de Pagnino non laboro, qui in Thesauro in radice נדד apertè reddit tempus illud per futurũ.) Cùm itaq; verbum futuri temporis planè sit, vt indicat *Iod*, neque enim ipse à ידד deducit, quia hoc *amare* significat, non *fugere*: Caluinus tamen nec cum bonis ingeniis, sanísque mentibus sentiret, *fugerunt*, vertit. Simile peccatum bis statim admisit; vt iam nemo dubitare debeat; illum non solùm sceleratum, & impium, sed etiam amentem esse, & Hebraicæ linguæ ignorantissimum, cuius esse scientissimus videri vult.

91. *Et speciei domus diuidere spolia.*] Caluinus sic reddit; *& habitatrices domus diuiserunt spolia*: bis hoc loco peccat Caluinus, idque admodùm pueriliter. Nam & *habitatrices* vertit, cùm singularis sit numerus, &, *diuiserunt*, cùm futuri sit temporis, idque in numero etiam singulari. Sed aut hæc non vidit homo eius artis ignarus, aut contradicendi studio ea effutiit inconsideratè, quæ primùm non in mentem, vbi enim mens, vbi tanta est amentia? sed in buccam venerunt. Atqui dicent Caluini asseclæ, eodem modo, aut certè non admodùm diuerso reddidisse Vatablũ, & Pagninũ, quos tamen Hebraicæ linguæ peritissimos meritò omnes agnoscũt. His ego libenter fateor, vtrumque non ætatis suæ modò fuisse doctissimum; sed cum aliorum temporum doctissimis posse conferri. Sed fecit Hæreticorum impia calliditas, ne alterius, id est, Vatabli versioni multùm sit adhibendum fidei.

92. *Vatabli Biblia à Roberto Stephano corrupta.* Est enim satis doctis exploratum, Robertum Stephanum virum in aliis impium, in hac vna Vatabli excussione planè perfidum; aufugisse Geneuam, commune impietatis hospitium, eóque secum tulisse scripta Vatabli, vbi iuxta Hæreticorum mores, ritúmque loci, vel adulterinos partus Vatablo supposuit; vel genuinos perfidiosè corrupit. Quare neque Vatablus versionem illam suam agnouit, neque probant qui vel leuiter tincti sunt Hebraicis, & Græcis disciplinis. Vide Genebrardum in Chronol. anno 1536. Robertus itaque Stephanus suo Caluino lenocinatus; vt à stulta illa versione, quæ *fugerunt*, habet, *& habitatrices domus diuiserunt*, Caluinum defenderet; magni nominis vmbram quæsiuit, quam ineptè interpretationi prætenderet. Quod etiam fecit in aliis Bibliis, & Psalteriis, quæ cum suis, aut Hebræorum annotationibus excussit. De Pagnino idem credo dicendum esse, qui si in Bibliis à se conuersis ידודון per præteritum reddidit, in Lexico tamen, quod postea edidit (vt liquet ex ipsius Lexici prologo ad Fredericum Fregosium) in radice נדד mutata sentẽtia, futuri tẽporis esse dixit, idque etiam ex Hebræorum magistrorum sententia, Rab. Abraham, & Rab. Dauid. Vnde miror quomodo Robertus Stephanus in Psalterio quod edidit cum versione, & annotationibus Hebræorum, dicere potuerit, Hebræos, *fugerunt*, vertisse; cùm isti grauissimi omnium, & pene soli vsi sint futuro. Neque incommodat, quòd Chaldæus vsus fuerit præterito אִיטַלְטְלוּ, quia non tam tam vertit, quàm explicuit paraphrasticè de Ægyptiis temporibus.

Interpres noster vertit, *& speciei domus diuidere spolia*; accommodatè & ad verba Hebraica, & ad Psalmi filum, in hunc sensum: Rex ille virtutum spolia diuidet speciosæ, & locupletis domus suæ; vel ad speciem domus illius, quam ornare vult. Nam illud *domus*, esse in obliquo satis probat dictio antecedẽs, quæ est in statu syntactico. *Speciei* verò commodè poni potest, vel in genitiuo, vel datiuo. Hęc satis expedita: illud verò difficilius; quomodo vulgatus תחלק cùm sit in futuro, per infinitiuũ *diuidere*, explicuerit? Ego quidem existimo illam esse secundam personam masculinam, & pertinere ad illum, qui priùs dictus est *Rex virtutum*. Illud verò verbum puto sumi pro nomine verbali; quod apud Hebræos inusitatum non est, maximè in futuro. Oseæ 5. 93.

Regul. Futurum pro nomine verbali.

Et mi

Et misit ad Regem vltorem:& cap.10. *delatum est munus Regi vltori.* Hebr. ירב,id est, *vlciscetur*, sic appellatur Rex Assyriorum:& Abac.3.*ad populum accinctum nostrum.* Hebr. *accinget eum.* Oseæ 6.*in via interficientium.* Heb.*in via interficient.*Sic ergo *diuidet*, aut in secunda persona, *diuides spolia*,id est, est spoliorum distributor, nomen est Dei, non longè diuersum ab illo, quod eidé attribuitur Isai. cap.8. *Voca nomen eius; accelera spolia detrahere, festina prædari.* Neque rarum est apud Hebræos futurum pro imperatiuo, vel cõtrà sumi: quare quæ apud Isaiam per imperatiuum,commodè etiam per futurum explicari possent.

94. Est autem mihi verisimile, quæ in hoc versu continentur, esse argumentum huius siue Epinicij, siue Epithalamij;nimirum illud verbum, quod Deus daturus esse dicitur euangelizantibus virtute multa.Quare materialiter suméda sunt, in hunc sensum:Dominus dabit cãtorib.materiã laudationis ita vt cãtu dicere possint,ô Rex virtutũ,ô Rex dilecti dilecti,id est,ô spõse,ô tuorũ amans, ô distributor spoliorũ.Hæc verò tria latè explicantur toto hoc Psalmo.

Infinitiuus pro nomine.

Infinitiuum verò posuit noster Interpres, siue pro diuisore, aut diuidente, vt vidimus; siue pro diuisione,quod apud Hebræos frequẽtissimum est,vt Psal.138:*Tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam* Heb.*sedere meum, & resurgere meum*:sicut apud Latinos,*scire*, pro scientia, & *viuere*,pro vita sumitur. Et secundùm hanc acceptionem sensus est facilis, nempe; materia cantici est,Rex virtutum,& Rex dilecti dilecti, & diuisio spoliorum.

95. Quòd si hæc minùs bene Caluino, aut Caluini discipulis arrident; nam piis, credo, non videbuntur difficilia; addo solutionem aliam, quam si non admittunt, reiiciant necesse est,quæ in politissimis scriptoribus non fastidiũt. Solẽt optimi etiam authores,vel cùm aliena scripta in aliam linguam conuertunt; vel cùm ipsi non vernacula; sed peregrina scribunt,redolere aut vernaculi sermonis proprietatem, aut eius linguæ ex qua aliquid cõuerterunt. Quod in Dione,atque Æliano obseruãt Græcæ linguæ docti, qui Latini cùm essent, in Græca scriptione Latinitatem olent:& Titus Liuius Patauinitatem, vt dicit Pollio apud Quintilianum lib. 8.cap. 1. & Virgilius aliquid sapit Mantuanum, vt docet Hieronym. ad Algasiam q.10.vbi etiam Cilicismos agnoscit, & aliquos enumerat in Paulo; & in prologo Iob. & Danielis Arabismos aliquot deprehendit in Iob.Cùm ego infinitiuus apud Hebræos poni soleat pro nominibus,vt vidimus, aut pro participiis,vt Gen.8.vbi vulgatus,*Reuersæq; sunt aquæ de terra euntes, & redeuntes.*Heb.חלוך וחסור id est,*ire, & redire*:& pro temporibus indicatiui. Ezech. 1. vbi noster; *animalia ibant, & reuertebantur.* Hebr. רצוא ושוב,id est, *ire, & currere*: & Ierem. 14. vbi noster; *Cerua in agro peperit, & relinquit.*Hebr.עזוב, id est, *relinquere*:& quod magis ad hunc locũ facit, infinitiuus sumitur pro futuro indicatiui. Leuit.6.vbi vulgatus habet, *quæ offerent filij Aaron.* Heb. הקרב, id est, *offerre*.Ezech.11.*educere*, pro *educam*: & 2. Reg. 3.*saluare*, pro *saluabo*; & 1.Reg.3 .*incipere*,& *finire*; pro *incipiam*,& *complebo*.Et plura alia occurrent studiosiùs sacra Biblia legẽtibus. Vide Pagninum lib. 2.cap. 6. Et hinc ortum existimo, vt Arabes qui linguam habent He-

braicæ affinem, aut ab Hebraica deriuatam, cùm Hispanicè loquuntur, iuxta patrij sermonis idioma, infinitiuis vtantur pro aliis temporibus, aut etiam pro nominibus verbalibus, verbi gratiâ, *yo haue esto, yo estar buen Christiano.i.estoi, o estare.* Lxx.ergo Interpretes quos fideliter reddidit vulgarus, suæ linguę, id est, Hebraicæ proprietatem seruarunt, & infinitiuum aut pro nomine verbali, aut pro secunda persona futuri indicatiui posuerunt, ita vt *diuidere* posuerint, pro *diuides*: sicut Leuit. 6. dicitur, *filij Aaron offerre*; pro *offerent.*

96. *Si dormiatis inter medios cleros.*] Caluinus, *si dormistis inter medias ollas.* Malè hîc Caluinus per præteritum vertit quod in Hebræo futuri est temporis תשכבי pro *cleris*, *ollas* posuit, quàm bene, ipse viderit: malè certè nostrum reprehendit, cùm optimè *cleros* verterit. Quid verò sit *inter cleros dormire*, suo loco diximus.

97. *Vt quid suspicamini montes coagulatos?*] Caluinus, *Vt quid inuidetis montibus opimus?* Verbum רצד, pro quo noster *suspicamini*, hoc tantùm loco repetitur: cuius versiones tot propè quot vertentes. Quare cùm ex alio loco coargui non possit noster Interpres malè vertisse, cur Caluino credendum potiùs, quàm Lxx. Doctoribus? Cætera multo significantiùs reddita, quàm ab alio quouis.

98. *Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum.*] Caluinus, *etiam defectores, vt inhabitet Dominus Deus.* Sensus idem est apud nostrum: & illud, *non credentes*, significantiùs dictum: Græcè ἀπειθοῦντες. Quæ vox significat eos, qui fidem non habēt alterius verbis, & qui parere nolunt: quorum alterum intellectus, alterum voluntatis vitium est. Cùm autem vox vna Latina vtramque significationē assequi non posset, assumpsit vulgatus partem illam, quę significationem vnam directò explicat, alteram indicat obliquè. Neque si vox Græca ἀπειθεῖς, aut Heb. סוררים præcipuè *rebelles*, & *pertinaces* significaret, vertisse ideo malè videretur noster Interpres. Est enim vsitatum non solùm in sacra Scriptura: sed in elegantissimis profanorum scriptorum, vt cùm nomen vnum duo significat, sumatur in conuertendo, id quod minus est proprium: deinde per quandam quasi metalepsim ascendatur ad alterum. Exempli gratia Χειμὼν *tempestatem* significat, atque *hyemem*; ex quo fit vt *hyems* sumatur pro tempestate: quia si hyems, ergo Χειμὼν, ergo tēpestas. Sic etiam *lenticula* pro lecytho sumitur 1. Reg. quia vox Heb. גרלה vtrumque valet: sic *vitulamen* pro planta Sap. cap. 4. quia in Græca voce μόσχος conueniunt. Eadem figura Virgil. Æneid. 2. *saeuum* pro ingēte posuit, quia vtrique vox immanis communis est:

Saeuus vbi Æacidæ telo iacet Hector. ——

Regul. Ex dubb. significationibus interdum minùs propria sumitur ab Interprete.

Et apud Philosophos decreta iam apud omnes constituta, dignitates vocantur, quia vox ἀξίωμα tam *dignitatem* valet, quàm *placita*, aut *decreta.*

Ad hunc modum vulgatus, *non credētes* sumpsit pro rebellibus, quia vtrunque continetur in voce ἀπειθεῖς. Sed non est necesse ad hanc regulam confugere: quia *non credentes*, magis explicat totam vim vocabuli; & ad rem propositam accommodatiùs.

Dixit Dominus: Ex Basan conuertam, conuertam in profundum maris.] 99.
Caluinus, *reducā ex profundis maris.* Pro,

Pro, *in*, Heb. est מן, quæ præpositio non semper significat *de*: sed interdum *in*, vt docet Rab. Dauid: & sumitur pro ב Cant. 1. *Osculetur me osculis*. Heb. מנשיקות, id est, *osculis*, aut *in osculis*: nam præpositio ב, Latinè *in*, apud Hebræos vim habet instrumenti. Imò & Rab. Dauid significare putat *in*, cum motu ad locum, & ita interpretatur illud Deut. 33. v. 2. *Dominus de Sinai venit, Dominus in montem Sinai*. Neque mirum est si מן sumatur pro ב, quando ב quoque non rarò sumitur pro מן. Leuit. 8. *quod superest* בבשר ובלחם *de carne, & pane*. Exod. 12. *filius alienigena non comedet* בו *ex eo*. Et Exod. 38. v. 8. vbi vulgatus, *fecit & labrum aneum cum basi sua de speculis mulierum*. Hebr. non est מ, sed ב, neque aliter ibi exponi potuit, quàm *de speculis*. Et quidem aliqui cum Augustino non legunt, *in profundum*: sed *in profundu*; vt est in textu Græco. Et hic sensus non esset diuersus ab eo, quem Caluinus probat, & quem alij etiam amplectuntur; nempe, eos qui sunt in profundis conuertam, & extraham. Et ita explicat Chaldæus.

100. Sed adhuc enitendum est, vt illud, *in profundum*, quod communiter iam habemus in vulgato, cum Hebraico textu conciliemus. Mihi semper visum est allusum hîc esse ad illud Exod. 15. *descenderunt in profundum quasi lapis*. Ibi autē est במצולות, eadem vox hîc est, & eandem præpositionem fuisse puto tempore LXX. qui magis puros codices nacti sunt. Progressu verò temporis ב in מ mutata est; quod fieri potuit facilè propter characterum similitudinem addita pertenui virgula: cuius corruptionis causa fuit alterum מ vicinum. Neque enim verisimile est tot viros ex omnibus tribubus electos ita fuisse versuros, si מ in suis codicibus habuissēt, & nō ב. Adde quòd Chaldęus ב habet במצולתה: ב autem motum ad locum significare aliquando satis notum est. Leuit. 16. *mittet hircum* במדבר *in desertum*: & Isa. 2. *ingredere* בצור *in petram*, sic etiam hîc במצולות *in profundum*.

Ibi Benjamin adolescentulus in mentis excessu.] Caluinus pro, *in mentis excessu*, reddit *dominator eorum*, à radice רדה: sed iam suprà explicuimus, verbum esse רדם, cuius vim satis exprimit, vt vertit vulgatus, *mentis excessus*. Vbi etiam docuimus quàm optimè locus hic congruat cum cap. 32. Deut. vbi hæc eadem penè de Benjamin. Absoluta die 23. Aprilis anno 1608. 101.

LAVS DEO.

INDEX RERVM, ET VERBORVM, QVÆ IN Commentariis Canticorum præcipuè tractantur.

In quo prior numerus caput, posterior numerum indicat marginalem; Pr. Prolegomena: Ps. Psalmum.

In

Viri

Christi

Doctor

E.

F.

G.

H.

Liber

Nasi

O.

Prælatus

T.

V.

FINIS.